This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

EARCH LIBRARIES
07494132 3


ANNEX

(LITERARISCH
NFF

BIBLIOTHEK

des

LITERARISCHEN VEREINS

in Stuttgart.

III.

Stuttgart
gedruckt auf Kosten des literarischen Vereins.
1843.



FRATRIS FELICIS FABRI

EVAGATORIUM

IN

TERRÆ SANCTÆ, ARABIÆ ET EGYPTI

PEREGRINATIONEM

EDIDIT

CUNRADUS DIETERICUS HASSLER,
GYMNASII REGII ULMANI PROFESSOR.

VOLUMEN SECUNDUM.

STUTTGARDIÆ.
SUMTIBUS SOCIETATIS LITTERARIÆ STUTTGARDIENSIS.
1843.



De secundo ingressu peregrinorum in dominicum sepulchrum et de creatione militum in eo et de commendatione ejusdem militiae.

Decima septima die, quae est S. Alexii confessoris praecedenti vespera, cum venissemus de Bethlehem, vocati fuimus omnes ad atrium templi sancti sepulchri. Festinavimus ergo, et ad templum descendimus, et multos Sarracenos quidem ibi invenimus et mercatores, sed nihil eorum, quae mandi possent, venale reperimus, sicut prius, et de hoc conturbati fuimus, quia lassi ex itinere fuimus, et parum quievimus, nec coenam feceramus, et illa spe velocius descendimus putantes, nos cibos reperturos in atrio, quos manducaremus in ecclesia, sed nemo illos dabat. Nescio enim, ex qua caussa contigit, vel quis practicaverit, quod domini custodes templi Sarraceni prohibuerint in civitate, ne quis peregrinis apportaret cibaria.

Cogitabam mecum, quod forte ex dispositione venerabilis Patris Gardiani id factum foret ad reprimendas insolentias peregrinorum, quorum aliqui tota nocte sedebant in templo manducantes et bibentes, sicut Corinthii, quos Apostolus 1. Cor. 2. in omnibus laudat, praeterquam in illo, quod unusquisque praesumebat coenam suam in ecclesia manducare, et erat difformitas, quia unus esuriit et alius ebrius fuit. Sic etiam erat inter peregrinos, quorum aliqui se replebant, aliqui vero jejunabant, et ideo virtuose praeventum est, ne cibi reperirentur.

Singulis ergo congregatis aperuerunt domini Mauri ecclesiae sanctae valvas, nosque intromiserunt eodem modo, sicut dictum est folio 108, A. Ingressi sunt etiam nobiscum Fratres montis Syon, inter quos nobiscum intravit spectabilis vir, dictus Johannes de Prussia, Procurator Fratrum montis Syon, saecularis quidem statu, sed regularis habitu et vita. Utitur enim proprio arbitrio habitu tertii ordinis S. Francisci, cui tamen regulae voto se non adstrinxit. Hic vir est genere nobilis, de prosapia comitum, Teutonicus de Prussia, procerae staturae, longam habens barbam, veneranda canitie decorus; maturus valde est vir ille, et multarum experientiarum, moribus compositus, conscientiosus et timens Deum. Has laudes non ex auditu, sed ex certa scientia huic probo viro do. Hic habet auctoritatem domini Papae, et domini Imperatoris, et favorem regum et principum Christianitatis, creandi et percutiendi milites peregrinos nobiles ad sanctum Domini sepulchrum venientes (EE). Notus est etiam domino Soldano, qui eum in magna habet veneratione. Praefectus insuper Naydon civitatis Jerusalem eum veneratur, et Sabathytanco et Elphahallo, Calini et Trutschelmanni, omnes eum noscunt et venerantur. Unde sibi data est potestas a dominis terrae ornandi loca sancta maceriis et aliis, praeterquam quod muros erigere non audet. Hic vir procurat, quod ruinae ecclesiae sancti sepulchri et in Bethlehem reficiantur, et tantae auctoritatis est in Jerusalem, quod etiam Sarraceni et Judaei eum timent, et pueri se ab eo abscondunt. Et dico pro certo, quod duo homines sunt in Jerusalem, senes et annosi, utilissimi et locis sanctis et peregrinis, et cogitare non possum, qualiter peregrini

unt in Jerusalem post eorum obitum. Invitus ego vellem
e peregrinus in Jerusalem eis absentibus. Unus homo est
efatus Frater Johannes. Alter est Elphahallo, Sarracenus,
linus minor, bonus homo, de quo suo loco dicam.

Igitur cum processio esset ordinata et jam perfecta et
ta eo modo, quo dictum est fol. 110 A., praedictus vir
ater Johannes una hora ante noctis medium convocavit ad
omnes peregrinos nobiles militiam assumere volentes in
lesiam Golgathanam, hoc est, in chorum, ubi est mundi
dium, ut patet fol. 117 A., et collocatis ante se comitibus,
onibus et nobilibus incepit eis jura militiae exponere,
primo prohibuit, ne quis ad militiam suscipiendam praesu-
ret accedere, nisi nobilis a quatuor progenitoribus proximis
ie probetur, et quod sit sufficientis substantiae, justus, non
amis, non notatus de aliqua infami inhonestate. Protestatus
autem, quod si aliquis accesserit non idoneus, et percus-
ni se subjecerit, quod percussio illa non teneat, nec talis
milite quovis modo habendus sit, sed pro illusore et
risore et nobilium contemtore. Demum hortatus est eos,
cum timore Dei et cum reverentia accedant ad suscep-
nem militiae, et Papae ac Imperatori, quorum auctoritate
honor eis confertur, in omnibus obediant, ecclesiam ca-
olicam defendant, et ejus jura manuteneant; episcopos,
nachos et quosque religiosos et omnes ecclesiasticos,
loca eorum et bona protegant et tueantur; rempublicam
cifice gubernent, et pupillis, viduis, advenis et pauperibus
titiam faciant, et omnes fideles turbatos consolentur prae-
ndo adjutorium, dum invocati fuerint. Insuper prohibuit,
cum infidelibus nullo pacto foederarentur, sed eos, quantum
ssibile fuerit, de terris Christianorum longius ejiciant, et
xime, ut omni conatu ad hoc adspirent, quatenus terra
ncta et sanctissimum sepulchrum de manibus infidelium
ipiatur, et reges, principes, duces, comites, marchiones
caeteros armatos ad hoc inducant, ut terrae sanctae sub-
niatur quantocius, et in ejus succursum omnes animent et
cessitatem et miseram subjectionem sepulchri fidelibus inti-
are studeant omni cum diligentia, et quod ipsimet omni hora
rati sint procedere pro defensione terrae sanctae

quiete in cultu Cereris, Bacchi et Veneris. Sed considerabant, vacuum esse inertiam sectari, et vitiosum, supradictis animum applicare. Idcirco rationem consulentes ardenti desiderio ad militaris dignitatis fastigia se extenderunt, non cujuscumque militiae, sed nobilioris et excellentioris, quae in hoc mundo acquiri potest. Et haec est militia sanctissimi dominici sepulchri, omnium militiarum optima et nobilissima. Et hoc potest multis rationibus [demonstrari] quae jam statim subjiciuntur.

Primo, quia militia illa est divinior, utpote in actu virtutis latriae accepta: accipitur enim genubus flexis in actu venerationis sancti sepulchri, nec invenitur nobilis aliquis, qui dicat, se propter militiam principaliter in Jerusalem venire, sed principaliter propter venerationem locorum redemtionis nostrae, qui actus ad latriam, divinam virtutem, pertinet. Dicunt enim, et frequenter a militibus audivi, quod si loca sancta in Jerusalem non essent, numquam, etiam si mille militias accipere ibi possent, mare transirent; sed loca sancta illos movent, ideo divinior est haec militia, quam aliae.

II. Haec militia est sanctior, quia in sanctiori loco totius mundi confertur, hoc in loco resurrectionis Domini Jesu Christi.

III. Militia haec est spiritualior, quia non confertur nisi contritis et confessis et eucharistiae sacramento munitis in loco spirituali a persona (185 A) spirituali et a Fratre humili.

IV. Est virtuosior, quia militia haec non est admixta vitiis. Aliae enim militiae habent aemulationem, iram, invidiam, superbiam et plura alia vitia annexa; haec autem quantum est in se, tota est virtuosa.

V. Haec militia est decentior. Valde quippe bene decet, ut Christianus, miles esse volens, in illo campo militiam accipiat, in quo rex suus contra potentissimum praevaluit. Dico autem regem nostrum Christum, et campum Golgatha locum, in quo diabolum prostravit.

VI. Militia haec sancti sepulchri purior est et mundior, et innocentior, nullo enim humano sanguine inquinatur sicut aliae, quae ut communiter sunt immundissimae, quia dantur quando grandis instat sanguinis effusio humani. Et quod his

eterius est, militiam acquirunt in sanguine humano christiano, i sanguine fraterno. O maledicta militia ista, et Deo dislicita! David, rex sanctus, non fuit permissus aedificare mplum Domini, eo, quod vir bellator fuit, et multum sanuinem humanum fudit, ut habetur 1. Paral. 22. et 28. Et men notum est, quod non effudit nisi sanguinem incircumisorum et infidelium, quorum sanguinem ex jussu Domini ei effudit. Si ergo sanguis ille idololatrarum virum sanctum lum immundum reddidit, quod non potuit aedificare templum, uid tunc faciet sanguis nobilissimus Christianorum fidelium, uantam immunditiam inducit in eum, qui ejus effusor est? Nonne coinquinatum militem et sordidum reddit? Non sic ostra innocens militia hierosolymitana christiano sanguine ordida, sed potius mundat militem, ut christianus sanuis defendatur. Accipiunt enim militiam in loco, ubi innoentissimus sanguis Christi effusus est pro omnibus hominibus. deo abhorrent omnem humanum sanguinem effundere, nisi ogantur ad defendendum Christi sanguinem noxium sanguiem fundere.

VII. Militia haec est rationabilior. Ratio enim dictat, uod aliqui sint in populo christiano, qui fidem gladio defeuant, et injustitiam cõerceant armis, et inobedientes vi comellent intrare. Hoc est officium militum sancti sepulchri, t patet superius. De his autem nulla fit mentio in susceptione militiae in alio loco.

VIII. Militia haec est amicabilior. In nullius namque praejudicium fiunt milites in Jerusalem. Alii autem sunt milites contra partem adversam, et in praejudicium alterius ultis modis.

IX. Militia nostra est laboriosior. Quis enim explicabit abores militis sancti sepulchri, quos habet non pro militia cquirenda, sed pro Dei honore et animae suae salute?

X. Haec militia est periculosior. Nam labor sine periculo on reputatur magnus, imo labor parvus cum magno periculo agnus judicatur. Sed utrumque est in nostra militia, et abor magnus, et ingens periculum, ut patet per totum evaatorium.

XI. Nostra militia est miserior, cum multis enim miseriis et (BB) calamitatibus acquiritur, etiamsi bursam plenam habeat peregrinus pecuniis.

XII. Haec hierosolymitana militia est prudentior, propter varias experientias, quas homo in ea percipit: nobilis, proficiscens in Jerusalem, multa experitur de cursu mundi, in mari, et in utraque parte maris, de hominum moribus et differentiis. Accipit enim notitiam de fidelibus et infidelibus, quia videt et commoratur Christianis, Turcis, Sarracenis, Mamaluccis, Tataris, Arabibus, Judaeis, Samaritanis, Mauris, Graecis, Nubianis, Jacobitis, Abessynis vel Indis, Georgicis, Armenis, Ungaris, Dalmatis, Pannonibus, Achaicis, Italicis, Gallicis, Anglis, Teutonicis, et breviter omnium orientalium et occidentalium notitiam accipit, si est vir considerativus. Praeter haec experitur clarae militiae homo, quis sit amicus vel inimicus, quis sit fictus vel verus, quid stet bene vel male, quid sit fortuna, quid diffortunium, quid virtus, quid vitium, quanta sit differentia inter hominem bonum vel malum. Sed et hanc experientiam optimam accipit, quae omnibus iam dictis praestantior est, quod in hac peregrinatione homo incipit se ipsum ex intimis cognoscere, suam sapientiam et imprudentiam, suas varias affectiones et passiones, suas inclinationes et abominationes, suas virtutes et vitia. Et pro certo dico, quod in XL septimanis homo in hac peregrinatione magis se ipsum agnoscit, quam alias in XL annis. Fateor, numquam meas imperfectiones et miserias melius et clarius vidi, quam in illa evagatione, et praecipue in galea super mare, et sub tentorio in deserto, in his enim locis nihil manet in homine occultum. Scio, quod socii et domini mei nobiles melius me cognoscant et omnes conditiones meas, quam Fratres Ordinis, cum quibus XXX annis degi, et ego milites illos melius nosco, quam uxores eorum, aut parentes, aut filii aut servi eos noscunt. Nemo enim potest in his miseriis et casibus peregrinorum se apud se continere, sed omnia latentia suis horis procedunt in actum, quia est ibi continua agitatio. Alii milites in curiis regum facti, vel in ponte Tyberis, vel in proeliis, paucas accipiunt experientias.

XIII. Nostra militia est dignior. Quia milites sancti sepulchri ab omnibus, tam spiritualibus quam saecularibus, praeferuntur.

XIV. Est etiam potentior et majoris auctoritatis ex eo, quod confertur auctoritate sanctissimi domini Papae, et serenissimi domini Imperatoris. Alii vero nonnumquam efficiuntur milites et contra Papam, et contra Imperatorem, vel praeter eos, et sine jussu et scitu eorum; ideo sunt nullius auctoritatis.

XV. Militia nostra est nobilior et ipsa alias nobilitat, non vero e contrario. Vidi multos, qui facti fuerunt milites per Imperatorem, et in proeliis, et tamen militiae signa ferre solebant, quousque (186 A) in sancto sepulchro fuerunt percussi in milites. Scio unum nobilem, quem Imperator percussit militem in quodam proelio, et rex Ungariae in alio bello, et rex Bohemiae in tertio, et tamen semper concessit se pro simplici nobili, quousque quarto in dominico sepulchro milit factus, et tunc rediit, et insignia militaria portavit, et hodie gloriosus miles est cum multis equitans famulis.

XVI. Militia nostra est mirabilior. Omnes enim quodam modo mirantur sancti sepulchri militem, pro eo, quod inter Sarracenos infideles et in dominico sepulchro accepit militiam.

XVII. Est militia magis venerabilis. Habent enim milites sancti sepulchri locum super alios, eundo, stando, sedendo, loquendo, manus lavando, comedendo etc.

XVIII. Militia nostra est spectabilior. Nam quando miles sancti sepulchri loqui incipit de sua militia, de loco suae militiae, de his, quae sibi acciderunt, omnes eum intuentur, et aperto ore auscultant, quid dicat.

XIX. Est acceptabilior nostra militia. Nobilibus et ignobilibus sunt milites sancti sepulchri accepti, parum alii milites curantur, imo potius abhorrentur, tamquam inhumani, feroces, terribiles.

XX. Militia nostra est virilior. Parum enim est, cuneos hostium penetrasse semel, vel hostes vidisse, sed multum est, saepe in mortis periculis fuisse, sicut est in nostra militia.

XXI. Militia haec est strenuior, quia undique virum virosum requirit.

XXII. Nostra militia est justior. Nam omnes aliae militiae habent aliquas injustitias annexas et improbitates, haec autem divinae et humanae justitiae innititur et legibus imperialibus et papalibus regulatur.

XXIII. Est militia nostra magis approbata et reborata. Saepe enim contingit, quod milites in uno loco facti non tenentur ab aliis pro militibus, sed deridentur, et milites muliebres vel milites cattarum nuncupantur, nec adversa pars pro militibus tenet contra se factos. Quod totum non est in hac militia, sed omnes pro militibus tenentur.

XXIV. Nostra militia est antiquior. Semper enim a passione Christi transmeantes propter loca sacra pro militibus habiti sunt.

XXV. Haec militia est magis desiderabilis. Quod ex hoc patet, quia illi, qui alibi facti sunt milites, non stant contenti, sed ultra acceptam militiam desiderant nostram. Insuper tanto desiderio miles sancti sepulchri accenditur, quod ad locum, ubi acceperit militiam, regredi desiderat. Communiter enim illi, qui in terra sancta fuerunt, iterum redire vellent, etiam nullis obstantibus periculis. Sic non de aliis.

XXVI. Est nostra militia ordinatior. Nam antiquus ritus illius militiae fuit, quod nullus ad eam acciperetur, nisi ingenuus a quatuor progenitoribus et spectabilis genere esset in tota parentela (B). Quamvis ritus ille non exacte servetur jam, quia etiam ignobiles in milites percutiuntur, sicut et in alia militia.

XXVII. Militia nostra est humilior et patientior. Alii milites dediguantur cum aliis simplicibus, qui non sunt nobiles, habere consortium, et invident fortunae minorum se. Sed non sic milites sancti sepulchri, qui nullum spernunt, omnes secum patiuntur proficisci et neminem abjiciunt. Transfretant enim in Jerusalem cum monachis, presbyteris, mercatoribus, mechanicis, mendicis pauperibus, imo transeunt cum mulieribus et vetulis, cum Beginis et monialibus, nec curant fatuas oblocutiones derisorum, qui dicunt, militiam sancti sepulchri esse muliebrem propter vetularum concomitantiam. De quarum societate non solum non verecundantur, imo gaudent, et inde quaerunt sibi laudem, quod militiam suam temporalem in tali

loco accipiunt, in quo moniales Beginae et vetulae, et monachi et sacerdotes, et quique devoti fideles quaerunt confortationem in sua militia spirituali, et gratiae Dei augmentationem.

XXVIII. Nostra militia est difficilior. Nam apud reges et principes et in proeliis confertur militia cum quodam triumpho et gaudio et cum solatiis, haec autem est tota seriosa et poenalis, nulla gaudia et solatia habens, sed plurimas miserias.

XXIX. Militia haec est majoris audaciae. Ille enim, qui mare transit audacter, vitam suam morti exponit magis quam ille, qui ad bellandum vadit, vadit enim armis munitus, et cavere potest pericula, et omnino fugere praesidium quaerens. Sed haec omnia non prosunt militi sancti sepulchri contra sua pericula tam in mari quam in terra sibi imminentia, oportet enim eum sic esse inter paganos, ac si esset insensibilis, et percutienti non resistere, ut vere illud possit dicere Prov. 4. 23: percusserunt me, et non sensi, vulneraverunt me, et non dolui. Sicut patet fol. 77. B.

XXX. Militia illa est remotior, in medio mundi. Et illi milites, qui vadunt ad sanctam Catharinam, attingunt tres principales partes mundi: Europam, de qua exeunt; Asiam, quam pertranseunt; Africam, quam circa Alexandriam attingunt. Alii milites prope manent pro sua militia.

XXXI. Nostra militia similior est et uniformior. Nam milites alii, etiam in eodem bello percussi, jactant se, et unus alteri se praefert, et ab aliis quidam aliis praeferuntur, meliores esse milites, et militiae gloriam melius meruisse, et nonnumquam in curiis regum graves inimicitias contra se ob id habent: his frascis omnibus et sordidis laudibus caret nostra hierosolymitana militia, quia omnes aequaliter eam merentur, et nobilis miles factus non minus est miles, quam rex ibi percussus.

XXXII. Illa nostra militia est communis, sic, quod omnes nobiles ibi percutiuntur de oriente et occidente, senes et juvenes.

XXXIII. Haec nostra militia est securior, quia omnia, quae ibi aguntur, sunt virtuosa et divina, quod longe abest aliis.

XXXIV. Est honorabilis omnibus hominibus. Nam hos milites Imperator honorat, reges, principes, comites et barones, similiter Papa, cardinales, episcopi, et omnis clerus et religiosi, plebeji et vulgares, senes et juvenes.

XXXV. Militia nostra pretiosior est, quia majori pretio et pluribus expensis acquiritur, praesertim si milos peregrinatur ad sanctam Catharinam. Etsi in alia militia major expenditur pecunia, hoc fit vel inutiliter, vel ad saecularem pompam, vel ex prodigalitate, quod totum non habet locum in nostra militia.

XXXVI. Nostra militia est magis disciplinativa. Videmus enim communiter, quod milites sancti sepulchri sunt magis modesti et disciplinati, seriosi et melius morigerati, quam illi milites bellorum.

XXXVII. Est nostra militia fructuosior multis viis et modis. In militia enim nostra miles absque libris studet multa veteris et novi testamenti facta, cum per loca sancta circumducitur. Inde est, quod milites illi ut communiter plus et clarius et certius sciunt loqui de historiis Bibliae, de passione Domini, et de aliis, quam multi sacerdotes. Ut patet fol. 9. A. Ibi miles multis experientiis prudens efficitur, ut patet in 27 articulo. Et praeter haec ibi conteritur, confitetur, indulgentias copiosissimas consequitur, ex quibus omnibus multus fructus crescit in omnia. Vide fol. 8. A.

XXXVIII. Militia nostra est fidelior, quia valde firmi et boni catholici sunt communiter milites sancti sepulchri, vident enim ad oculum, quod nostra fides est ratiocinabilior et virtuosior quam quorumcunque aliorum, de qua fide nulla habetur cura in alia militia.

XXXIX. Patet ex omnibus praefatis, quod nostra militia est magis meritoria vitae aeternae, quam vitam alii milites non solum non merentur, sed demerentur, cum communiter vitiosi actus ad eam requirantur.

XL et ultimo. Militia nostra hierosolymitana est felix militia. Miles enim sancti sepulchri in peregrinatione existens felix profecto est, quia, si in via moritur, statim evolat, nec purgatorium intrabit. Vide de hoc sanctum Thomam in Qu. V. Qu. VII. 7. ar. 2. Insuper, sicut felix est, qui in superna coelesti Jerusalem Deum contemplatur, sic suo modo felix est,

qui in terrestri Jerusalem mysteria coelestia imitatur. Et sicut felix est, qui Christum in gloria videt, et beatissimam Virginem Mariam, patriarchas, prophetas et apostolos: sic felix est, qui Christi vestigia et beatae Virginis, prophetarum et apostolorum imitatur et deosculatur. Insuper, sicut felix dicitur, qui felicitatem certa spe habet: sic qui Jerusalem terrestrem vidit, felix est, quia dicitur, quod illi, qui civitatem sanctam Jerusalem ad Dei laudem adierunt et viderunt, indubitanter etiam et procerto in coelestem Jerusalem intrabunt, et ibi regem in suo decore videbunt, quem in terrestri Jerusalem in praesepi, in cruce et in sepulchro quaesiverunt. Quid hoc dictum veritatis habeat, nescio, sed spero. Ex his patet praeeminentia militum sancti sepulchri supra alios milites. Ad hos milites hierosolymitanos scribit S. Bernhardus sermonem longum, in quo eorum conversationem et vitam militarem describit et vitia reprehendit militum carnalium in IV capitulis.

De divino Officio illius noctis in S. sepulchro peracto.

Militum creatio sive percussio in dominico sepulchro fit modo dicto, fol. 184 B. Longam autem accepit moram, antequam omnes percuterentur, nec potueramus Missas celebrare ante finem percussionis. Vigilavimus tamen omnes et loca sancta cum luminibus perlustravimus. Porro vigiliam illius noctis et peregrinationis per loca sancta templi et jejunium et orationes meas ac devotiones, quae, pro dolor! tepidae, taediosae et paene inutiles erant, ordinavi pro his, quibus promiseram, quod in locis sanctis memoriam eorum habere vellem, et pro meis dilectissimis fratribus, et benefactoribus, qui mihi manum adjutricem porrexerant, contribuentes impensas ad illa sanctissima loca. Medio enim tempore, quo milites percutiebantur, ascendi ad sanctum montem Calvariae, et accenso lumine et atramento posito ante me, sedi juxta rupem sanctissimam, in qua sancta crux cum Crucifixo steterat, et omnium conscripsi nomina, pro quibus orare in singulari promiseram, et pro quibus tenebar. Et nominibus signatis, sicut in litaniis, accessi cum charta ad ipsam rupem sanctam, et ibi genu flexo

ipsam chartam super rupem sanctam posui, et pro quolibet signato et pro aliis, qui memoriae occurrebant, orationem singularem fudi cum devotione tantilla, quantam Deus sua benignitate mihi miserrimo dignatus est dare, supplicans Deo, ut in virtute efficacissimae orationis, ibi in cruce factae, hanc meam exilem orationem acceptare dignaretur, et si non propter mea merita, tamen propter merita eorum, pro quibus orationem fundere decreveram vivorum et defunctorum. Deinde ad alia loca sancta descendi cum charta, et eam super sanctissima loca expandi, commendans inscriptos generaliter et singulariter.

Iam autem medium noctis transerat, et militibus expeditis Missas legere incepimus in quatuor locis signatis fol. 110 in 6 art. Et habui locum in loco unctionis corporis Domini illo mane, et in Missa habui chartam cum nominibus carorum meorum ante me, et ipsam Missam pro eis ordinavi. Die autem facto cantavimus summam Missam in dominico sepulchro de resurrectione Domini, ut patet infra fol. 180 B. Et ita finitum fuit Officium.

Postquam autem omnia completa fuissent, et dominos Mauros exspectaremus, ut nos emitterent, ecce, subito orta est concertatio et corrixatio inter nobiles milites novellos, et tumultus gravis, ex eo, quod quidam de peregrinis se ingesserat, et miles factus fuerat, qui tamen multis rationibus (in-) habilis erat. Erat quidem bonus et jocundus socius, sed dignitati militiae disproportionatus. Hunc peregrini milites, comites et barones, pro temeritate increpabant, alii vero milites sibi consocii eum defensabant, et ita contra se in sancta ecclesia stabant et conclamabant. Cum autem ad Fratrem Johannem memoratum fol. 183 B caussa devoluta fuisset, convocavit omnes milites in ecclesiam golgathanam ante altare majus, et illum, propter quem litigium ortum fuerat, per nomen Dei adjuravit, et omnes suos socios, ut dicerent conditiones illius viri. Quibus auditis, declaravit dictus Frater Johannes, illum nullo modo esse militem, nec pro tali habendum. Et ita res illa fuit (183 A) quietata et pacificata. Et ille bonus socius a militia fuit absolutus. Statim autem adhuc nobis de hac re loquentibus venerunt Mauri et nos de templo ejecerunt, et

ad loca nostra transivimus ad manducandum et quiescendum. Illa vice non ascendi cum fratribus ad montem Syon, sed rogatus a dominis meis novellis militibus, ut cum eis illo die in hospitali manerem et aliquem sermonem pro commendatione militae sacrae eis facerem, quod et feci in hunc modum, licet vulgari et teutonico sermone, cum latino sermone iguari fuerint, dum illi saeculares.

Exhortatio militum, ut exsequantur ea, ad quae se obligaverunt in susceptione militiae in S. sepulchro.

Zelus devotionis et Dei magni amoris, milites optimi, in vobis spiritum excitavit, quo tamquam viri magnanimi sic allecti estis ad obsequia Redemtoris, ut vobis delectabile putaretis, velle rem propriam exponere derelicto solo natalis regionis, quaerentes has peregrinas et sanctas, pio quidem moti proposito, ut scilicet loca haec sanctissima venerantes deoscularemini et indulgentias consecuti militiae sacramentis informaremini, in qua sacra militia usque ad mortem fideli certamine contra hostes fidei et crucis aemulos et ecclesiae Dei inimicos luctaremini. In hac itaque pia vestra intentione, precor et hortor, perseverate, et animas vestras, quas pro militiae consecutione in multiplici periculo posuistis, nunc ad exsecutionem ejus viriliter extendite et singula, quae spospondistis in militiae susceptione, totis viribus adimplere conamini, et hoc spiritu mentis vestrae renovemini de die in diem, ut semper induti novo homine, qui secundum Deum creatus est, protecti sitis armatura Dei, qua possitis stare adversus insidias diaboli. Accendantur, oro, ut ignis, corda vestra ad zelandum ea, quae Dei sunt, praecipue tamen ad dominici sepulchri et terrae hujus sanctae necessitatibus succurrendum, et affectus auctis piae considerationis ardoribus inflammetur, et sub spe coelestis auxilii proelium Domini proeliate. Accendatur unus quisque gladio suo potentissimo super femur suum ad ulciscendas Dei injurias. En, vident in praesentiarum oculi vestri, quod praeclara nostri Salvatoris haereditas, proh dolor! versa est in alienos; et locus ille sanctissimus, ubi coeli regem Virgo puerpera genuit, locus Redemtoris nostri pretio-

sissimo cruore perfusus, locus, ubi poni meruit dominici sepulchri fundamentum, et locus, quem resurgens Christus a mortuis suae resurrectionis gloria multipliciter illustravit, alienarum subvertitur imperio nationum. Quis igitur, nisi ferreum pectus habens, vel adamantis durissimi cor gerens, terrae illi non aperiat viscera pietatis? Quis non provocetur ex intimis, quis non accendatur ad iram, et animetur audacter ad actum debitae ultionis? Absit, ut miles sancti sepulchri relinquat arma rubigini. Absit, (B) ut animum neget victoriae, cum non desit victoribus corona gloriae. Milites enim Christi, qui contra infideles arma sumunt, quam secure, quam sancte proelia Domini sui et sponsae ejus ecclesiae proeliantur, quibus metuendum nequaquam sit aut de hostium caede peccatum aut de sua nece periculum, quando quidem mors pro Christo ferenda sit vel inferenda. Miles inquam talis et securus interimit, aut interit securior, quia et sibi praestat obsequium cum interit, et Christo cum interimit, neque dum occidit malefactorem homicida, sed ut ita dixerim malicida, et plane vindex et defensor reputatur Christianorum. In morte enim pagani Christianus merito gloriatur, quia Christus glorificatur. Expergiscimini ergo, milites strenuissimi, et ad ulciscendam Dei nostri injuriam et populi christiani opprobrium consurgite ad instar quondam robustissimorum Machabaeorum, et occisis aut profligatis perfidis in christianae reipublicae haereditatem Domini reducere studete. Et quidem illatis quisque suis subditis injurias ulciscitur, et Dei sui non vindicabit injurias tam atroces? Ad haereditatem quilibet suorum manus invasorum extendi non sustinet, et patienter haereditatis dominicae tanto tempore detentores sustinebit? Ne igitur, qui crucem adorant, in Crucifixo dissimulent, quod juste non tolerarent in homine. Pungat ergo mentes et animas vestras contumelia Redemtoris, et zelus fidei ejus corda accendat, et nequaquam formido retrahat ab hoc gloriosa pugna, in qua semper est victoria et perpetuae gloriae corona.

Orationis finis. Oratione hac finita regratiabantur mihi milites plurimum, et se ad terrae sanctae redemtionem paratissimos esse dicebant, dummodo reges, principes et duces christiani populi eodem zelo accensi praecederent, sine quorum motu nemo ad

proposita utiliter movetur, cum res haec grandis non nisi per populos totius occidentis agi valeat, sicut anno Domini octingentesimo secundo Carolus Magnus Imperator vocatus a patriarcha hierosolymino Zacharia et ab Imperatore Constantinopolitano cum toto occidentali populo orientem ingressus civitatem sanctam et totam terram de manibus infidelium Sarracenorum eripuit. Quibus iterum amissis et per Sarracenos possessis expulsis Christianis exules fuerunt a terra sancta ultra CC annos. Post quos surrexit infatigabilis et illustrissimus dux Lotharingiae, Gottfredus do Bullion, anno Domini 1099, et collectis electis bellatoribus totius occidentis intrepide terra marique transgresso post plurimam infidelium stragem, usque Jerosolymam devenit, in qua erant XL millia Sarracenorum armatorum, demto communi populo, et urbem nostri milites 39 diebus obsederunt, et capta civitate in templo, quod nominant Salomonis, et in ejus atriis Christiani cum paganis bello conserto tanta in eos coede debachati sunt, ut in sanguine occisorum equitarent usque ad genua equorum, et ita iterum (189 A) dominicum sepulchrum per illos illustrissimos milites ad suos possessores devenit, et mansit apud eos nonaginta octo annos, et deficientibus tandem auxiliis occidentalium regionum et Deo populo christiano irato propter eorum peccata, ut fol. 189 B. [dictum est], Jerusalem iterum capta est ab infidelibus, et tenta manet usque in hodiernum diem, jam per trecentos annos usque ad infelix hoc tempus nostrum. Et bene infelix tempus nostrum dixerim, in quo fidei vespera mundo advenit, nocturumque chaos fraudis abundat. Languet justitiae lucifer, hujus vix umbrae remanet umbra superstes. Nam lex recessit a sacerdotibus, a principibus justitia, consilium a senioribus, a populo fides, amor a parentibus, a subditis reverentia, charitas a praelatis, religio a monachis, a juvenibus honestas, disciplina a clericis, a magistris doctrina, studium a saecularibus, a judicibus aequitas, protectio a militibus, a civibus concordia, timor a servitoribus, a rusticis communitas, veritas a mercatoribus, a nobilibus virtus, castitas a virginibus, a viduis humilitas, dilectio a conjugatis, a mulieribus verecundia, patientia a pauperibus etc. Ita agmine praecipites per antra criminum et mundi aream tetra caligine

coeci aberramus. O infidus rerum mortalium status, et sine te, Deus bone, calamitosum omne quod vivimus! O tempora et mores! Tempora turbatissima! Tempora calamitosa! Mores reprobi! Mores perditi et cleri et populi!" Tempus, de quo tandem dicitur: venit summa dies et ineluctabile tempus. Tempus, in quo juxta vetustum prophetae vaticinium omne caput languidum, et omne cor moerens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo ulla sanitas. Propter peccata ergo nostra et iniquitates parentum nostrorum Jerusalem et terra illa et sancta loca in opprobrium nostrum subjecta gentibus dehonestantur et conculcantur a canibus, atque a perfidis jam ecce CCC annis profanantur, et in sanctissimi nominis Christi dedecus maledictis illis Sarracenis et blasphemis manet subjecta, neglecta adeo u nostris et inculta, tantisque repleta haeresibus et malis, nostrorum haud dubio culpis et negligentiis. Nec modo lugendum devoto cuique Christiano hisce pensatis aerumnis, sed et recurrendum assiduis ad Deum precibus, clamandumque ad Deum in fortitudine, incessanterque orandum, quatenus vel reliquae parti sortis suae misereatur, illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri, gentemque auferat perfidam credentium de finibus, ut sibi laudes debitas persolvamus alacriter, Amen.

Si cui placet legere luctuosam orationem super desolationem terrae sanctae et civitatis Jerusalem, et lamentabilem deplorationem ecclesiae orientalis, et miserabilem planctum ecclesiae occidentalis super ejus vitioso et miserrimo statu, et fidelem exhortationem regum, principum et nobilium occidentalium, videat peregrinatorium domini Bernhardi de Braitenbach, decani ecclesiae Moguntinensis, compositum ornate per egregium sacrae theologiae magistrum Martinum Roth, studii Heidelbergensis regentem, Ordinis Praedicatorum; et ibi videbitur clare de omnibus antedictis, videbit etiam brevibus verba alia, quae ego multis expressi, et concordantiam ipsius peregrinatorii et mei evagatorii inveniet, demto, quod ego ex industria, coactus ratione, quandoque mutavi dies, dicens: hoc factum tali die, quod ipse alia die factum dicit, in quo nulla vis aut discordantia, cum etiam apud evangelistas hoc factum fuisse constet legenti scripturas.

De Officio divino et expulsione peregrinorum ab ecclesia dominici sepulchri.

(B) Interim militibus creatis incepimus celebrare et peragere Officia divina, et in loco innunctionis Domini habui, ibique de S. Alexio, cujus instabat festivitas, celebravi, quia verus peregrinus fuerat, et clara jam facta die laetissimum cantavimus Officium in dominico sepulchro de resurrectione Domini, sicut cantatur in die paschae. Post quod venerunt Sarraceni, nosque ejecerunt modo dicto fol. 121 B. Et unusquisque contulit se ad locum suum, et noctem sequentem egimus in monte Oliveti, occulte tamen, orantes et quiescentes in specu agoniae Mariae, ante autem lucem claram in montem Syon reascendimus ad Missas.

De transitu peregrinorum a Jerusalem in montana Judaeae ad domum Zachariae, ubi Maria salutavit cognatam Elisabeth.

Decima octava die mane venerunt ductores nostri cum asinariis et asinis in montem, et convocatis peregrinis omnibus sedimus super bestias nostras et de Jerusalem egressi sumus ad australem plagam cum magna festinatione, et in montana Judaeae processimus per vias asperas. Sunt enim montana illa aspera quidem et petrosa, sed fructuosa, fructibus et ficibus et olivis plena. In his pervenimus ad domum quandam, in alto situatam, magnam et altam, destructam, quam tamen dicunt fuisse domum sancti senis Simeonis, qui Christum in ulnis suscepit in templo Domini, Luc. 2. Haec domus multa habet testudinata habitacula, et in ejus summitate est respectus ad Jerusalem et ad Bethlehem. Juxta hanc domum hymnum Simeonis decantavimus: Nunc dimittis etc., et indulgentias recepimus (†). Et inde progressi in vallem valde fertilem descendimus et ad locum declivem inter macerias processimus. In illo monte aedificaverunt Macchabaei fortissimi fortalitium valde munitum contra incursum gentium, dictum Bethsura, id est, domus acerba, sive domus fortitudinis. De quo habetur 1 Maccab. 4 et 6 cap. Hoc fortalitium dolo

cepit Antiochus junior et multas molestias ex eo intulit Judaeis, ut dicitur 2 Maccab. 11 et 13.

Ab alia parte montis est fons ille, in quo Philippus baptizavit eunuchum, ut suo loco patebit.

De Bethsura est respectus usque in Jerusalem, et poterant hi, qui in Bethsura habitabant, dare signa his, qui in arce Syon erant, et e converso, tempore bellorum. Consequenter autem Bethsuram posttergavimus et per vallem descendimus.

De fonte beatissimae Virginis Mariae.

Post descensum satis longum venimus inter duos monticulos ad unum fontem in medio monticulorum emanantem, rigidas, claras et sanas aquas habentem, qui effluens vallem pertransit ipsamque irrigat et foecundat, et perutilis est illi patriae. Hunc fontem dicunt meritis beatissimae Mariae Virginis primitus ad ejus praesentiam emanasse, quando de Nazareth ascendit et Elisabeth tribus mensibus servivit. Volebat enim beata Virgo aquam recipere, et puerperae Elisabeth portare tam ad domum inferiorem quam ad superiorem; siquidem Zacharias dives erat sacerdos, et in eodem loco villam habuit, hortos olivarum, ficeta et vineta, et in utroque monticulo habuit domum, et familiam pro se, et pro bestiis alendis, et alternatis vicibus mansit nunc in (190 A) illa, nunc in ista, secundum temporis qualitatem, et fons in medio stabat et utrique domui deserviebat. Illo vero tempore, quando beata Virgo venit ad salutandum et serviendum Elisabeth, habitabant in domo, quae humiliori loco stat, sed quum tempus pariendi Johannem baptistam appropinquabat, in superiorem domum ascendebat ipsa Elisabeth cum beata Maria Virgine, et obstetricibus et famulabus. Zacharias vero cum viris et servis inferius manebat. Olim enim non manserunt viri in domibus puerperarum, quamdin tempus puerperii durabat.

De loco, in quo Elisabeth a beata Virgine salutata fuit.

Cum ergo de fonte beatae Virginis bibissemus, etiam jejunado stomacho processimus ad latus sinistrum contra

primam domum Zachariae, inferiorem, et cum ad eam venissemus, firmiter clausam reperimus, ad quam lapidibus et fustibus et baculis pulsavimus, sed nemo respondit nobis. Circuibant autem juvenes Sarraceni domum, quaerentes locum, per quem muro ascenso intrarent, et nobis aperirent. Erat autem in ea Sarracenus quidam, homo bestia, qui dissimulavit nos se audire, sed cum videret juvenes Sarracenorum, qui currebant nobiscum, ut alium quaererent locum intrandi, descendit ad ostium et eo patefacto stabat cum fuste in ostio, et uxor ejus cum titione, et observabant, ne quis intraret, quousque sibi aliqua pecunia daretur; quae cum sibi data fuisset, remisit furorem, et ingressum indulsit. Statim autem ut ingredi incepimus, inchoavit cantor alta voce canticum beatissimae Virginis Mariae: Magnificat anima mea etc. Et cum illo cantu ad locum venimus, in quo Maria Virgo Elisabeth salutavit, Johannes in utero exultavit, Elisabeth resalutavit et prophetavit, Maria carmen dulcissimum decantavit maximo mysterio repletum, cujus quodlibet verbum aliquo magno sensu est impraegnatum. In illo ergo loco in orationem procidimus et indulgentias plenariae remissionis accepimus (††). Singularem namque laetitiam in hoc loco habuimus cum beatissima Virgine Maria, quae hoc ineffabile gaudium, quod per angeli salutationem in secreto cordis sui reclusum et absconditum gerebat, hic in publicum amicabili salutatione et dulci cantico promebat. Sed et pueri ambo in maternis uteris ad matrum conventionem resultabant et gaudebant, sicut et ambae matres insolita laetitia affectae erant. In beatissima Virgine Maria omne gaudium, quod in angelica salutatione receperat, hic renovatum fuit, et quodammodo completum. Et si fas est dicere, majus gaudium hic videtur habuisse. Angelus enim in Nazareth ipsam salutans dixit: Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Sed Elisabeth voce magna clamavit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Notum (B) est autem, quod beatissima Virgo Maria plus dilexit incomparabiliter fructum ventris sui, quam se ipsam; et ad ejus honorem plus gaudebat, quam ad proprium. Angelus autem solum benedictam dixit, sed Elisabeth eam benedictam proclamat et fructum ventris sui, et in hoc gaudium

Virginis augmentat. Unde ad angeli salutationem non legimus beatam Virginem laetitiae canticum depromsisse, sed ad salutationem Elisabeth jocundissime dixit: Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus etc. In hoc ergo loco angelica salutatio fuit completa et perfecta. Ideo omne gaudium, quod nos peregrini habuissemus in Nazareth, ad quam venire non potuimus, hic nobis accepimus, et tam cum angelo, quam cum Elisabeth repetitis vicibus: Ave Maria diximus, oscula dantes Virgini, sicut Elisabeth et salutavit et osculum dedit. Dicit enim devotus Bernhardus: Est tibi, o Maria, quasi osculum, audire hunc versiculum angelicum: Ave Maria. Et totiens oscularis, quotiens per Ave salutaris. Ad hanc enim salutationem coeli melliflui sunt, stellae rident, angeli jubilant, mundus exultat, daemones contremiscunt, inferna tabescunt, justi gaudent, peccatores sperant. Quapropter apud plurimos consuetudo inolevit, quod ad quamlibet orationem dominicam addunt semper Ave Maria, etiam in horis canonicis; quod tamen nonnulli dicunt non debere fieri, cum in ordinariis et notulis et rubricis de horis dicendis nulla fiat mentio de Ave Maria, cum Pater noster dicere praescribitur.

De hac re orta fuit disceptatio, ut a quodam accepi, inter praepositos et canonicos ecclesiae Batavienſis. Praepositus volebat, quod ad Pater noster adderent semper Ave Maria; canonici vero et clerus nolebant, dicentes, sibi non esse praescriptum in rubricis. Tandem autem pro pace et concordia facienda causa fuit ad Papam devoluta, qui ad partem affirmativam pro praeposito diffinivit, et bulla confirmavit, dicendum esse Ave Maria post Pater noster.

Denique nostris temporibus innovata est antiqua Sanctorum consuetudo, qui solebant cum quinque Pater noster Deum orare, et cum quinquaginta Ave Maria beatissimam Mariam Virginem salutare frequentius in gratiarum actionem pro operibus redemtionis nostrae. Hanc salubrem consuetudinem paene abolitam in nostris partibus renovavit magnis laboribus egregius sacrae theologiae professor M. Jacobus Sprenger, Ordinis Praedicatotum, Conventus Coloniensis. Hic Magister et ego fuimus, ut ita dicam, collactanei, ambo in Conventu Basileensi induti eodem anno, et anno revoluto professi in eisdem

scholis, sub eisdem magistris disciplinati, et hodie familiaritate sumus juncti. Hoc pro tanto recitare volui, quia magistrum illum venerabilem a juventute novi devotum Virgini Mariae, et a juventute usque nunc non desistit laudes gloriosissimae Virginis Mariae promovere et augmentare (191 A). Laboravit enim apud sedem apostolicam pro bulla indulgentiarum eamque obtinuit, in qua S. D. Papa Sixtus IV. magnas indulgentias concedit omnibus praefatum numerum Pater noster et Ave Maria ter in septimana dicentibus. Quam orationem rosarium beatae Virginis nuncupant. Hanc bullam ego vidi, perlegi et rescripsi. Quidam autem praefatam orationem omni die ter dicunt, et nominant eam psalterium beatae Mariae, et pro illis sunt impetratae plurimae indulgentiae, semel in vita, et semel in morte. Dicitur autem psalterium, quia sicut psalterium davidicum habet tres quinquagenas, ita et illud. Et primam quinquagenam ordinant in gratiarum actionem pro incarnatione et pueritia Christi. Secundam ad ejus passionem. Tertiam ad ejus glorificationem. Alii adhuc unam quinquagenam addunt, et XX Pater noster et CC Ave Maria dicunt singulis diebus, dicentes, quod liber psalmorum imperfectus est, nisi post: Laudate dominum de coelis, apponantur cantica veteris et novi testamenti, et hymni, et ideo quartam quinquagenam dicunt pro canticis et hymnis, ut sit psalterium perfectum. Aliam rationem, quare quatuor quinquagenas dicunt, assignant, quia non minus decens est, beatam Virginem et fructum ventris ejus benedicere pro virtuosissima et perfectissima vita Christi, quam pro incarnatione et pro ejus morte et glorificatione. Et ideo in prima quinquagena contemplantur incarnationem et Christi pueritiam. In II. actionem ejus et vitam. In III. passionem ejus et mortem. In IV. resurrectionem ejus, et suam, matris et nostram glorificationem. Et ut oratio illa magis esset ordinata, et minus taediosa, ordinaverunt unumquodque Pater noster cum annexis X Ave Maria ad gratiarum actionem pro aliquo singulari beneficio, quod contemplantur. Ut puta, primum Pater noster cum suis X Ave Maria dicunt pro gratiarum actione pro beneficio incarnationis. II. Pater noster cum suis X Ave Maria pro beneficio nativitatis. III. pro beneficio circumcisionis et nominis

Jesu honore. IV. pro regum oblatione. V. pro beneficio exinanitionis, quia oblatus in templo tamquam peccator, et mater purificata tamquam immunda. Et de fuga ac reversione de Aegypto, et de humili in schola residentia, et obedientia parentum. Et haec est prima quinquagena. Secundam sic ordinant: primum Pater noster cum suis decem Ave Maria dicunt pro beneficio baptismatis; secundum pro sustinentia tentationis in deserto, tertium pro electione et vocatione discipulorum; quartum pro virtuosa vita, doctrina clara et miraculis; quintum pro institutione sacramentorum et praecipue pro beneficio eucharistiae etc. Tertiam sic ordinant: primum pro omnibus intrinsecis Christi passionibus, fletibus et agonia in monte Oliveti; secundum pro captatione et castigatione per totam noctem; tertium pro accusatione, circumductione, flagellatione et coronatione, quartum pro sermocinatione, eductione, et crucifixione et omnibus, quae Christus vivens egit in cruce; quintum pro exspiratione, lateris apertione et sepelitione. Quartam quinquagenam sic (B) ordinant: primum Pater noster cum suis decem Ave Maria dicunt pro gloria resurrectionis; 2m pro excellentia ascensionis; 3m pro gratiosa Spiritus S. missione; 4m pro honore beatae Virginis assumtionis; 5m pro potestate judiciaria et pro pio judicio. Et est oratio illa devota et solatiosa, dum homo assuescit.

Insuper praefatus magister Jacobus contra aemulos beatissimae Virginis Mariae, qui detrahebant orationibus praefatis, ordinavit, quod materia illa de rosario et indulgentiis fuit disputata publice in universitate Coloniensi in quodlibetis, et inventum est, eam esse puram et utilem, et beatissimae Virgini acceptissimam. Et tantum pro hoc sufficiat evagatum me fuisse.

De loco, ubi Zacharias hymnum: Benedictus dictavit.

Post moram in loco praedicto habitam ascendimus de inferiori ecclesia per gradus lapideos supra testudinem, ubi quondam fuit pulchra capella, et in ascensu cantavimus hymnum: Benedictus Dominus, Deus Israel, quia etc. Quam fecit Zacharias repletus Spiritu S. in circumcisione pueri, ut habetur

Lucae 1. Cum illo ergo cantu ad superiora venimus, ubi erat habitaculum, in quo mutus Zacharias sedit, ibique postulato pugillari scripsit: Johannes est nomem ejus. Ibi etiam apertum est illico os ejus, et prophetavit dicens et cantans: Benedictus Dominus etc. Ibi ergo in oratione nos prostravimus et indulgentias recepimus (†). Demum, cum surrexissemus ab oratione, convertimus nos ad loci considerationem, et in sinistro pariete vidimus magnam ecclesiam afenestram [Ÿ], factam pro reservaculo. In hoc reservaculum intrusit Elisabeth suum infantulum, sanctum Johannem Baptistam, et abscondit, quando servi Herodis discurrerunt per fines illos ad quaerendum et occidendum infantes. Creditur enim, quod etiam in illam domum ascenderunt ad quaerendum infantes. Sed cum viderent suos senes homines, Zachariam et Elisabeth, non suspicabantur apud eos infantem aliquem et citius recesserunt, et puer Johannes mansit. Albertus tamen scribit super Luc. c. 1., Zachariam ibi ab Herodianis occisum, quia noluit prodere puerum, ut infra patebit. In illa capella sunt altaria diruta, et testudines ruinosae, et in parietibus antiquae picturae, et crescunt tam superius quam inferius arbusta et gramina super testudines. Quaedam autem grana blavei coloris ibi crescunt, sicut fabae, quae nullibi, nisi ibi, reperiuntur. Olim fuit ibi pulchra et gratiosa ecclesia, et habitabant juxta eam in cellulis monachi, sed jam, heu! facta est habitatio deserta unius miserrimi Sarraceni.

De loco, in quo Johannes fuit natus in hunc mundum.

Ab hoc loco consequenter descendimus et exeuntes ad fontem praedictum regressi sumus, et de fonte in collem per clivum ascendimus, et cum in sublimi essemus, ad ecclesiam unam magnam venimus, et in ea hymnum ut quantum laxis altis vocibus cantavimus. Est enim ecclesia illa in eo loco instructa, in quo natus est Johannes B. praecursor Domini. Porro proprius (192 A) locus nativitatis praecursoris est ad sinistram partem in chori capella, cujus ostium propter murorum ruinas est obturatum. Per murum ergo ascendimus, et unus peregrinus se alteri subjecit, ut per eum scanderet

super murum, et ab alia parte super caput vel collum alterius peregrini descenderet, et omnes murum transgressi sumus, et in unam obscuram capellam venimus, in qua nihil videre potuimus, nisi cum luminibus. In capite capellae est unus specus sub rupe, in qua creditur sanctissimus Baptista natus fuisse. Ad hanc erga specum inclinavimus nos, et deosculato loco indulgentias (††) plenariae remissionis accepimus, et non modicum consolati et recreati et quodammodo in fide consolidati fuimus. Ex illa enim desolata specu ob merita praecursoris suavis et bonus odor spirat, quo sanctus praecursor terram osculatam suae nativitatis reosculatur et resalutat quodammodo, et nisi hoc remedio Deus nos consolatus fuisset, cum non modica tristitia in illo loco fuissemus propter sancti loci magnum despectum. Ecclesia enim, licet alta sit, et testudinata, et adhuc depicta, tamen stabat plena bestiis, asinis et camelis, et non erat ibi nisi fimus et stercus, et magnus foetor, ita, quod ex ecclesia sancta factum est stabulum bestiarum. Per circuitum ecclesiae erant ruinae multae domorum, in quibus olim clerici et Dei servi residebant, jam vero est una misera rusticalis habitatio in loco.

Desertum Johannis Baptistae.

Ultra vallem dicitur esse desertum S. Johannis Baptistae, in quo habitavit adhuc puer existens, ut dicitur Lucae 1.: Puer autem crescebat et confortabatur spiritu, et erat in desertis usque ad diem ostensionis suae ad Israel. Unde Hieronymus Serm.: Illo vero: Ecce ego mitto angelum meum. Plane angelum, qui post materni ventris hospitium eremi secreta sectatus, ubi parvulus cum serpentibus lusit. Haec contra Luciferianum haereticum. Nam anno aetatis suae V. vel VII. corruptelam mundi fugiens desertum petiit, et vitam eremiticam duxit XXV annis. Unde canitur de eo: Antra deserti teneris sub annis civium turmas fugiens petisti, ne levi saltem maculare vitam fama posses. Quia secundum Bernhardum ratio urget, justitia dictat, ut homo se totum illi tradat, a quo totum se habet. Et sic Johannes, ut servaret mundas manus, quibus Christum tangeret, et oculos, quibus

Spiritum Sanctum in specie columbae videret, et aures, quibus Patris vocem audiret, mundum reliquit, desertum intravit, antra petiit.

Venerabilis Albertus Magnus Serm. Luc. c. 1. circa illum locum: Puer erat in desertis etc., sic inquit: Beda dicit, quod Johannes decem annis fuit in deserto, et cum desertum intravit X annos habens, et exivit habens XXX annos, sicut patet Lucae 3. Dicit tamen evangelium Nazaraeorum, quod Herode quaerente pueros ad perdendum pater quidem Zacharias eo, quod noluit prodere puerum, interfectus est, mater autem accepto puero paene de abdito praedicto fugit in desertum, et cum a prosequentibus angustiaretur de puero abscondendo, aperuit se lapis montis scissus, et eam in se cum puero concludit, et sic evacuata est sollicitudo quaerentium. Et ex hunc mater post alios paulos annos mortua, puer in solitudine remansit, et ex usu puerilis aetatis locustas comedere didicit, et mel silvestre, quod sicut formica in desertis invenit. Dicitur etiam, quod sanguis patris in vasis a sacerdotibus receptus, et in templo servatus, continuo bullivit, quotiens aliquis de familia Herodis in templo apparuit. Haec Albertus. Duo autem deserta habuit S. Johannes Baptista, primum non longe a domo paterna, in quo adhuc monstrantur antra, in quibus juvenis habitabat; secundum juxta Jordanem, in quo populo praedicabat et baptizabat. De primo habetur Luc. 1. de secundo Luc. 3.

De loco, in quo stips ligni crucis crevit, ut dicitur.

Recessimus ergo a loco nativitatis S. Johannis et dimissa valle, per quam in locum venimus, in alta conscendimus contra Jerusalem, inde in vallem deliciosam et fertilem descendimus, in qua quondam stetit civitas Nobe sacerdotalis, ubi David panes propositionis comedit, et gladium Goliathi (B) accepit, ut habetur 1. Reg. 21. et Matth. 12. Hanc civitatem Saul, rex, subvertit et omnem hominem ex ea occidit, et pueros lactentes, et 85 sacerdotes ex ea interfecit in ore gladii, quia civitas sacerdotum erat, ut habetur 1. Reg. 22. Et hoc fecit ex eo, quia dederant David panem et gladium. Inde autem

venimus ad quandam ecclesiam pulchram, cui monasterium parvum est annexum, in quo habitant Georgici monachi cum uxoribus suis. Ingressi autem ecclesiam ducti fuimus ad altare majus, quod altare dicitur in eo loco situm, in quo stipes sanctae crucis crevit. Ideo etiam ecclesia in honorem sanctae crucis est consecrata et dicitur ad sanctam crucem. Porro sub altari est fovea, in quam nos inclinavimus, et terram deosculati sumus et indulgentias (††) plenariae remissionis accepimus.

De ipsa autem fovea recreavimus, [nam ex ea] respirat odor, quo allecti diutius in loci deosculatione mansimus. Apportaverunt etiam nobis brachium S. Barbarae, quod deosculati sumus. Hic est locus ille benedictus, ex quo crevit illud dulce lignum, honore divinitatis dignum, quod nescientes veteres idololatrae figurate praefigurarunt. Nam cum apud eos decretum esset Deo facere simulacrum, accurate ratione hoc simulacrum debere fieri non ex auro, nec argento, nec de lapide, sed ex ligno, tamquam ex convenientissima materia, ut habet Eusebius de Evangel. Praeparat. l. 3. c. 3.

Post orationem in atrio ecclesiae consedimus ad pausandum paululum, eramus enim adhuc jejuni, et calor incepit fervescere, aliqui autem de peregrinis ingressi tuguria illorum monachorum petebant, si haberent aliquid coctum? Sed nec coquinas nec ollas vidimus in istis domunculis, sunt enim pauperrimi homines. Interea venit quidam Sarracenus, sportam portans cum botris, de quibus emimus et manducavimus cum pane, quem in sacculis nobiscum portavimus, et de cisterna monachorum aquas hausimus.

Juxta hunc locum stant multae olivae, et est quasi silva olivarum et ficorum. Dicunt autem, quod etiam in hoc loco Salomon viridarium habuerit, ad quod quandoque de Jerusalem vectus aureo curru pro solatio venerit. Cum ergo respirassemus, ascensis asinis per clivum in altum ascendimus, viam saxosam et asperam, et in superioribus vidimus civitatem sanctam a nobis distantem, et domum Simeonis pertransivimus per vias inter hortorum macerias. In progressu vero appropinquantibus nobis Jerusalem intravimus vicum quendam inter macerias, latum praebentem iter, nescio autem, qua de

causa quidam Sarracenus niger et seminudus in media via se posuit, et lapides in cumulum congessit, et elevatis lapidibus in peregrinorum agmen jactare minabatur, si aliquis per viam illam processerit. Ad suos autem clamores et minas totus exercitus substitit quasi ad dimidiam horam, ductores vero nostri cum eo contendebant, et contra eum clamabant, sed eos minime advertit, et contra eos, qui progredi contendebant, fortiter lapides mittebat cum magna furia. O, cogitavi, si in nostris partibus uni de minimis nobilibus istis te sic nudum in via opponeres, quam cito gladium vel sagittam in latere haberes! Sed non ita est in orientalibus illis partibus. Sunt enim orientales alterius conditionis, quam nos, vel, alia sunt apud nos regimina, aliae in eis passiones, (193 A) alii respectus rationis, alii conceptus, corpora eorum aliter sunt complexionata, et sunt ibi alii influxus siderum et alia clinata, ideo pauper, inermis et nudus homo ille coegit totum exercitum redire, et reversi sumus ad longum spatium, dorsum vertentes monti Syon, quousque ad aliam viam venimus, et tunc conversi ex opposito Jerusalem venimus, habentes vallem inter nos et civitatem sanctam. Gyravimus tamen vallem, per agrum fullonis ingressi sumus in Jerusalem, et ad officium Missae venimus in montem Syon. Protraxerant autem Fratres Officium propter nos, ut et nos interessemus divinis hoc die. Officio autem finito quilibet ad suum locum se contulit ad sumendum cibum.

Tractatus de descensu peregrinorum ad Jordanem.

Prandio peracto auditum fuit a peregrinis, quod patroni galearum disponerent se ad reducendum peregrinos ad mare in galeis, quasi peregrinatio jam esset finita. Statim autem intellexi mysterium, quia practica patronorum esset, ne nos ad Jordanem ducerent. Semper enim difficultatem et multa media excogitant, quibus peregrinos ab ista peregrinatione Jordanis avertant. Congregatis autem omnibus peregrinis in monte Syon convenimus ad patronos, rogantes, ut nos ad Jordanem ducere non recusarent, praecipue, cum contractus conventionis nostrae hoc expresse contineat in articulo X

quod sine contradictione nos ad Jordanem ducere teneantur, ut patet fol. 34. A. Ad hoc patroni dicebant, se non negare posse conventionem factam Venetiis. Sed si ista pericula imminentia Venetiis agnovissent, nequaquam illum articulum acceptassent. Inceperunt autem referre pericula tria. I. quia de hoc certi essent, quod Arabes nos in via contra Jordanem exspectarent, et in solitudinibus Jordanis latitarent ad invadendum nos. II. dicebant, quod in locis illis nulla esset ecclesia, nulla devotio, nullae indulgentiae. III. dicebant, quod per illam viam non inveniremus nec aquam, nec panem, nec locum quieti aptum, et esset tempus calidissimum, et labor in tantis caloribus esset periculosus, et vitae humanae gravis. IV. difficultabant pro eo, quod expensae crescerent eis ex hoc magnae, quia oportet, ut patroni solvant pretium cottidianum ductoribus et asinariis, quamdiu sumus in terra sancta, et praecipue expensas multas pro laboribus petunt, quando ad Jordanem nobiscum proficiscuntur. Hanc tamen quartam caussam non allegabant, sed nos suspicabamur, quod propter eam alias excogitarent. Primum impedimentum et secundum, et quartum, parum curavimus, sed tertium impedimentum rationabile et verum est. Est enim peregrinatio gravis propter defectus necessariorum et immensitatem calorum, et teneri milites nobiles debilitantur, et debiles Jerosolymam reducuntur, et inde in galeam infirmi redeunt (B), et dum ad mare veniunt, moriuntur, nec debilitati istis laboribus possunt maris agitationes sustinere. Hoc enim certum est, quod peregrinatio Jordanis plures peregrinos interimit, qui quidem non moriuntur circa Jordanem, sed reversi debiles in galea deficiunt, qui numquam defecissent, si in Jerusalem mansissent. Numquam suaderem alicui peregrino, quantumcumque forti, in cujus oculis vita sua pretiosa est, ut Jordanem visitaret, quia vidi plures in utraque peregrinatione deficere et mori, nobiles et fortes.

In prima mea peregrinatione deduximus unum integrum diem litigando cum patrono et Trutschelmanno, pro eo, quod nolebant nos ad Jordanem ducere, et adeo dure contra se stabant invicem, peregrini et patronus, quod dentibus in se fremebant, et verbis pessimis se lacerabant, et opprobria et

jectiones turpium et contumelias invicem jaculabant, tantibus Sarracenis etiam audientibus cum ingenti scandalo. ierunt ibi quidam de Francia, viri passionatissimi, qui minantur patrono interfectionem, et quod regem Franciae vellent ntra Venetos concitare. Victus ergo patronus importunitaus peregrinorum dimisit eos, nec nobiscum descendere voluit, d nos solos cum Sarracenis abire permisit. In quo facto fidelissime egit, non sicut protector, sed sicut proditor. men Deo nos custodiente integro numero reversi sumus in rusalem, quamvis multi infirmi facti fuerint, quorum major merus in mari obiit. Sic in secunda mea peregrinatione n per duas horas difficultabant, sed cum viderent nos peraces et eorum suasionibus non acquiescentes, condescendnt, dicentes: quod provideremus nobis de cibo et potu, et crastinum proficisci vellemus nobis paratis. Itaque omnes cuniam reposuimus ad cellam Fratris Johannis de Prussia, paravimus nos ad iter.

e recessu peregrinorum a Jerusalem contra Jordanem fluvium sanctum.

Decima nona die mane ante lucem surreximus, et ad clesiam beatae Virginis vallis Josaphat transivimus, et ibi, ia sabbathina dies erat, de beata Virgine officiavimus, et st hoc in montem Syon ascendimus ad Officium Conventus. st prandium et post meridiem acceptis sacculis nostris in rio ecclesiae Syon exspectavimus ductores nostros et asinas cum asinis. Tandem autem post taediosam exspectatiom, cum jam hora vesperarum adesset, venerunt cum bestiis, ducerent nos ad Jordanem. Cumque venissent, accurrerunt regrini ad bestias ad providendum sibi. Orta autem fuit ntentio inter quendam militem et quendam religiosum sacertem, litigantes pro asino uno, quem quilibet dicebat se prius buisse. Et percussit miles religiosum multis ictibus pugno, si gladium habuisset vulnerasset eum, et eum ab asino pulisset, et miles excommunicationem incurrit, quem tamen ltim ante nostrum recessum Pater (194 A) Gardianus solvit. Cunctis ergo peractis descendimus de monte Syon

in vallem Josaphat et transito torrente ab alia parte per crepidinem ascendimus, qui dividit montem Oliveti a monte offensionis. In via autem monstraverunt nobis unam antiquam domum arcuato opere factam, desolatam, quam dicebant fuisse domum Judae Iscariotis proditoris. Domum hanc quidem respeximus et despeximus, tamquam domum discalceati, qui despectus fuit in Israel. Nam Deut. 25. praecipitur: si frater fratris defuncti sine liberis noluerit suscitare semen, debet uxor defuncti eum discalceare, et spuere in faciem ejus, et illo facto domus ejus dicebatur domus discalceati. Hoc impletum est in apostolis, quia quilibet eorum insolitum accepit officium generandi filios in ecclesia, non sibi sed Christo, ex ejus nomine nominandos. Hoc autem fecerunt apostoli Christo mortuo, Judas vero, quia noluit suscitare semen fratris sui, privatus est omni bono, et ecclesia, uxor Christi, spuit sibi in faciem, eum abjiciens et Matthiam eligens. Unde nihil reliquit, nisi domum discalceati confusam et ignominiosam. Unde benedicitur Proverb. 17: Conturbat domum suam, qui sectatur avaritiam. Cum displicentia autem domum hanc maledictam pertransivimus, quia domus exasperans est, Ezech. 2.

De loco, ubi Dominus maledixit ficum arborem pro eo, quod non invenit in ea fructus.

Relicta post nos domo praefata in crepidine processimus inter macerias hortorum et viridariorum, in imo autem crepidinis, a quo ulterius est ascensus, venimus ad unum voluptuosum viridarium, in quo multitudo ficorum stabat, ex quo arbores ficuum dependebant super maceriam in viam. Hic est hortus, in quo vidit Jesus ficum a longe, cum hic per viam a Bethania iret in Jerusalem, et esuriret. Et ingressus hortum venit, quaerens fructum, sed dum non inveniret nisi folia, maledixit arbori, et continuo aruit, ut habetur Math. 21. De quo dum discipuli mirarentur, dixit eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, non solum de ficu illa facietis, sed et huic monti dicetis, tolle te, et jacta te in mare, ita fiat. Haec autem Dominus dicens, digito demonstravit montem Oliveti, ad cujus radices haec fiebant. In hoc ergo loco ad

ationem genuflexímus et adorato Domino indulgentias recepi-
is et spirituali disciplina instructi sumus, pensantes, quam
riculosum sit, nomen Christiani vel religionis habere sine
ictu, in quos utique maledictio divina desaeviet, qua
escentes aeternis ignibus parentur cremandi. Inde progressi
cendimus in Bethaniam, castellum Mariae, Marthae et Lazari,
r quod concitato gradu transivimus. De quo habetur fol.
3 A. Et de castello descendimus in desertum Monstat per
as asperas et per clivos periculosos. Incepit autem fieri nox,
ia sol occubuerat, et optavimus in aliquo (B) loco manere
opter viae asperitatem usque ad ortum lunae, et cum pro-
ndius descendissemus, factae sunt tenebrae, et venimus ad
iam grandem domum testudinatam, per circuitum habentem
i) internis ambitum sicut monasterium, et erat desolata et
icua, et juxta illam domum de asinis descendimus, ut ibi
ululum quiesceremus. Et accensis luminibus domum ingressi
mus ad quaerendum locum quietis, sed minime invenimus,
ia domus erat ruinosa et immunditiis ac vermibus repleta,
exeuntes ante domum nos locavimus in terram divisi per
cietates. Sarraceni autem ductores nostri seorsum etiam
nul manebant supra nos altius. Porro ductoribus adhaere-
nt quidam mali juvenes nobis infesti, ut patebit. Cum ergo
llationem simul fecissemus, lumina exstinxímus, et capita
per sacculos nostros ponentes dormire coepimus. Interea
idam juvenis Sarracenus occulte et furtive descendit in
nebris in agmen peregrinorum et saccum unius peregrini,
em putabat dormire, arripuit, et cum eo ad suos cucurrit;
st quem peregrinus ille cum suis sociis sequebatur clamans et
ccum rehabuit. Modico intervallo facto alius occulte descendit
furatum saccum cum pane, caseo et fumigatis carnibus et
ris ovis ad suos confugit, quod ut peregino innotuit, cla-
are coepit et peregrinos in sui adjutorium invocavit. Ad
c peregrini surrexerunt, et multi cum impetu contra Sarra-
nos cucurrerunt, et fuit factus tantus tumultus et insultus,
od Sarraceni cum gladiis et baculis peregrinos a se repellere
acti sunt, et lapides contra se levabant, nullus tamen ad-
c jacere inceperat, quia, si unus lapis missus fuisset, absque
bio pericu losissimum bellum factum fuisset, quia infiniti ibi

lapides erant, limpidissimi, ad jaciendum apti. Ita ergo stabant illi contra istos et conclamabant. Patroni et Trutschelmannus multis laboribus pacem fecerunt, et nunc hic nunc ibi tumultum sedabant, quia multos vexare coeperant. Cum autem tumultus sedatus esset et cuncti silerent, quidam Sarracenus occulte jactare coepit cum lapidibus in exercitum peregrinorum. Ad hoc resuscitati omnes ad lapides cucurrimus et cum magnis clamoribus Trutschelmannum invocavimus et patronos, ut protegerent nos ab istis latronibus. Et quidam de nostris in Sarracenos lapides miserunt, propter quod irati cum exemtis gladiis descenderunt, cogentes nos, lapides levatos deponere. Videns autem Trutschelmannus Sabothytanco, Calinus major, quod ambo partes (**195 A**) exardescerent in invicem et dentibus fremerent, desperatus de pace jussit surgere totum exercitum ad recessum. Et ita asinos ascendimus et de loco illo maledicto recessimus. Hujus loci insecuritatem Dominus Jesus memorat Lucae X. de eo, qui descendit de Jerusalem in Jericho, qui incidit in latrones. De quo patebit fol. **211 A**. Et quodammodo in majori periculo nos fuimus, quia latrones nobiscum in nostris expensis duximus. Tolerabiles fuissent latrones ignoti, quia dicitur: inimici domestici pessimi. Porro domus illa, juxta quam manere volebamus, fuerat quondam hospitium, more orientalium. Aedificant enim in viis publicis magnas domus cum multis stabulis inferius et cellulis superius, pro quiete bestiarum et hominum, et stat domus sine inhabitatore et sine supellectili cum porta aperta, et dum alieni ibi transeunt, intrare possunt et in umbra quiescere, et ea, quae important, possunt manducare; ibi nec cocus nec coca est. Habent enim cameli onerarii suos certos terminos, quos non transgrediuntur, sed ibi quiescunt, et communiter in illis terminis stant talia hospitia pro quiete bestiarum et hominum. Nec reperiuntur in oriente alia hospitia, nisi talia diversoria vacua, in quibus nihil est, nisi quod homo importat. Et videtur, quod semper talia diversoria fuerint hospitia orientalium. Unde dicitur Genes. 42. de fratribus Joseph, quod in diversorio existentes unus aperuit saccum, ut daret bestiae pabulum. Et Exodi IV.: volebat Dominus occidere Moysen in diversorio manentem. Et Dominus natus est in diversorio tali,

Lucae II. Igitur a diversorio illo recessimus et laeti fuimus, quod a loco moti fuimus, quia habuissemus noctem insecuram propter offensionem Sarracenorum. Interea luna orta est, et cum magna festinantia descendimus per viam periculosam per saltus et per abruptas petras, in quibus viis aselli secure et sine casu transire sciunt, et se submittere de petris cum anterioribus pedibus mira industria, quod equo facere esset impossibile. Viae enim illius deserti sunt petrosae, plerumque altae et strictae, et ex utraque parte valles profundae, et si bestia ocyus cecidisset per abrupta petrarum, in aliquam profundam voraginem incidisset, et [homo] simul cum bestia perditus fuisset. Mirabar de mulieribus, sociabus nostris, cum tamen mulieres naturaliter sint timidae, quod ita audacter incedebant. Quaedam autem mulier Sarracena equitavit nobiscum usque in Jericho, juvenis et ornata suo modo, cujus tamen vultum nullus videre potuit, quia erat panno nigro perspicuo tecta, ipsa tamen nos inspicere potuit. Tandem autem ad finem descensus venimus in campestria Jericho, quae incipiunt in pede montium Israel, et cursim per Jericho transivimus, et per locum Galgalae descendimus per planitiem quasi tribus horis (B) et in solitudinem Jordanis venimus per quam descendentes usque ad Jordanis alveum pervenimus. Ibi erge asinos asinariis resignavimus et a Sarracenis recessimus, qui se inter arbusta ad quiescendum locabant, nos vero in ipsum alveum sancti fluminis descendimus usque ad aquam, et refrigeratis manibus in sabulo nos ad quiescendum posuimus, et ibi cum pace quievimus paululum, quia non longe aberat dies.

De Officio divino juxta sanctum flumen peracto in ejus littore.

Vicesima die, quae fuit dominica octava post festum sanctae Trinitatis, cum iam clara lux esset, surreximus nos sacerdotes primo et Officium nostrum sic in littore sacri fluminis legimus. Et cum matutinas et primas legissemus, descendimus nos clerici usque ad aquam sanctam, et incepit cantor alta voce versum illum: Lavacra puri gurgitis coelestis

agnus attigit etc. Deinde cantavimus: Christum hodie in Jordane baptizatum etc. Sic tamen ad verbum: hodie non cantavimus, sed loco ejus cantavimus: hoc loco in Jordane baptizato Domino etc. Creditur enim, hoc in loco Dominum baptizatum fuisse a Johanne. Ad cantum autem nostrum omnes peregrini, qui dormiebant in arundinibus, excitati fuerunt et accurrerunt ad nos. Sed et Sarraceni excitati stabant supra et deorsum [et] ad nos respiciebant. Postquam autem cantavimus ea, quae in processionali praescripta erant, in terram cecidimus et sacram humidam humum deosculati sumus et indulgentias plenariae remissionis accepimus (††). Et aliquamdiu in oratione permansimus, quia dominica dies erat, nec Missam audituri eramus, non ex negligentia, sed ex impossibilitate, quae etiam excusat a peccato transgressionis.

De balneatione peregrinorum in Jordane, et de tribus prohibitionibus eis datis.

Finitis orationibus deposuimus vestimenta nostra, ut in sacro flumine lavaremur. Hoc cum vidissent nostri ductores, admiserunt quidem lotionem, sed tria prohibuerunt nobis: I. quod nullus deberet transnatare ad aliud littus; II. quod nullus sub aquis deberet se immergere; III. quod nullus deberet sumere de aqua illa in vasculo ad portandum secum per mare in terram suam. Ratio primae prohibitionis fuit, quia communiter transnatantes vel aliquis de ipsis periclitatur et nunquam omnes transnatantes redeunt sine aliqua perturbatione. Ratio secundae est, quia fundus Jordanis est limosus, et submittens se posset infigi limo et necari. Et cum hoc venenosae bestiae in fundo serpunt, a quibus homo posset retineri vel laedi vel veneno inficI. Ratio tertiae prohibitionis est, quia navigatio illarum navium improspera est, in quibus aqua Jordanis transducitur, ut marinarii saepe experti sunt. Quid veritatis jam dicta habeant (**196 A**) in processu patebit. Igitur cum nudati essemus, flumen sanctum ingressi sumus, et in nomine Domini sacrae undae nos immersimus. Aliqui autem milites nihil de omnibus suis vestimentis deposuerunt, sed sicut in asinis sedebant, ita in aquam se immergebant, dicentes, se semper in illis vestimentis magis fortunatos futuros. Unde

ostquam domi revertuntur, eadem vestimenta tamquam thesauros conservant et ad proelia euntes eis induuntur, credentes nihil mali passuros. Aliqui pannos, tam de lino quam de lana emerunt, quos in aquam illam intingebant, ut in domum portantes vestimenta ad placitum sibi ex eis fieri facerent, quibus induti fortuna clementius eos arrideret. Aliqui emerunt Venetiis parvas campanas, quas ad Jordanem secum duxerunt, et in nomine Trinitatis eas in flumine baptizaverunt, usque in patriam suam duxerunt. Dicunt enim, quod instanti tempestate, tempore fulgurum, corruscationum et tonitruum, campana in Jordane baptizata pulsata fuerit, nec fulmina nec grando nocere potest per totum spatium, in quo sonus ejus audiri potest. Sed quid haec tam de campanis quam de vestimentis in Jordane baptizatis veritatis habeant, et an vulgi opinio, quae haec, quae dicta sunt, affirmat, vera sit vel superstitiosa, videat vir prudens.

Stabamus ergo in aqua cum jucunditate magna, et unus alterum baptizabat joco. Quamvis autem adhuc mane fuerit, aqua tamen frigida non erat, sed tepida, balneationi apta, de qua etiam ex devotione jejuni bibimus, licet non multum delectabilis esset, quia erat tepida et turbida, sicut palus.

Porro primam prohibitionem Sarracenorum transgressi sunt peregrini et transnataverunt ad aliam partem fluminis multi. In prima mea peregrinatione transnatavi etiam, sed in secunda mansi et sedi in tunicilla et scapulari in sabulo in aqua usque ad collum. Nolui enim in secunda peregrinatione transnatare, quia in prima magno timore fui in alia parte fluminis existens perterritus propter illum casum. Cum ergo cum multis aliis militibus transnatassemus, et in alia parte jocunde in aqua staberemus, ecce subito ingens clamor et grandis ac gravis tumultus ortus est, et lamentabiles voces dabant illi, qui in opposito littore erant. Sed et Sarraceni, ductores nostri et alii, currebant super alveum, et horribilibus ac iracundis gestibus contra nos clamabant et nobis minabantur et maledicebant. Stabamus ad haec attoniti, et prae multitudine clamantium, quid accidisset, non poteramus discernere, donec quidam peregrinus de alia parte ad nos transnatabat, et cum jam prope nos esset, clamavit, heu, heu, inquit, unus peregrinus

de fratribus nostris in medio fluminis submersus non comparet. Statim ut hoc audivimus, natavimus ad locum, ubi immersus fuerat, et ita circumnatantes praestolabamur eum prodire. Tandem post moram satis longam prodiit, quem statim per capillos sursum traximus et ad littus aliud eduximus eum, ad quod transnataveramus, quia propinquius erat. Erat autem quasi mortuus, gravis, nec poterat nobis [loqui] (B), quousque aquam, quae eum intraverat, evomitando ejiceret. Qua ejecta increpavimus eum, qua stultitia sine arte natandi aquam intrasset? Qui respondit: a juventute mea semper artem illam scivi, utpote juxta aquas nutritus. Sed postquam in medium Jordanis veni, aliquid sub aqua existens me tetigit, quo tactu adeo territus fui, quod omne robur membrorum perdidi, nec brachiis nec cruribus me juvare valui. Haec autem loquens per tremorem stare non potuit. Porro Sarraceni ex opposito stabant, et clamabant, ut finem faceremus et transnataremus. Confortavimus ergo illum peregrinum, et secum aquam ingressi sumus, sed dum paululum natando processisset, iterum mergi coepit, quem per capillos tenentes foras eduximus cum difficultate, et inter haec stabant Sarraceni contra nos impatientissimi et clamabant. Duo autem fortes peregrini bene natare scientes eo assumto in medium eorum, ut utroque brachio utrumque stringeret et ad colla eorum penderet, et ipsi natando sic eum reducerent. Sed cum natare inciperent, omnes tres immersi sunt, et illi duo sub aquis vix se ab eo evellere potuerunt, et avulsi ab eo prodierunt. Ille autem diutius mansit, et iterum prodiit, quem sicut prius ad littus reduximus paene mortuum et omnibus viribus destitutum. Porro, ductores nostro mandaverunt nobis, quod omnes transnataremus ad vestimenta nostra et peregrinum illum stare permitteremus, et ipsi videre vellent de ejus reductione, et transnataverunt. Cumque et ego transnatare vellem, ex periculo viso invasit me timor, et tremere coepi et sic cogitavi: ecce, ex levitate transnatavi et elongatus sum ab habitu ordinis mei, et contra prohibitionem dominorum ductorum huc veni. Si absorptus fuero a profundo illius aquae absorbebit me profundum inferni propter dissolutam levitatem et irreligiosam nuditatem, propter quam etiam forte excommunicationem incidi et

mandati transgressionem. O, quam bene est illis peregrinis, qui a alio littore sunt, quam secure stant? O Domine Deus, non ne quaeso demergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum. Et hoc licto crucis signo me munivi et in aquam resilii fortissime, manibus et pedibus trahens per medium fluminis, et sine impedimento ad aliud littus perveni. Et statim assumto scapulari habitu ordinis mei, singulare votum feci, quod numquam omlius, quamdiu in humanis ero, volo me elongare ad tantum patium ab habitu ordinis mei, quia ista elongatio fuit mihi nolestissima, et ipsa submersio intolerabilis mihi videbatur ine habitu, in habitu vero multo minus curassem. Si ante ransnatationem deliberassem et factum considerassem, pro ulla re mundi transnatassem. Scio bene, quod doctores, tam heologi quam juristae, dicunt, quod religiosus debet tenere abitum suae religionis, sive in lecto quiescens, sivi alibi onsistens, nisi sit adeo urgens necessitas, vel gravis infirmitas, uae habitum non pateretur. XX. q. 1.; alias peccat mortaliter. t si religiosus temere sine habitu appareat in conspectu 197 A) saecularium, ipso facto excommunicationem incurrit, t in cap. Periculosa. et ne de. vel mo. lib. VI. In hoc rande periculum incidi indeliberate. Porro praefatus pererinus solus jam stabat, nudus, timore plenus, turbatus, facie allida; quidam autem Sarracenus in equo forti ascendit longe ursum ad vadum Jordanis, et reduxit illum ad nos, cui aurum on modicum dedit pro pretio. Ante casum illum fuit pererinus ille pulcher facie, robustus, et praesumtiosus, et litiosus, et multis odiosus; sed reductus fuit nobis totaliter lteratus, facie pallida, tremulus, humilis, obsequiosus, et ansit semper deinceps tristis, et quasi dejectus; vix credo um multos annos vixisse.

Alium casum referam, cui quidem non interfui, sed a fide ignis audivi. In anno intermedio inter meam primam pererinationem et secundam navigaverunt ad terram sanctam ulti nobiles de Alemannia; quidam autem de majoribus oquum secum duxit, qui nescius praesensit suum periculum, er totum enim iter solebat dicere, quod nihil in illa peregriatione timeret, nisi Jordanem. Cumque ad Jordanem venisset

cum aliis, noluit transnatare aliis transnatantibus, exuit tamen se vestibus et aquam intravit, ut se refrigeraret et lavaret, et ingressus vix usque ad umbilicum mergi coepit, et subtractus in aquam nusquam comparuit. Insuper in illa mea secunda peregrinatione, quam nunc describo, transnataverunt multi, nec curaverunt prohibitionem Sarracenorum, qui prohibent, et periculum aliquod futurum praedicunt et transnatantes inclamant. Inter illos fuit unus sacerdos, qui etiam, sicut ego feceram, transnatavit, qui in alia parte exsistens omnes vires corporis amisit et nequaquam amplius natare aut potuit aut scivit, et stabat tremens, quem cum magnis laboribus socii reduxerunt sui, infirmum et fractum, cum tamen ante fuisset robustissimus, et mihi singulariter familiaris. Saepe eum interrogavi, quid sibi acciderit? Qui dixit, se subito privatum viribus. Interrogavi peregrinos, qui ante me et post me circa Jordanem fuerant, et semper inveni, quod aliqua turbatio accidit alicui.

Ex jam dictis surgit quaestio, unde hoc accidit, quod frequenter periculum et turbatio in illa balneatione contingit, cum tamen fluvius non sit latus, nec rapidum cursum habeat, sed satis lentum? Ad hoc primum dicunt, quod quaedam belluae insidiosae in illa aqua latitant, quae, dum motum sentiunt natantis, ascendunt et natantem conantur rapere. Alii dicunt, quod quia locus ille est prope faucibus, per quas Jordanes in mare mortuum illabitur, ideo fit ibi quaedam commixtio aquarum de mari mortuo, et propter malitiam illarum aquarum debilitentur vires transnatantium, Alii dicunt, quod in mari mortuo nihil vivit, nisi quaedam inhumanae et infernales bestiae, quae ascendunt de mari sursum ad hominum necem. Alii dicunt, quod periculum contingit ex forti imaginatione, audiunt enim peregrini de istis periculis (B), et quilibet timet et cavet, ne sibi aliquid contingat, et in illo timore omnes transnatant, quorum quidam ex forti imaginatione putant se tangi, vel subtus trahi. Caeteri dicunt, et forte rationabilius, quod, quia transnatatio est signum petulantiae et dissolutionis, quae non expedit in tam sancto loco fieri, ideo permittit Deus tribulationem alicui evenire, ut caeteri seriosi, maturi et timorati fiant. Locus enim ille propter

ira ibi gesta est locus seril, et non gaudii, fletus et non sus, orationis et non clamoris, prostrationis et non luctaonis, poenitentiae et non petulantiae. Sed peregrini stilum ertunt, et in loco tam terribili timore deposito frena debitae aturitatis laxant, et ideo puniuntur aliqui in exemplum alioam. Nihil autem molestum accidere solet mature et devote baptizantibus, sicut patet in mulieribus peregrinis, quae upra nos in arundinibus etiam balneantur cum pudore, sintio, devotione et cum maturitate, multo magis quam os. Optassem pro illis vetulis, vulgi famam sortiri in eis ffectum. Refert enim vulgus, quod qui in Jordane balneatur, lterius non senescit, et cum hoc, quamdiu in flumine manet, am diu juvenescit, ut pote, si una hora balneatur, una hora mior efficitur, si duabus duabus, si tribus tribus, si annum nnum. Indiguae fuissent nostrae sociae hoc balneo LX annis d recuperandam juventutem, quia fuerunt octogenariae et ltra. Si balneantes in Jordane non senescerent, profecto alum balneum esset, cum Dominus per prophetam Esaiam ap. 65. dicat: puer centum annorum morietur, et maledictus rit. Optabile per omnia balneum esset, si invaletudinem, eformitatem et senectutem corporis tolleret, et mentis caniem afferret.

Porro hanc fatuitatem vel simplicitatem multi saeculares abent, quod credunt, si in Jordane baptizentur, quod post oc non senescant, et ideo tanto conamine laborant, ut ad ordanem perveniant, et se invicem baptizant, scilicet qui in rofundum immergunt contra secundam prohibitionem Sarraenorum.

Cum autem finis balneationis advenisset, quidam peregrini amphoris, in flasconibus, in vitris hauserunt aquam de Jorane, ut secum ad patriam ferrent, contra tertiam prohibitioem Sarracenorum, qui ad instinctum patronorum hoc prohiuerunt, non enim sustinent navium gubernatores aquam hanc navibus, quia credunt firmiter, quod naves illae, in quibus liquid de aqua Jordanis est, sint infortunatae, nec habeant xpeditam navigationem et stent in periculo, quam diu aqua ordanis etiam in minima quantitate habeatur in navi. Nam oc saepe vidi, quod instante periculo in mari propter

contrarios ventos, vel propter ventorum (198 A) absentiam, gubernatores currebant per galeam, et omnia reservacula peregrinorum perquirebant, et singulos angulos lustrabant, quaerentes aquam Jordanis, cui omne diffortunium adscribebant, et si non invenerunt una vice, alia vice, durante impedimento navigationis, curiosius perquirebant et minabantur, quod apud quemcunque de hac aqua repertum fuerit, ipsum cum suis rebus in mare mittere vellent.

In mea prima peregrinatione sustinuimus multa et saepe ignominiose visitati fuimus per marinarios propter aquam illam. Quid ergo veritatis habeat, non immerito venit in dubium, utrum aqua Jordanis reservata in vasculo, et illata navi maritimae valida sit ipsam navigationem impedire et maris inquietudinem concitare, vel ventos secundos a suo flatu cohibere, vel aliquam immutationem aeris aut maris causare, sicut inculpant eam rectores navium? Pro quo sciendum, quod audivi a veridico et docto viro, qui vidit Romae bullam Papae sub plumbo, in qua sub anathemate Papa prohibet, ne quis de aqua Jordanis ad partes transmarinas portet. Dicunt etiam, quod domini Veneti habeant prohibitionem, ne aliquem transducant ad nostram partem maris cum aqua praedicta, et quod frequenter venientes visitent in navibus et repertam aquam effundant. Si quis ergo dicere vult, quod propter censuras Papae fiat impeditio navigationis, ille non aquam, sed censuras impedire navigationem [asserit]. Et si censurae Papae navigationem impediunt, miraculose fit propter excommunicatos, et non propter aquam, sicut saepe legimus excommunicatos pluribus infortuniis expositos, ut quod talium corpora sepulta extra ecclesiam sunt nocte projecta et bestiis devoranda tradita. Sic etiam propheta Jonas inobediens. Tempestas fuit valida excitata, et eo ejecto cessavit tempestas, ut habetur Jonae primo. Hoc tamen non omnibus excommunicatis contingit, sed illis duntaxat, quos Deus miraculo prodere vult. Quod non omnibus contingit, patet de illis peregrinis, qui sine licentia Papae naves ascendunt, et in excommunicatione usque in Jerusalem pacifice veniunt. Ex his nunc dubium novum oritur: cur Papa prohibeat aquae Jordanis transductionem? Videtur dicendum, quod

hoc fecit ad tollendum superstitiones, quae ortae fuerunt occasione illius aquae.

Quidam enim simplices sacerdotes non aestimabant se verum baptisma habere, nisi aliquid de aqua Jordanis apponerent, vel putabant baptisma majoris sanctitatis et efficaciae esse cum illa aqua quam sine illa. Sed et mulieres superstitiosae nolebant parvulos suos baptizari, nisi baptismo, cui admixta esset aqua de Jordane, et etiamsi credebant aliam aquam sufficere, tamen illam, cui admixtum erat aliquid de aqua Jordanis, aestimabant sanctiorem. Quae omnia sunt erronea.

Insuper incantatores et incantatrices hac aqua singulariter utebantur, et hodie ea utuntur, quando possunt habere, ad suas superstitiones exercendas. Et ut illa tollerentur, prohibuit Papa ejus (B) transductionem. Si autem ideo navigatio impeditur, miraculum novum Deus operatur. Alii dicunt, quod aqua Jordanis, licet in suo fluxu sit aqua viva, tamen vasculo recepta moritur et putrescit. Et quia mare non potest sustinere mortuum et putredinem, ut dicunt, ideo impeditur navigatio. Sed hoc nihil est, quia vidi magna vasa, in quibus computruerant aquae, quae ductae fuerant per magna maris spatia, ut esset in navi dulcis aqua, licet foetida. Vidi etiam corpus hominis, recenter defuncti, deferri in navi ab insulis Cycladum usque ad Venetias, ut dicetur folio 165. Part. 2.

Alii aliam rationem assignant et dicunt, quod mare mortuum est mirabilibus qualitatibus infectum, et quia hujus maris aquae sunt aquis Jordanis commixtae in hoc loco, ideo mare magnum non potest eas sustinere propter contrarietatem, quam habent illa duo maria ad invicem. Sed nec hoc credo, quia de aqua Jordanis bibimus, et in ea nullam sensimus amaritudinem, aqua autem maris mortui est amarissima; ideo dicitur in scriptura mare salsissimum. Non ergo est commixtio unius ad alteram ibi. Alii verius dicunt et melius, quod superstitiosum sit credere, quod aqua Jordanis habeat [vim] navigationem impedire, vel ventos aut aerem aut maris motum immutare. Tamen propter infidelitatem hominum christianorum Deo permittente ita fit. Et si aqua Jordanis in navi non esset, non fieret; non quidem propter ipsam aquam, sed propter

malam fidem. Sicut videmus, quod propter malam fidem aliqua ad sanitatem alicujus languoris faciunt, quae nulla naturali ratione nec aliqua arte ad sanandum languores apta sunt: sciut, si equus meus claudicat in dexto pede, statim cum ligaturis dextrum pedem vaccae meae non claudicantis involvo, et sanatur equus; non propter ligaturam vaccae, sed propter perfidiam meam, qua haec credo. Sic est in proposito. Ex quo gubernator navis credit, quod aqua Jordanis paucula totum aerem et mare magnum immutet et ventos arceat, ideo in poenam peccati sui permittit Deus navigationis impedimentum, ut perfidia sua incrementum capiat. Quod autem sit superstitiosum, patet etiam ex eo, quod multi inveniuntur aquam hanc transduxisse, licet minus bene fecerint, quia Papa prohibuit etc. Et tantum me evagatum fuisse sufficiat a Jordanis balneatione usque ad maris magni navigationem. Igitur ad vocationem Sarracenorum egressi sumus de sancto Jordane, et induti vestibus de alveo sursum ascendimus, et stantes locum consideravimus. Consedimus tum ibi inter arbusta, et panem et alia, quae de Jerusalem portavimus, manducavimus, et non curavimus Sarracenos, qui stabant et continue nos ad recessum vocabant.

De Jordanis descriptione, et primo de ejus origine.

Jordanem fluvium descripturus tria de eo dicam. 1) Ejus originem. 2) Ejus qualitatem. 3) Ejus commendationem.

In descriptione Jordanis necesse habeo facere mentionem locorum, quae oculis meis non vidi, quia peregrinatio se extendit usque ad Jordanem, sed non usque ad ejus principium. De ortu igitur Jordanis communiter dicitur, et verum est, quod oritur sub monte Libanon a duobus fontibus confluentibus, Jor scilicet et Dan, et ab utroque nomen sortitur, et Jordan vocatur. Altius tamen quidam ejus originem indagarunt; dicunt enim, quod Euphrates, fluvius (199 A) paradisi, emittat per occultum subterraneum meatum rivulum, qui congregatur in fontem profundum et semper plenum, sed non effluentem, quem nominant Phyala. Sarraceni nominant eum Maydan, et Matth. 15. dicitur Megedan, et Marci 8.

nominatur Dalmanucha. Hic fons, ut dixi, non effluit supernis, sed per occultum terrae meatum Draconitidem regionem pertransit et in pede Libani montis fontem emanantem facit, qui fons dicitur Dan. Et quod de fonte Megedan oriatur Dan, probant per paleas, quas in fontem Megedan effundunt, quae effluunt per fontem Dan. Et sunt illi duo fontes a se distantes sex millibus stadiorum. Fontem vero Jor dicunt originaliter per gurgitem subterraneum habere aquas ex fluvio alio paradisi, qui dicitur Tygris. Hi duo fontes, Jor et Dan, procul ab invicem emanant in pede montis Libani, et confluunt in unum ante portam civitatis, quae antiquo nomine dicebatur Lachis, et fit unus fluvius Jordan. De hoc civitate Lachis habemus Joh. 10. et Judicum 18., quod filii Dan invenientes quietam et opulentam ceperunt eam et combusserunt, et post haec eam reaedificaverunt, dantes ei nomen patris sui Dan. Et erat civitas ultima terrae sanctae ad aquilonem. Ad hanc civitatem fuit positum idolum Micheae, ut habetur Judicum 18. per totum. Sed et Jeroboam, rex Israel, posuit in eam unum de vitulis aureis, et jussit, ut populus eum adoraret, ut habetur 3. Reg. 12. Post multum temporis Philippus Ituraeae et Draconiticae tetrarcha, nominavit eam Caesarea, ob reverentiam Caesaris. Et ideo Matth. 16. dicitur Caesarea Philippi. Hanc postea Graeci nominabant Paneas. Sed hodie nec Lachis, nec Dan, nec Caesarea, nec Paneas dicitur, sed Balenas appellatur.

Jor igitur cum Dan ante portam hujus civitatis coeuntes fluvium Jordanem faciunt, qui consequenter recedens per longum et obliquum circuitum dividit Ituream et Draconitidem regiones, et deinde quandam vallem incidit, in qua stagnum colligitur, quod stagnum dicitur ad aquas Merom, ubi Josua prostravit XIV reges, ut habetur Josuae XI. Hoc stagnum tempore hiemali fit magnum, sed tempore aestivo exsiccatur aqua, et crescunt ibi arbusta et frutices densae, in quibus latitant leones et ursi et aliae silvestres bestiae.

Demum ulterius decurrens inter duas civitates Capharnaum et Chorazim facit lacum ingentem, mare Galilaeae vel mare Tyberiadis, sicut Rhenus facit lacum Constantiensem. In extremitate autem maris exit ab eo et inter montes Israel et

montes Arabiae minoris pertransit, in campum Jericho pervenit et ibi faucibus maris mortui illabitur et ab eo excipitur. Sunt autem ab eo loco, quo de mari Galilaeae egreditur, ad locum usque, ubi mare mortuum ingreditur, VIII dietae. Ipsum autem mare mortuum habet in longitudine quinque dietas, et conjungitur hoc mare cum aquis, quae Exodi XV vocantur aquae Marath, et aquae Marath mari rubro copulantur. Mare vero rubrum continuatur cum mari Indico, quod affluit de oceano. Et hic est decursus Jordanis et suo principio usque ad finem longus valde.

De qualitatibus Jordanis.

Jordanis qualis sit videre jam oportet. Fluvius ille sanctus non est multum latus, vix enim habet LX passus in latum, et licet sit parvus latitudine, est tamen profundus valde, signanter tamen in loco nostrae balneationis, fundum habet arenosum et littora lutosa, pro tempore crescit et decrescit, praecipue tamen tempore messis tritici intumescit, hoc est, vernali tempore, quia in Palaestinae partibus illo tempore triticum maturescere solet, ut habetur Josuae 3. Quamquam adeo redundat, quod extra alveum suum per campos se diffundat, quia multa et flumina et torrentes in eum labuntur, ut est Jaboth, fluvius, ultra quem luctabatur Jacob cum angelo. Habet ergo alveum satis profundum, et alta littora. Aquae ejus dulces sunt et ad potandum habiles, potissime in hieme tempore frigido, in aestate sunt nimis tepidae, turbidas habet aquas, nescio si semper sic sint, piscibus bonis et dulcibus abundat. Cursum non habet impetuosum, sed cum silentio venit. Veruntamen transnatans sentit in medio ejus impetum contravenientis aquae.

Ab ortu suo hoc a Caesarea Philippi usque ad finem maris mortui fere per centum milliaria habet ab utraque parte latos campos, qui altis montibus terminantur. Solitudines sunt juxta Jordanem, ut habetur etiam Esaiae 12., in quibus erant olim multa monasteria et religiosorum habiticula, quorum hodie cernuntur ruinae. In solitudinibus et campestribus Jordanis currunt multae silvestres ferae, et tempore serotino

quasi greges ovium procedunt ad aquam pro potu, in aestu enim diei habitant in cavernis petrarum. Ibi sunt leones, ursi, vulpes, caprioli, cervi, lepores, onagri, et hujusmodi, quae ibi incedunt sicut animalia domestica, nec homines fugiunt, nisi quando eis nimis appropinquare contendunt. Ante aliquot annos leo ingens ibi morabatur, et nec hominibus nec bestiis molestus erat, sed ad hominem ibi transeuntem aspiciebat, et motu caudae suae mansuetudinem ostendebat: quidam autem Christianus cum arcu iter agens contra leonem sagittam misit, leo vero ad sagittam cucurrit, et eam odorabat; iterum ille aliam sagittam contra eum misit, ad ejus cursum se leo erexit, quasi eam petiturus, et post hoc factum in loco suo consueto non est amplius visus, sed evagabatur per campestria et per solitudines Jordanis, et cum rugitu circuit, quaerens quem devoraret, et tam hominibus quam jumentis multa intulit deinceps damna.

Dignitas et commendatio sancti Jordanis.

Dignitas sancti Jordanis est inaestimabilis, separat enim regionem fidelium a regione infidelium: nam ultra Jordanem erant Ammonitae, Moabitae et Edom et Arabes; in hac autem parte habitabant filii Israel. Filiis Israel iter praebuit, seque mirabiliter in altum elevavit, ut habetur Josuae 3. Lepram Naaman, principis militiae Assyriorum sanavit, 3 Reg. 5. Helyae ac Helisaei praeceptis paruit, et viam per medium eis praebuit, 4 Reg. 2. Ferrum securis in illa aqua supernatavit mirabiliter, 4 Reg. VI. (200 A) Sanctissimus Johannes Baptista populum in hoc flumine baptizavit, ut habetur Lucae 3. et Joh. 1. et Marci 1. Sed quod omnibus his eminentius est, Christus Jesus, filius Dei, in hoc flumine baptizari voluit, ut tactu suae mundissimae carnis vim regenerativam conferret aquis. Unde haec aqua est mater omnium in Christo regeneratorum. Ideo dicit Bernhardus: laeto sinu recipit Jordanes Christianos, qui Christi se gloriantur consecratos baptismate. Idem: Quid in fluminibus isto eminentius, quod ipsa sacra Trinitas sibi quadam evidenti praesentia dedicavit? Pater auditus, visus Spiritus Sanctus, Filius baptizatus. De quibus

habetur Matth. 3., Johannis 1., Lucae 3. Ex omnibus plane intelligimus, inquit Bernhardus, quod mentitus est Syrus ille leprosus, qui nescio quas Damasci aquas aquis praetulit Israelis, cum Jordanis noster devote Deo famulatus totiens probatus exstiterit.

Sed hic oritur dubium, cum tanto sit sanctitas et dignitas Jordanis, quare aqua illa benedicta, munda, sancta, dulcis, salubris, influit in aquam maledictam, immundam, diabolicam, salsissimam et pestiferam, scilicet in mare mortuum, in lacum Sodomiticum? Ad hoc quidam dicunt, quod Jordanes quidem suum cursum habeat contra mare mortuum, sed quando ad litus ejus pervenit, terram penetrat et intrat, antequam ad mare perveniat. Sed hoc non est verum, quia longo tramite in mare incidens discernitur ab aqua maris, quae crassa est et quodammodo nigra, illa autem alba et tenuis. Alii dicunt, quod hoc ideo fit, ut maledictio illius temperetur per benedictionem istius. Alii vero sublimius sentiunt, dicentes, quod in hoc facto latet mysterium magnum: quamvis enim Jordanes sanctus sit, quia tamen se non erigit, sed deorsum currit contra mare mortuum, sanctitas ejus nihil ei prodest, quin absorbeatur a mari mortuo et maledictionibus ejus involvatur; sic homo, Christi baptismate consecratus si non erigit se sursum, sed per viam lubricae carnis festinat deorsum, tandem non obstante sanctitate damnationem incidit et maledictionibus inferni involvitur, sicut alii homines non baptizati. Sicut enim mari mortuo alia flumina et torrentes non benedicta incidunt et ejus maledictionem participant; sic et homo baptizatus peccator et non benedictus similis etc.

In loco, ubi balneati sumus, creduntur filii Israel sicco pede transivisse, et Helyas et Helisaeus et Christus ibi fuit baptizatus: unde in vetustissimo quodam peregrinali legi, quod in loco Jordanis, ubi Dominus in aqua stetit, stabat longa crux, ad quam peregrini se exuentes intrabant, et in littore, ubi Dominus vestimenta sua deposuit, aedificata erat magna ecclesia testudinata, novem marmoreis columnis sustentata. Haec omnia dudum per Jordanis redundantiam sunt abducta et consumta, ita, quod hodie non patet horum vestigium. De Jordane

oquitur beatus Bernhardus in sermone ad milites templi cap. 9 commendabilia.

De recessu peregrinorum a Jordane contra S. Johannis capellam.

De solitudine Jordanis et de deserto S. Johannis Baptistae.

Balneatione peracta mox asinos reascendimus et a sancto flumine recessimus per viam, qua veneramus. Cum magno ergo gaudio revertebantur illi peregrini, qui montem Sinai non intendebant visitare, quia jam peregrinationis suae terminum attigerant; Jordanis enim ultimus terminus est peregrinationis hierosolymitanae. Ascendimus ergo per solitudinem Jordanis cum festinantia in desertum Johannis Baptistae, qui in illis desertis locis supra Jordanem habitare coepit, postquam factum est verbum Domini super eum in deserto prope domum patris sui. Ideo dicitur Luc. 3., quod venit in regionem Jordanis praedicans et baptizans. Habitavit etiam ad tempus in Bethania, quae est trans Jordanem, ut habetur Joh. 1., et pertransivit regiones Jordanis de loco ad locum propter praedicationem. In hoc vero deserto, per quod ascendimus, quondam Dominus Jesus ad eum venit petens baptismum. Sunt autem supra Jordanem solitudines asperae, in quibus deguit beatissimus Baptista et post eum multi sancti patres, qui ad instar Baptistae zonis pelliceis contenti edebant locustas et mel silvestre, sicut Matth. 3. de Johanne legitur. Sed videamus, quid sit locusta illa et mel silvestre? Quidam dicunt, quod locustae sint minuta animalia volitantia per modum saltus, et habeant serras inter crura, unde etiam serratae dicuntur, habent autem corpus ad modum digiti manus exile et breve, et faciliter inter herbas capiuntur et capite amputato frixantur in oleo et manducantur, et est cibus pauperum, unde hodie in deserto Judaeae reperiuntur illae locustae. De his dicunt S. Johannem pastum fuisse. Alii vero sublimius de S. Johanne sentientes dicunt: non esse verisimile, quod beatissimus Baptista locustarum carnes manducaverit in deserto, qui etiam panem manducare renuit in prima domo. Et illi dicunt,

quod quaedam herba crescit in illo deserto, quae vocatur locusta, quam vulgares latini corrupte nominant locustam. De hac herba colligunt pauperes eamque manducant; et sanctus Johannes de ea pastus fuit. Unde antiqui monachi juxta Jordanem habitantes cottidie in refectoriis suis eo utebantur. Mel autem silvestre quidam dicunt illud esse, quod reperitur in truncis arborum per apes comportatum. Alii dicunt, quod sint quaedam arundines, in quibus dulcis succus nascitur, quae crescunt juxta Jordanem, quas nos nominamus cannas mellis, de quibus non mel, sed pretiosior liquor, zucharum, exprimitur. De his mellis dicunt Johannem manducasse. Sed alii pensantes verbum Domini, dicentis Matth XI: venit Johannes, inquit, non manducans, neque bibens etc., ibi dicunt doctores, ille dicitur non manducare neque bibere, qui non communi cibo et potu hominum utitur, et hoc, quod sumit, parcissime sumit, et in solitudine solus existens. Mella autem praedicta tam de truncis collecta, quam de cannis aut arundinibus expressa, veniunt in cibum non communem hominum, sed nobilium et (201 A) delicatorum et crapulosorum, et cibi alii, ut sint delicabiles et saporosi, condiuntur et melle et zucharo, de quibus S. Johannem manducasse dicere fas non est, si enim in domo paterna noluit comedere cibum coctum, fructus, legumina, quomodo in deserto manducaret expressum zucharum, favos et mella? Dicunt ergo, quod sint certae quaedam radices herbarum, quae nominantur mel silvestre. Alii dicunt, quod mel silvestre sint quaedam folia quarundam arbustarum, alba, tenera et rotunda, quae manibus contrita habent quendam mellis saporem. Alii vero dicunt, quod ibi crescunt in quibusdam arbusculis folliculi, in quibus grana sunt sicut fabae, de quibus dicitur S. Johannes manducasse. De his campus totus fuit repletus, quando ego fui in illo deserto, sed fabae in illis folliculis erant durae, ut lapides, nec poteram dentibus aliquam dividere. Alii dicunt, quod in illo deserto sint arbores, quarum fructum carrobi nominant, sicut patet superius fol. 66 B, et sunt oblongi folliculi, nigri, qui excorticati boni sunt ad manducandum, et hos fructus ubique nominant panem S. Johannis, et mercatores specierum in suis pategis vendunt, et in oriente nullius pretii sunt, et pauperes homines colligunt,

et dentibus corticem deponunt, et dulcem succum cum materia inter se parant et manducant. De his pro deductione temporis saepe manducavi, nec saturatus fui. Et possibile est, etiam S. Johannem de his succum suxisse.

Per hoc ergo sancti Johannis desertum cum festinantia ascendimus, et cum quasi per unum milliare venissemus, ecce clamor et ululatus oritur inter mulieres socias nostras peregrinas, et totus exercitus turbatur. Solitae enim erant valde quiete et devote ac silenter procedere cum patientia magna, et tumultus earum erat omnibus stupori. Omnes ergo ad plorantes festinavimus, inquirentes de causa lamenti earum. Dicebant autem, quod una de sociabus earum, quaesita in exercitu, inveniri non posset, cujus perditionem lamentarentur, et deprecabantur nos, ut subsisteremus et procedentes Sarracenos, qui valde festinabant, non sequeremur, quousque socia inventa esset. Sic ergo mansimus cum dominabus illis, nec progredi volebamus, quamvis Sarraceni multis clamoribus et minis nos vocarent ad progressum. Cum ergo vidissent, quod eos sequi non vellemus, redierunt ad nos; et auditis quaerimoniis multis statim miserunt aliquos de suis velocissimis equis et cum eis aliquos peregrinos robustos, ut vetulam quaererent. Qui rapido cursu per viam solitudinis descenderunt ad Jordanem; timuimus enim, quod forte in Jordane submersa fuisset, aut ex inedia deficiens in solitudine jaceret, vel forte luto juxta flumen infixa exire non posset, aut forte ab aliquo Sarraceno oppressa esset aut spoliata aut (B) rapta, et commota sunt viscera peregrinorum super sorore eorum, quamvis aliqui milites rudes et crudeles murmurarent, quod propter unam vetulam totus exercitus inquietaretur, et si quis secutus fuisset eorum consilium, vetulam illam omnino dimisissemus in perditione. Et in hoc crudeliores Sarracenis fuerunt, qui anxii de perditione mulieris timebant eam ab aliquo Arabe aut Madianita pastore sublatam, vel a leone vel ab alia bestia devoratam et patienter nobiscum exspectabant in ferventissimo calore solis. Verum actor illorum murmuratorum, qui parvum aestimabat damnum perditionem vetulae et forte optabat, in manus incidit vetularum, et quas ante spreverat, cum lacrimis exorabat. De his vide fol. 12 B. et fol.

16 A. et fol. 55 B. et fol. 211. Fuit enim miserabilior omnium miserorum factus. Igitur qui missi fuerant ad quaerendum nostram sociam et devotam matronam, vagabantur cum clamoribus per viam deserti, et usque ad Jordanis alveum descenderunt ad locum, ubi foeminae balneatae fuerant, et ibi eam in arundineto invenerunt jacentem et dormientem. Quam excitatam susceperunt equo imponentes, et cum laetis clamoribus ad nos ascenderunt, ac si feram silvestrem cepissent.

De eo, quod in ecclesiam S. Johannis peregrini venerunt.

Accepta autem cum gaudio est matrona, et congratulabantur ei boni viri, tamquam ovi perditae, ut contingit Lucae XV., et ulterius progressi sumus, et extra arbusta et spineta in decalvatam terram venimus, in qua nec herbae nec arbusta stabant, sed colles arenosi et tumores eam inaequalem reddebant. In processu ergo venimus ad unam ecclesiam satis magnam, quae est ecclesia S. Johannis Baptistae, et ibi prosiluimus de asinis, et ingressi ecclesiam et in terram ad orationem nos prostravimus et Officium signatum in peregrinali processionali persolvimus, et indulgentias plenariae remissionis accepimus, et in umbra paululum respiravimus et consedimus (††). Dixi autem peregrinis vexationem, quam passi circa hunc locum fuimus in mea prima peregrinatione, quam et hic inserere curavi. Cum enim de solitudine ascendissemus, antequam ad ecclesiam veniremus, truserunt nos ductores nostri de asinis cogentes nos ducere asinos ad manus, et obstiterunt, ne quis ad ecclesiam ascenderet, quae supra viam stat, sed cum festinatione et cum silentio pertransire ecclesiam mandabant. Durus autem nobis fuit transitus ille, quia invite ecclesiam dimisimus, et non libenter indulgentias negleximus, et cum hoc arenosa fuit via, et quolibet passu profundae arenae incidimus quasi usque ad genua, et erat adhuc calidissima [dies,] et solis fervor intensissimus, et valde cruciati et debilitati fuimus per istum durum transitum. Causa autem erat ista (202 A): quidam maledictus Arabs et saevus

lius Belial accepit illam ecclesiam et domicilium suum eam sibi onstituit, et ex ea rapinas exercebat et pertranseuntes spoliabat, ingulariter tamen omnibus Christianis speciales inimicitias ddixerat. Est autem in oriente consuetudo, quando duo in ampo sibi obviant, et unus alterum timet, ille, qui desperat e posse alterum vincere, cadit de bestia, et pedes contra bviantem venit, in signum reverentiae, ut sic reverentiam i faciat. Sic etiam quando exercitus exercitui deferre vult, mnes de bestiis descendunt. Sic quando rex vel princeps t Sarraceni aut Mamalucci nobiles procedunt, eis obviam enientes de asinis prosiliunt, et stant, quousque pertranseunt. Quod si de bestis non descenderint in praedictis casibus, vi ab aliis dejiciuntur de jumentis cum magna contumelia t molestia. Timebant ergo ductores nostri Arabem illum, ne orte cum complicibus suis in ecclesia latitaret, et erumpentes os invaderent, praecipue si sine reverentia domum suam ertransivissemus, et ob hanc causam praeceperunt nobis de sinis descendere, et domum istam cum humilitate pertransire, uod et fecimus, licet milites impatientissimi fuerint et cani lli pessimis maledictionibus maledixerint. Ita tamen transivinus, quod neminem in loco vidimus, et hoc pro nobis fuit, uia tam ductores nostri quam nos valde illum Arabem timuinus, ne forte insequeretur nos.

De praedicta ecclesia S. Johannis et loci illius sanctitate.

Ecclesia praedicta S. Johannis est satis magna, sed jam rofanata per inhabitationem Arabum, qui in praedatione existentes in ea tamquam in loco munito manent. Altaria ejus unt diruta, et quodammodo forma ecclesiae ablata. In hoc oco dicunt S. Johannem Baptistam populis praedicasse, et unctis regulas vivendi tradidisse, ut habetur Lucae 3., et ibi Domino Jesu testimonium perhibuisse dicitur, ut dicitur Matth. . Insuper in hoc loco stabat Johannes, quando Dominus esus venit ad eum, et videns eum digito monstrabat dicens: cce, agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Joh. 1. Aliqui

dicunt, quod de hoc loco Elias in curru igneo raptus sit in coelum; sed hoc non bene concordat 4. Reg. 2. Raptus enim fuit trans Jordanem. Huic ecclesiae fuit quondam annexum monasterium, in quo S. Zozima abbas praeerat multis monachis, et juxta monasterium erat hospitale pro peregrinis, in quo mansit prima nocte Maria Egyptiaca, quando de Jerusalem descendit, ut in desertum trans Jordanem pergeret. In hanc ecclesiam venit S. Maria Egyptiaca quinta feria in epiphan. Domini de deserto, et in ea eucharistiae sacramentum a beato Zozima accepit, et tam veniendo (B) de deserto, quam redeundo in desertum transivit Jordanem sicco pede. Olim fiebat magnum festum in hac ecclesia in die epiphaniae, quando adhuc erant aurea tempora. Nam patriarcha hierosolymitanus et episcopus bethlehemitanus cum abbatibus, monachis, clero et populo descendebant huc, et Officio hic celebrato omnes simul cum vexillis [et] crucibus descendebant ad Jordanem, et juxta flumen sanctum psallebant. Abbas vero monasterii S. Johannis crucem, quam portabat, in aquam intinxit, qua intincta omnes infirmi, qui aderant, in flumen se ipsos injiciebant et sanabantur. Sani vero se devote baptizabant et robustiores reddebantur. Haec autem miracula creduntur ibi facta, non tam propter sanctitatem fluminis, quam propter observantiam religionis, tam in communibus Christianis, quam in monachis et religiosis. Officiis finitis singuli redierunt ad propria. Adhaeret huic deserto beati Jeronymi vasta solitudo, et postea mare mortuum, et supra id montes Engaddi, de quibus omnibus venit dicendum sub die XI. Augusti, fol. 242.

De sancto loco Galgalae et de ejus dignitate.

Cum ergo bene fuissemus refrigerati in ecclesia S. Johannis, iterum asinos adscendimus et cum festinantia processimus et in locum collibus arenosis elevatum venimus, per medium autem duorum monticulorum via regia erat. De quibus monticulis quidam mihi dixit, quod unus esset Garizim, alter Hebal, montes benedictionis et maledictionis, de quibus habetur Deuteron. 27.,

ed non est ita. Ubi autem duo isti montes sint, patebit fol. 05. B. In processu autem venimus ad campestria Jericho dusta solis ardoribus, in locum Galgala, de quo loco multoes sacra Scriptura facit mentionem. In hoc loco filii Israel astra metati sunt transito Jordane et primam mansionem ibi ccceperunt terrae sanctae et circumcisi ibi secundario fuerunt t celebraverunt ibi pascha et de fructibus terrae sanctae anducare coeperunt, nec amplius manna de coelo eis pluit ustatis fructibus terrae sanctae, ut habetur Josuae 4. et 5. estimo autem, quod illo in tempore, quo Josua cum filiis srael in Galgalas venit, nullum ibi fuerit aedificium, nec villa, ec civitas, sed super nudam humum exercitus se diffudit in ampestribus Jericho. Sed postquam filii Israel tentoria ibi xerunt, aedificia aliqua ibi exstruxerunt pro tabernaculo Domini et arca testamenti, quae multis temporibus ibi mansit, t pro XII lapidibus, quos Josua jusserat filios Israel de ordane tollere, quando per medium alvei transiverunt sicco ede, quos etiam posuit in Galgalis, ut dicitur Josuae 4.

Legi in uno vetustissimo peregrinali, quod in Galgalis in o loco, ubi arca Domini steterat et in quo illi XII lapides acebant, Christiani quondam solennem ecclesiam aedificaveunt, in qua repositi erant praedicti lapides, et erant impoliti, t tam magni, ut duo viri non poterant faciliter unum de erra levare. De quibus unus aliquo casu in duas partes onfractus est, et iterum ferro artificialiter junctus. De ista amen ecclesia nos ruinas non poteramus considerare, locum amen libentissime vidimus, et procidentes humum sanctum eosculati (**203 A**) sumus, qui profecto sanctus est, in quo osua jussus est calceamenta pedum exuere. Nam cum vir anctus et fortis, Josua, ibi esset in agro, vidit virum stanem cum evaginato gladio ante se, ad quem accedens intreide Josua dixit: noster es, an adversariorum? Respondit: equaquam, sed sum scilicet Michael princeps exercitus Domini, et nunc venio tibi in adjutorium, Josuae V. Locus le ab antiquo sanctus fuit reputatus, et propter sanctitatem jus cuneus prophetarum hic habitavit, tamquam conventus eligiosorum, ut habetur 4 Reg. 4. Et fuit primus locus, in uo devoti homines simul cohabitare coeperunt sicut religiosi

in conventibus, propter loci sanctitatem, quem archangelus Michael sua apparitione singulariter sanctificavit, sicut sanctificavit montem Garganum, de quo dicetur fol. 186 Part. 2, ad quem homines de longinquis partibus currunt. Sed sanctificatio hujus loci per angelum multo solennior est, cum canonicae Scripturae testimonio approbetur et verissima et indubitata Michaelis apparitio in hoc loco est facta. Currunt homines et peregrinantur in partes occidentales, usque in mare Britannicum ad quendam S. Michaelis montem, ad videndum quasdam S. Michaelis, ut pueriliter loquar, reliquias et arma, dicentes, sanctum Michaelem arma sua, quibus draconem debellavit, et quibus Josuae in agro Jericho praesidium praestitit, ad eundem montem deposuisse. Et hoc ludibrio non solum pueri, qui in maxima multitudine de omnibus partibus Alemanniae anno 1457 ad eum locum peregrinabantur, decipiuntur, sed etiam senes et sine literis prudentes. De hoc placet mihi quandam experientiam recitare. Quadam vice Ulmam cum socio exivi ad praedicandum in oppido Güntzburg, et in itinere venimus ad quendam peregrinum, qui eadem via descendit, ad quem cum industria me adjunxi et eum, unde peregrinaretur, interrogavi addens, me ipsum fuisse peregrinum in terris alienis, ideo peregrinis magis affectum. Erat enim peregrinus ille vir personatus et industrius, et eloquens de Wienna, sed saecularis indoctus. Respondit mihi: venio, inquit, de longinquis partibus ab oceano, de monte S. Michaelis. Et ego: et quid quaeso ibi quaesivistis et vidistis? Mihi dixit: quae quaesivi, inveni et oculis contemplatus sum, vidi enim in loco gloriosi archangeli Michaelis scutum et gladium, quibus cum dracone Satana in coelo bellum gessit, quibus Luciferum et omnes ejus complices e coelo pepulit, quibus armatus ante Jesum, filium Nave, in agro Jericho apparuit. Ad quem ego: o Frater, illa sunt magna. Quis vobis haec ostendit? Respondit: monachi, albis induti, viri religiosi, haec cunctis ostendunt cum solemnitate, et inde emolumenta pinguia habent. Cui dixi: quis tantas reliquias ad locum illum posuit? Respondit: Sanctus, inquit, Michael, postquam diabolum devicit et bellare cessavit, per se ad hunc montem descendit et armamentarium ibi esse constituit, et tempore Antichristi

escendet et arma ista reassumet (B) et cum iis Antichri-
um expugnabit et daemones effugabit. Post haec interrogavi
um de quantitate et qualitate istorum armorum. Qui ad sin-
ula eleganter respondit, et multa mihi dixit, quae monachi
ıi publice praedicant satis errorem implicantia. Ego autem
ıultis verbis virum informavi, quod S. Michael in expugna-
one draconis nec scuto nec gladio corporali indiguit, et quod
varitia monachorum illorum mendose illa confinxit, et arma,
uibus S. Michael pugnavit, numquam deposuit, nec pugnare
liquando cessavit. Sicut enim in coelo contra malos angelos
roelium gessit, sic in veteri testamento princeps populi Israel
uit et pro eis pugnavit, ut patet Josuae V. In novo etiam
estamento semper pro Christianis pugnat, ut patet Dan. X.
leo arma sua non deponit, cum non sint corporalia. His
ıecularis ille instructus regratiabatur mihi.

De his armis solebat saepe loqui frater Michael Sicz,
ɔcus Conventus Ulmensis, vir simplex et bonus, qui etiam ea
iderat, quia cum pueris anno supra dicto locum visitaverat
ı arma videret. Sed illa sunt puerilia conficta. Apparitio
ıtem hic in Gilgal facta est verissima et sancta, ideo hic,
ıset S. Michael quaerendus : certissimum est enim, quod S.
ıgelus hic Josuae apparuit armatus cum gladio evaginato,
ɔn quod habuerit gladium artificialem, sicut nec corpus, in
ıo apparuit, sibi connaturale fuit, sed tam corpus quam arma
ıerunt aërea nec usibus humanis apta, et post apparitionem
ı pristinum statum resoluta. Qui ergo desiderat videre loca
ı quibus angeli veraciter apparuerunt, hanc peregrinationem
ısumat, et haec et majora videbit.

De valle Achor furis, ubi fuit lapidatus.

A Galgalis autem consequenter processimus contra Jericho juxta vallem Achor venimus, in qua ipse cum omni sua ıpellectili et domo lapidibus fuit obrutus propter furtum, ıod commiserat in subversione Jericho, ut patet Josuae 7. ıxta hanc vallem admirati divinae justitiae severitatem, ıae pro delicto unius totam communitatem punit, et pec-ıtum unius omnibus improperat, sicut dicit textus cap. 7.,

quod filii Israel praevaricati sunt, et nemo, nisi Achor, peccaverat, qui regulam auream et vestem et argentum furatus fuerat. Achor ille exemplum mali religiosi praefert, qui furatur auream regulam S. Augustini, quae idcirco aurea dicitur, quia pretiosa, splendida et ponderosa, caritate est plena. Hanc furatur transgressor. Vestem etiam injuste accipit, dum ad superfluos usus eleemosyna abutitur. Et argentum humo operitur, dum gratias sibi datas ad quaestum humanae laudis convertit. Pro ejus negligentia non solum ipse, sed et tota communitas turbatur.

Ab hoc loco non longe ante civitatem venimus in eum locum, ubi coecus sedebat secus viam mendicans, quando Dominus de Galilaea ascendit in Jerusalem, et ibi eum Dominus illuminavit, ut habetur Luc. 18. In hoc loco legenda de processionali solvimus et procidentes (**204 A**) in terram vestigia Salvatoris nostri deosculati sumus et indulgentias recepimus (†).

De domo Raab meretricis et de domo Zachaei et tribulatione peregrinorum.

Post hoc ad Jericho venimus civitatem, et juxta civitatis ingressum stat una domus testudinata, vetustissima, quam dicunt fuisse domum Raab meretricis, de qua habetur Josuae 2. pulchra historia, et ponitur etiam meretrix haec in evangelio Matth. 1. in Domini Jesu genealogia. Salmon enim, princeps de tribu Juda, eam accepit in uxorem, et genuit ex ea Boos. Et ita assumta est haec mulier de ignominioso prostibulo et posita in glorioso evangelio. Et licet civitas haec sape fuerit destructa, tamen, mirum dictu, sola domus Raab meretricis semper remansit et hodie monstratur.

Ulterius domum Raab posttergantes venimus ad quandam magnam domum in medio villae, cujus muri adhuc sunt alti et spissi, ac si fuisset castrum. Et haec dicitur fuisse domus Zachaei, quam Dominus Jesus per se sanctificare et consecrare dignatus est, cum dixit: hodie salus huic domui facta est. In qua comedit et multos peccatores cum Zachaeo convertit. Libenter ingressi fuissemus, sed non sumus permissi. Stetimus

tamen juxta murum, et quidam de peregrinis optabat Zachaeum adhuc esse domus illius hospitem, ut nobis provisionem faceret, eramus enim esurientes et sitientes, et ea, quae de Jerusalem in sacculis nostris tuleramus, iam consumta paene erant. Speravimus tamen, quod in Jericho panem et aquam reperiremus pro refectione nostra, his enim optime contenti fuissemus. Sed alius cibus parabatur nobis, panis angustiae et aqua tribulationis.

Nam nobis stantibus et conferentibus inceperunt ductores nostri celeriter et cum horribili clamore nos propellere et stimulare ad exitum de Jericho. Viri namque Jericho conglobati nos praeoccupare nitebantur ad extorquendam pecuniam. Hoc considerantes nostri citius exire nos impulerunt, et ipsi nostri armati in eorum cumulum cum equis irruerunt eosque diviserunt, viam nobis per medium eorum parantes. Ad hoc pueri et mulieres accurrerunt et cum lapidibus in exercitum jactaverunt; inter haec multi fuerunt de asinis tracti, et pileis spoliati, et aliqui lapidibus laesi. Et fuit tantus tumultus factus, quod propter cursum bestiarum et hominum fuit terrae pulvis excitatus in tantum, ac si tenebrosa nebula Jericho operuisset. Cum autem viri Jericho vidissent, quod nihil in nos haberent, et quod paulatim manus eorum evaderemus, converterunt se ad lapides, et nos cum ductoribus nostris cum periculo magno a se ejecerunt, et omnes fugimus, ac si gladiis nos persequerentur. Exivimus ergo non solum inanes de Jericho, sed etiam castigati et confusi, de quo multi milites fuerunt turbati, et optabant ignem de coelo descendere ad consumtionem Jericho (**B**) et habitatorum ejus, moti eodem spiritu, quo Jacobus et Johannes Lucae IX., quando in civitate quadam Samaritanorum Dominum Jesum et discipulos ejus recipere nolebant, quam igne coelesti consumere volebant. Sed reprehensi de hoc fuerunt, ut patet ibidem.

De civitate Jericho, qualis fuerit, et qualis nunc sit?

Jericho civitas alio nomine vocatur civitas palmarum, 2. Paral. 28., in sorte tribus Benjamin sita. Fuit autem ab antiquo civitas abundans et in bono loco, nisi quod aquis dulcibus

caruit usque ad tempora Helizaei prophetae, qui fontem satis amarum dulcoravit, ut patebit fol. 7 A. Haec civitas prima fuit, quam filii Israel transito Jordane ceperunt, et multa mirabilia in ejus captione contigerunt, ut patet Josuae VI. Hanc Josua funditus evertit et maledictionem imprecatus est super primogenitum filium et super novissimum eam reaedificantis. Unde post multa annorum curricula quidam, dictus Aiel de Bethel, cum eam reaedificaret et fundamenta jaceret, mortuus est Abyram, primogenitus ejus, et cum portas muniret, mortuus fuit Segub, novissimus filius ejus, juxta imprecationem Josuae, ibidem C. 6. et 3. Reg. 16. Haec civitas fuit primo per Josuam destructa; secundo per Romanos; tertio per Tataros. Et demum per alios, ita quod hodie est villa sine muris, sine fossatis, et paucarum habitationum. Homines illius villae sunt fusci et fortes, et mulieres sunt ibi robustae ut rustici, ita, quod vix potest discerni inter virum et foeminam.

De hortis amoenissimis Jericho et de rosis ejus.

De Jericho autem egressi sumus et male ductores nostros respeximus propter vexationem nobis factam, quia suspicabamur, quod ex practica eorum nobis contigisset, et impatientes eramus pro jejunio, quia dominica dies erat, et nihil manducandum habebamus, et in labore et calore eramus. Promiserunt enim nobis, quod in Jericho panem et aquam reperturi essemus et quietem habituri. Cum vidissent autem nos turbatos, blandis verbis nos consolabantur, nos, dicentes, statim venturi essemus ad fontem bonum, et pistores de Jericho nos sequerentur cum panibus. Itaque de Jericho egressi contra montana Quarentanae processimus et per macerias hortorum Jericho euntes pulcherrima viridaria vidimus, quae irrigantur aquis venientibus de fonte Helizaei, de quo suo loco dicam. In his hortis vidimus multas sicomoros, arbores proceras, in quarum aspectu recordati sumus illius sicomori, in quam ascendit Zachaeus, ut videret Jesum, Lucae XIX. Crescunt etiam ibi aliae arbores fructiferae et aromaticae vites, et fici multae cum dulcissimis fructibus, insuper diversorum florum et variarum rosarum ibi vidimus species, et delectabiles et

agrantes sensimus odores, virgulta etiam et arbusta spinosa ngulares rosas et grana suavia ferunt. Herbae etiam et lera videntur ibi esse magis delectabilia, et quaequae plantae, t quidquid gignit humus in hoc loco est singulare. Propter uod ipsa divina sapientia se comparat rosae, non cuilibet, ed tantum rosae in Jericho, quae sunt pulcherrimae. Eccles. 4.: sum, inquit, quasi (205 A) plantatio in planta rosae ericho. Et beata Virgo singulis diebus ex ore ecclesiae dicit e quasi rosam Iericho. Sunt enim rosae illae venustissimae, t suo decore visum pascunt, odore olfactum reficiunt, levi- ate tactum delectant, virtuositate aegrotos sanant, colore tristes ietificant, specie mirabili prudentes in admirationem vertunt, t sua pulchritudine paradysi amoenitatem devotis praeosten- unt. Habet namque una rosa plus quam centum folia. Io- ephus de his hortis loquens libr. V. de bello judaico cap. 8. icit: quod illa regio olim ferebat opobalsamum, qui omnium arissimus fructus est, et cyprum, qui myrobalsamum gignit; almarum etiam grana, tam sapore quam nominibus varia, uae pressae calcibus plurimum mellis emittunt, non multum lio melle deterius. Sed nec in aliis fructibus aliqua facile oto orbe regio certaverit, adeo multiplicatum, quod satum nerit, reddit. Tantam autem fertilitatem mirabamur eo, quod egio supra et infra sterilis est. Sed de fonte Helizaei ad- enit loco illa fertilitas.

De montibus Garizim et Hebal, benedictionum et maledictionum.

Aquae decursum, quae hortos illos irrigat, ascendimus ontra montana, a quibus emanat, quae montana alta sunt. orro duos montes se invicem respicientes vidimus, e quibus nus Garizim, alter Gebal vel Hebal nominatur. Sama- itani autem dicunt, hos duos montes juxta Neapolim, i. e. lichem, esse, et hoc etiam quidam catholici dicunt, et in multis escriptionibus terrae sanctae reperi. Sed beatus Ieronymus e distantiis locorum dicit, quod illi vehementer errant, qui hos montes assignant pro montibus Garizim et Hebal, quam rope Iericho, cum Scriptura testetur, esse eos juxta Galgalas,

et illi montes juxta Sichem, quos dicunt esse Garizim et Hebal, sunt inter se distantes, nec possunt invicem benedicentium aut maledicentium audiri voces. Alii vero monticulos supra capellam S. Johannis et infra Galgalam volunt dicere hos duos esse. Sed nec hoc mihi videtur, quia monticuli illi non sunt nisi arenosi, comportati per ventos, nec possent capere tantum populum et tot principes, et altaria de lapidibus impolitis non posset arena portare, sicut praeceptum fuit 17.

Teneamus ergo cum beato Hieronymo, quod montes illi, quos ad latus dextrum habuimus, Garizim et Hebal, in quibus poterant principes XII tribuum stare et altaria aedificare et ad se invicem maledictiones et benedictiones clamando pronuntiare, et populus in campo stans eos poterat audire.

Ad illorum montium aspectum obstupuimus propter horribiles maledictiones ibi in praevaricatores legis latas, quae habentur Deut. 27. et 28. Nec dicat Christianus, quod Judaeorum fuerint duntaxat hae maledictiones et benedictiones. Sunt et Christianorum, unde Matth. V.: nisi abundaverit justitia vestra, plus quam scribarum etc. Ex quibus patet, quod abundanter nos tangant suo modo in illis, quae post adventum Domini servanda erant. Contra istos ergo montes genua fleximus et Dominum montium invocavimus.

(B) De loco, in quo pueri deriserunt Helizaeum calum prophetam.

Avertimus consequenter nos a montibus benedictionum et maledictionum et ad radices montium Quarentanae venimus, sequentes aquae decursum per viam, qua itur a Jericho in Bethel, per quam etiam legimus adscendisse Helizaeum prophetam 4. Reg. 2. Qui dum ibi adscenderet, egressi sunt pueri parvi de Jericho post virum sanctum, et irridentes illudebant ei, atque clamabant: adscende calve. Quos ut propheta vidit et audivit, stetit, oravit et pueris illis maledixit. Et statim egressi sunt duo ursi de saltu et devoraverunt XLII pueros. Ex quo patet, quod periculosum sit, senes et calvos deridere, cum senes calvi et cani potius sint honorandi. Designat enim

calvities vitae et aetatis maturitatem, exstinctionem libidinis et vitiorum puerilium mortificationem, vitae praesentis et futurae instantis necessariam novitatem. Est enim signum roboris et fortitudinis, quia dicit Aristoteles de animalibus, quod inter animalia proprie viri calvi sint, et non pueri, nec mulieres, nec castrati, sed viri animosi. Designat enim prudentiam, ut patet in illo versu: Si non vis calvi fuge consortia calvi. Hunc versum quidam non intelligentes utuntur eo ad derisionem calvorum, cum tamen in eorum magnam laudem eos prudentes esse ostendat. Statim enim, ut quis in calvi consortium venit, mox perpendit calvus, an consortium illius sit honestum, utile aut delectabile, vel non. Et dum calvus considerat consortium illius non convenire, abjicit eum, fugit eum, cavet ab eo, et tales sic spreti judicant calvos esse deceptores et callidos, et versus tales componunt. Vel si quis est in consortio calvi et inhonesta agit, mox contra eum calvus consurgit, corripit et carpit, et hoc tales deceptiones nominant. Vel quia calvus, ut decet, semper sibi proximus esse studet, et partem suam meliorem facit, quia scilicet hoc proverbium, quo dicitur maledictus, qui deteriorem facit partem suam, ut ergo sibi semper proximus sit, et faciat suam partem non deteriorem, conatum omnem apponit calvus; quod dum improvidi et maledicti vident, qui semper partes suas deteriores faciunt, invident calvis, et judicant, eos esse deceptores, cum sint meliorum bonorum prudentes electores. Calvities pertinet etiam ad ornatum hominis, non quidem per se, sed per accidens. Multum enim calvi sunt communiter multum barbati, et multo amplius decorat barba viri faciem, quam calvities dedecorat verticem. Calvi etiam secundum Aristotelem abundant in omnibus aliis partibus corporis, in quibus pili crescere consueverunt, pilis, ut in pectore, barba, pudendis, quae omnia designant virum laboriosum, audacem, veracem. Sed quantumcumque abundet quis pilis in capite, numquam ideo judicatur vir audax vel imperterritus, sed potius ex pilorum longitudine et multitudine judicatur muliebris, effoeminatus, et pavidus vel puerilis. Solet autem de calvo communiter dici in laudem, quod calvus numquam fugit de proelio, nec uxor ab eo, in quo a duplici virtute laudatur

miro modo reipublicae necessaria; tanta enim fortitudine et audacia viget, ut in bellis et periculis mortis imperterritus maneat; domi autem consistens rempublicam multiplicatione liberorum sine defectu augmentat, nec invenit uxor, etiam iracunda, rationem recedendi ab eo, conjuncta tam virtuoso supposito. In derisionem calvorum recitant de Aeschine oratore calvo, qui die quodam moenia egressus sedit in horto nudato capite; aquila autem in aere volitans, praedam testudinem unguibus ferens, terramque respiciens, ut illam super lapidem quempiam dimissam frangeret, super Aeschinis caput, quod propter calvitium aquilae lapis videbatur, eam cadere permisit, et hoc vulnere vitam amisit. Huic autem diffortunio Julius Caesar obviare volens, vel calvitiae deformitatem arte ornare, impetravit a senatu, uti perpetua laurea. E contrario nunc dii mundi, monarcha orbis Papa, et totius [ecclesiae] principes et ministri, calvitium capitibus suis natura negante, arte rasuram inducunt in demonstrationem eminentiae, et quanto altior status, tanto latior calvities. O quantum optasset superbus ille Absolon se de calvatis, dum palpitaret pendens, coma suspensus in quercu, 2 Reg. 18. Quantum autem calvi Deo placeant, patet ex dura et (206 A) insolita puerorum Jerichontaeorum calvum deridentium punitione. Ideo in via et in loco illo, in quo illa derisio contigit, stetimus, et sanctitatem dignitatemque calvorum accurate considerantes eos consequenter honorare et nequaquam deridere decrevimus, propter eum, qui non nisi in monte calvorum vel decalvatorum redimere humanum genus sua morte voluit. Cujus mortis insignia in vertice et ancipite calvi praeferunt, qui iam mortui sint mundo et vivant Christo. Caput enim eorum manifeste mortis speciem, mortis figuram habet, et tamen ratione, circumspectione et sensu plenum est, ita, ut calvis bonis et honestis dici possit illud Colossenses 3.: mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in gloria. Quasi diceretur eis: mortuis similes estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in gloria. Sed quam separati et abstinentes a rebus hujus mundi deberent esse calvi, ostendit Apostolus, Coloss. 2. dicens: si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid adhuc tamquam

rentes in mundo decernitis, ne attigeritis neque contrectaritis omnia, quae sunt in interitum ipso usu? Magis ergo turitas, ingens et infatigabilis devotio et gaudiosa mortis spectatio debent lucere in calvo, ut dicatur sibi, iam non malis pueris sed a beatis angelis: ascende calve, ascende, quam, calve ad montem meritorum tuis bonis et jugibus tis comportatum, coagulatum et impinguatum. Ascende mum, calve, ad montem praemiorum et aeternorum gaudiom, et ibi erit tibi pro calvitie crispans crinis, sicut peccaribus erit pro crispanti crine calvitium. Esaiae 3.

e transitu peregrinorum ad fontem Helizaei prophetae.

A loco erisionis S. calvi consequenter ascendimus per vum accurrentis aquae et in quandam paludem profundam cidimus, quam cum multa difficultate pertransivimus. Aliqui nim cum asellis in luto infixi manebant et cum deturpatione mnium vestimentorum suorum vix exibant, et qui laterales ias et singulares quaerebant, profundius incidebant, et qui xta arbusta pertransire contendebant, duplici incommodo borabant, quia profunde incidebant et in acutissimas spinas eniebant; omnia enim virgulta sponte nata in istis terris sunt pinosa acutissimis spinis, quarum tenuis punctio vulnus dorosum infligit, ac si spinae essent in aculeis venenatae. In ansitu illius paludis veni ego in spinas cum bestia mea, de uibus exire non poteram cum cappa integra, sed multis foraminibus laceratus cum labore et anxietate pertransivi; quia onachus in cappa non bene stat in spina et lappa.

Transgresso palude ascendimus ad latus rivi et ad noddam molendinum venimus, ubi aqua rotas impellit, nec rat alia via ulterius ascendendi, nisi per ipsum molendinum. d quod cum venissemus, stabat molitor cum suis famulis um fustibus et cuspidibus ante fores contra nos, et transitum rohibebant. Post multam autem verborum concertationem uctores nostri vi domum irruperunt et pertranseundi obis viam fecerunt. Ex alia autem parte molendinae (EE) dhuc altius ascendimus et venimus ad locum umbrosum, rboribus et virgultis plenum, per quorum medium magno

impetu decurrebat aqua. Ibi ergo de asinis decendimus et sub frondibus ad decursum rivi conscendimus divisi per societates, et ea, quae adhuc supererant in saeculis nostris, produximus et manducavimus et de aqua bibimus, quae inter saxa decidens erat clara, viva, recens et sana. Ego autem cum producerem reliquias sacculi mei, inveni omnia contrita in minutas partes et commixta, panem, ova dura et caseum, quod mihi accidit, cum volutarer in palude cum asino, ibi enim in agitationem venit saccus sub me, quod super eum sedi, et ita omnia in minutissimas micas contrivi. Quia tamen famelicus eram, sedi et ipsas micas commixtas manducavi cum delectatione; nam animae esurienti etiam amara dulcia esse videntur, Job c. 6.: et ideo quae prius dedignabatur tangere anima mea, nunc prae angustia cibi mei facti sunt. Fateor, quae in domo non aspexissem, imo horruissem, nunc contrectavi et manducavi sine nausea, et non nisi exiguitatem illarum micarum dolui, et de modicitate querelam habui. Subvenerunt tamen mihi fratres minores, qui nobiscum peregrinabantur, qui practicas sciunt et de sufficienti sibi pane et etiam vino provisionem faciunt. Interea nobis sic sedentibus venerunt ad nos de Jericho viri et mulieres, et sportas magnas plenas uvis asportaverunt et panes, de quibus emimus, et bonum prandium fecimus sine coctis cibis.

Refectis nobis pro modulo cibariorum et non desideriorum, locavimus nos ad quiescendum, unusquisque in loco suae sessionis, et saxa removimus illa, in quibus jacere non poteramus. Tota enim humus plena saxis erat acutissimis, inter quae jacuimus, et quamvis lectus durus fuerit, locus tamen aptus quieti erat, tam ex parte nostri, quam ex parte loci. Nos enim eramus lassi et sobrii, et praeteritam noctem quasi insomnem duxeramus laborantes et balneati in Jordane, et cum hoc tempus meridiei affuit, quo homines somno deprimi solent. Locus vero fuit umbrosus et ab aestu protectus, et cum hoc aqua impetuose labens per saxa sonitum faciebat, quo dormitio in lasso provocatur; collidebantur etiam ex flatu venti folia arborum et virgultorum, quo sono suavis redditur somnus. Nam inter arbusta virentia et olentes frutices levi murmure serpit clarissimus rivus, et ventus molli

sibilo palmites agitans ad quietem impulit lassos. Interea quidam peregrini parvo somno habito surrexerunt et contra rivi decursum transierunt, ut irent ad locum, ubi emanat de monte. Quibus occurrit quidam Sarracenus et eos cum lapidibus fugavit et in locum suum ire coegit.

Descriptio fontis Helizaei prophetae, qualis fuerit et qualis nunc sit?

Fons, ex quo rivus fluit, dicitur fons Helizaei, cujus ortus non longe erat a loco, in quo quievimus, quamvis ad eum accedere permissi non fuimus. Eructuat enim de montis (207 A) crepidine; cum impetu copiosas aquas emittit, quae de saltu descendunt [et] campestria circa Jericho irrigant, a quibus defluens contra mare mortuum in illud labitur. Porro aquae illius fontis ante tempora Helizaei erant semper amarissimae, pestiferae, morbidae, steriles et mortiferae, sicut et aqua maris mortui. Unde multis erat suspicio, quod per occultum subterraneum gurgitem ascenderet aqua maris mortui usque huc et hic erumpens iterum in suam originem reflueret. Sunt autem ab origine illius fontis usque ad mare mortuum tria milliaria alemannica. Ante Helizaeum nullo modo erat aqua illa potabilis, nec hominibus nec bestiis, sed qui siti coactus bibere praesumsit, mox os, palatum, lingua et guttur abominabili amaritudine inficiebatur, et si repente sorbens imbibit, statim peste aut alio morbo mortifero inficiebatur, ad quem mors sequebatur; sic et hodie aqua maris mortui facit. Insuper mulier hac aqua utens sterilis prorsus reddebatur; et quae iam foetum conceperat, ad gustum hujus aquae exstinguebatur. Sic et bestiis similiter contigit. Terra aqua hac perfusa nihil virens producere valuit, sed inutilis reddebatur, unde civitas Jericho multum gravabatur hujus pessimae aquae decursu. Quodam autem tempore declinavit propheta Helizaeus ad Jericho, quem viri Jericho cum honore et gaudio susceperunt, et eo interrogante de statu civitatis dixerunt: ecce habitatio hujus civitatis optima est, sed aquae ejus pessimae et steriles. Hoc audiens propheta accepto vasculo pleno sale egressus est ad fontis originem, et sal ipsum in

aquam fudit, justam inde ad coelum dexteram tendens fontique invergens blanda libamina ipsum quidem precabatur, ut fluenta leniret ac dulciores aquarum venas aperiret, Deum vero ut foecundioribus auris flumina temperaret, orabat, tamque ubertatem fructuum quam successionem prolis daret indigenis. Ad has preces sanatae sunt aquae et dulciores caeteris aquis et fontibus factae, et fons, qui ante erat causa orbitatis et famis, jam victus et foecunditatis actor effectus est. Denique rigationis ejus tanta potentia est, ut si attigerit modo terram, foecundior sit, quam terra alia, in qua diu stetit aqua. Deinde qui ea largius abutuntur, exiguum emolumentum habent, qui vero parcius, plurimum. Amplius etiam, quam caeteri fontes, rigat, et LXX quidem stadiis in longum et XX in latum planiciem permeat et amoenissimos hortos facit, quos pertransit, ut patuit supra. Aestivo tempore frigescit, hieme calescit. Mulieres steriles et bestiae infoecundae usu hujus aquae pro potu et balneo foecundantur. Adeo salubris est et frugifer aquae hujus transitus, ut qui divinum illum dixerit esse tractum, non aberrabit, ubi larga et optima generantur, quae sunt carissima. Haec Josephus libr. II. de bello Judaico cap. 8.

Distat autem fons ille ab Hierosolymis centum quinquaginta stadiis, et a Jordane LX, totumque habet a Jerusalem desertum atque saxosum spatium; ad Jordanem vero et mare mortuum littus humilius, aeque tamen incultum et sterile, demtis his, quae fons ille benedictus (BB) irrigat, quae ut paradisus virent. De hac aqua bibimus, sicut vaccae sine modo, quia ad eam ariditate confecti venimus et sitibundi, et nemo laesus fuit. Hujus aquae et ejus sanationis facit mentionem ecclesia in aquae benedictae consecratione etc.

De periculoso ascensu in specum jejunii Christi et de ipsius specus et montis dispositione.

Quievimus igitur juxta fluenta praefati fontis ad horam et ultra et exspectavimus remissionem fervoris solaris, medio tamen tempore, fervore non obstante, laborem grandem subivimus, non quidem omnes, sed qui volebant, et qui poterant;

ıajor tamen pars peregrinorum labori et sequenti periculo se exosuit. Surreximus enim et refrigerativas umbras dereliquius et de amoenis virgultis exivimus ad intensissimos solis ervores et sine via clivum alti montis ascendere conati sus, reptando sursum per rupes et saxa. In illo ascensu ıulti debilitati et aestu nimio accensi manserunt, nec proceere potuerunt, sed spiritu resumto descenderunt ad umbras. n processu venimus ad locum, in quo aliqui peregrini sedeunt, et mulieres sociae nostrae peregrinae, quae hora quietis scenderant, nec progredi poterant nec audebant. Quas um interrogaveramus, cur non procederent, responderunt, uod non pro toto mundo auderent procedere propter viae ericulum. Ibi enim oportebat procedentem ad latus sinistrum re super oram altissimi saltus, per viam adeo arctam, quod er eam nemo ire poterat, nisi eundo lateraliter, quia transis ille erat ad latus parietis petrae, ita, quod ab una parte st profundissima vallis, ab alia vero est erectus et altus aries rupis, ad quem transiens se vertere necesse est, ne ex spectu profunditatis horresceret, et ut ambabus manibus se d parietem teneret et reperto tenaculo ad pedes respectum aberet, ut videret, ubi pedem post pedem et manum post ıanum locaret. Si enim semel duntaxat pes positus a loco ıoveretur vel lubricitaret, non nisi casus et praecipitatio in allem sequeretur, quia a tergo vallis est, et ante faciem aries petrae in altum protensae, et sub pedibus via arcta et ıaequalis, et nonnumquam per medium scissa ex ruptura etrae, per quas scissuras in profundissimas et tenebrosas oragines est respectus.

Si transiens ad vallem respicit, mox inspecto praecipitio lto contremiscit; si vero parietem, cui adhaeret, inspicit, suerpendentes moles pavescit. Animo ergo confortato artam lam viam adgressi sumus eamque non sine timore pertranivimus. Et deinde ad ascensum valde periculosum venimus, ub quo multi milites timentes stabant, qui ascendere trepiabant, quia casus in illo ascensu et lubricitatio pedis parula mors fuisset; non enim erat alius ascendendi modus, nisi ıanibus et pedibus loca quaerere, ubi ea posset figere. Et ım superius venissemus, ad introitum cujusdam speluncae

venimus; ibi stabat unus paganus Arabs cum fuste (208 A) et nullum intromisit, nisi daret sibi marcetum venetianum, quo soluto ingressi specum sumus, in quo specu creditur Dominus Jesus XL diebus et noctibus jejunasse, ut tradunt Evangelistae Matth. c. IV., Marc. c. 1. et Luc. cap. IV. Cantavimus autem ibi: ductus est Jesus etc. cum aliis signatis in processionali terrae sanctae. Et his peractis in orationem nos prostravimus et indulgentias plenariae remissionis accepimus (††), et diutius in hac sanctissima spelunca contemplationi et sacrae collocutioni institimus. Sic quidem in ea Salvator noster solitarius manet, jejunat, orat, vigilat, in terra nuda jacet et dormit, humiliter et pacifice cum bestiis degit, cum diabolo pugnat, scripturas ruminat, angelorum ministerio gaudet. O quam sancta solitudo! Ad quam Spiritus Sanctus filium Dei induxit, quam Dominus Jesus sua inhabitatione sanctificavit, quam suo dignissimo jejunio nobilitavit et aliis mirificis virtutum exemplis glorificavit, in qua callidissimi inimici humani generis dolos detexit, tentatis ab eo modum vincendi tradidit. Unde specus hic potius dicendus est virtutum schola quam deserti caverna. Contemplatione peracta ad loci sacri considerationem processimus curiosius perlustrantes cavernam. Est enim spelunca satis magna in petra, non arte humana excisa, sed a creatore in principio forata, ab una parte lumen incidens desuper per aperturam habens, et fuit olim a Christianis in capellam consecrata, et duo altaria in ea et picturae in parietibus, quae adhuc videntur. Per foramen autem, per quod lumen immittitur, est transitus sursum ad montis cacumen per abruptissimas petras, qui transitus est nimis periculosus. Per hunc transitum duxit diabolus Dominum Jesum in montis cacumen, et ostendit ei ibi omnia regna mundi, ut patebit. Ego quidem in ipsam fenestram ascendi, sed procedere ad ascensum ausus non fui, imo aspiciendo profunditatem voraginis et altitudinem protensae rupis horrorem habui. Stabant autem alii peregrini et videbant; si exivissem, multi me secuti fuissent. Cunctis ergo visis, quae erant in ista spelunca sancta, eadem cautela et timore exivimus, et alibi per rupes ascendimus in alia antra. Sunt enim undique per circuitum speluncae in rupibus,

et sub petris antra, et in saxosis parietibus cavernae, partim naturaliter, partim artificialiter factae, in quibus olim degebant Sancti christiani, totus enim mons repletus erat viris religiosis, qui cum Domino ibi in poenitentiali castigatione vivebant. Evagatus sum in utraque mea peregrinatione in hoc sacro monte et inveni multas cellulas, saxis durissimis incisas, et in abruptissimis petris speluncas, et in periculosis saltibus cavernas, in quibus vidi horrenda sanctorum monachorum habitacula et deprehendi in illis cavernis loca distincta pro oratione, pro dormitione, pro cibariorum praeparatione, pro rerum necessariarum conservatione, et in parietibus foramina quadrata pro librorum repositione. In oppositis saltibus vidi cavernas, ad quas nemo potest venire nisi venatores caprearum et ferarum, in quibus monachi olim habitavere, et per occultos meatus (B) intrabant et exibant, et viam omnibus celabant, ut non inquietarentur per frequentias hominum. Sed, heu! omnes hae cavernae et cellulae sunt jam vacuae et ferarum foveae. Non sunt multi elapsi anni, quod adhuc conventus monachorum orientalium ibi habitavit, quos quidam dominus Gazarae, Sarracenus, inde expulit et viam ad specum destruxit, ita, quod nemo adire potuit. Sed Soldanus per Christianos interpellatus viam reparavit hoc modo, sicut hodie stat. Ad haec montana conscenderunt duo exploratores, quos Josua in Jericho miserat, et in speluncis illis latuerunt juxta consilium Raab meretricis, ut habetur Josuae 2.

De ascensu alterius montis et difficultatibus ibi habitis.

Perlustratis habitaculis et cavernis Sanctorum optavimus nos esse consequenter in summitate montis, ad quam longa via sursum erat per eminentes rupes, et adeo asper et praeceps ascensus ille nobis videbatur, quod nemo sperabat se posse ascendere. Quidam autem erat nobiscum, qui alias etiam ascenderat, qui dixit nobis, quod non possemus in illa parte ad cacumen venire, sed si vellemus ascendere, oporteret nos quasi totaliter descendere, et in montis radice contra aquilonem gyrare, et ab eodem latere possemus sine periculo praecipitii ascendere, sed non sine grandi labore et sudore.

Descendimus ergo paene usque ad locum, in quo exercitum dimiseramus, et ibi stetimus et deliberavimus, an gyrum montem et ascendere vellemus, non enim habuimus nobiscum ductorem, qui nobis verum ascendendi locum ostenderet. Cum autem transivit in clivo montis supra nos grandiusculus Sarracenus, quem ad nos vocavimus et unum madinum ei dedimus, ut nos in montis cacumen duceret. Juvenis ergo accepto argento ad locum ascensionis ire coepit, et nos sequebamur eum, quod ut viderunt nostri ductores, egressi de umbra magnis vocibus clamarunt prohibentes nobis ascensum, dicentes, se iam velle a loco recedere. Sed et peregrini reliqui, qui in umbra remanserant, stabant et nos revocare conabantur et instare recessum simulabant. Sed nos juvenem secuti sumus et clamores eorum non advertimus, imo male contenti fuimus de clamoribus fratrum nostrorum peregrinorum. Audivi ab uno de militibus, qui nobiscum erant, qui dixit: et, si non vererer Sarracenos, quorum furorem timeo, ad peregrinos post nos clamantes me verterem eisque mala verba dicerem; quod si adhuc perseverantes clamarent, nuda posteriora eis ostenderem. Hoc dicens magnum inter nos risum concitavit. Interea elongati sumus ab eis, ita, quod clamores eorum audire non poteramus. Vidimus tamen eos ascendere equos et asinos, ac si recedere vellent sine nobis, vidimus etiam quosdam peregrinos post nos currere, qui obdurationem nostram videntes spreto clamore Sarracenorum nobiscum manserunt. Processimus ergo et ab aspectu exercitus venimus ad locum, ubi ascensus montis incipiebat, et sequentes exspectavimus, ut omnes simul essemus. Incepimus ergo ascendere per clivum altum. Porro unus de peregrinis contra montem genua flexit, et Deo invocato (**209 A**) sic flexis genibus ascendere incoepit erecto corpore et extensis brachiis in modum crucis et ita per totum horridum et asperrimum clivum ascendit, quod nec pedibus nec manibus se juvabat, sed quando necessitas eum coegit, cubitis innitebatur, ita, quod manus ad sui supertractationem non apposuit, nisi aliter non esset possibile eum ultra procedere, sicut quandoque in praecipitiis. Quantum laborem et cruciatum hic peregrinus habuerit in illo ascensu, testabatur motus vehemens de uno latere in aliud,

dum passus genibus faceret. Si enim passum sinistro genu fecit, in latus sinistrum totaliter inclinabatur; si dextro, in dextrum; et inter hoc frequenter vel in latera ruebat vel pronus in faciem cadebat, et fractis caligis in parte genuum rumpebatur etiam pellis, et sanguine vestigia sua signabat singula. Manicae circa cubitos ruptae erant et brachia vulnerata, facies tumefacta, et tota hominis illius species immutata fuit. Ecce etiam quod nos reptando manibus et pedibus difficulter ascendimus, ille geniculando et cubiculando ascendit, viriliter pro nihilo ducens cruciatum; nam poenitentia sancta amara facit dulcia, difficilia levia, dura mollia. Quis quaeso non moveretur ad pietatem videns illius boni et probi peregrini exercitium arduum, difficile, virtuosum? Quem non poeniteret peccati, videns peccatorum tam duram punitionem? Ascendimus igitur in altum et vidimus supra nos cacumen longe distans, ad quod altis et brevibus et crebris respirationibus anhelavimus, putantes ibi finem esse ascensionis. Sed dum cum labore hoc cacumen attigissemus, tunc apparuit aliud altum cacumen in altum super omnia montana se tollens, et quamvis jam altiores essemus cunctis montibus per circuitum, ab illa tamen altitudine consurgebat alius mons rotundus, qui ab inferiori latior successive ad superiora acuebatur, et quanto altior, tanto magis praeceps erat et asperior, utpote acutissimis scopulis undique vestitus, sed et ipse mons totus quaedam limpidissima petra est, a qua scopuli et acuta saxa consurgunt. Fortificavimus ergo nos invicem, et ipsum montem sanctum aggressi sumus et usque in cacumen pervenimus, et illi, qui primi superius fuerunt, sequentibus manum porrexerunt sursum eos de scopulis ad se trahentes. Omnes autem simul praefatum peregrinum exspectavimus, eumque ad nos traximus debilem et paene exanimem. Ad medium autem cacuminis perreximus, et ibi ad murum capellae nos locavimus ad umbram pro respiratione, antequam ad orationem procederemus. Valde enim attenuati et debilitati fueramus per illum laboriosissimum ascensum, et nimio calore incensi, unde, dum aliqui peregrini sedentes respirarent, corruerunt in terram aestuantes; aliqui vix anhelatum habere poterant; caeteri sedebant et cum pileis ac vestibus auram

Ad meridiem vidimus supra mare mortuum vastam solitudinem beati Ieronymi, montes Enggadi, montem Loth, et desertum Tecuae, et Idumaeae montes.

Ad aquilonem vero vidimus montes Armeniae, Libanon, Antilibanon, montem Hermon, et montes Galilaeae, Thabor, Carmeli, Gelboae etc.

Ad occidentem autem vidimus montes Israel, in quibus et fuimus. Montes vero circumstantes Ierusalem videre non poteramus, quia altiores nobis erant, et in accubitu montis Oliveti sunt montes et desertum Quarentanae. Omnia ante dicta loca etiam in monte Engadi magis determinate vidimus, de quo monte et aliis vide fol. 283 B.

Porro sub monte, in quo eramus, est Iericho, a quo ad austrum declinando est Haji. Ad occidentem vero est Bethel, quaedam nominata civitas, ubi Iacob scalam in somnis vidit, et hodie monstratur ibi lapis, quem capiti suo suppositum habuit, quando scalam vidit, eumque evigilans oleo inunxit. Dicunt Hebraei, quod Iacob dormire volens tres coacervavit lapides supponens capiti, quia dicit textus, accepit de lapidibus regionis, et dum evigilaret post visionem scalae, fuit ex tribus lapidibus unus lapis factus, ideo dicit textus, erexit lapidem etc. Ibi Ieroboam rex Israel posuit unum de vitulis aureis, ne populus ascenderet in Ierusalem. De scala Iacob habetur Genes. 28. De vitulo aureo 3 Reg. 12. Deinde convertimus nos ad ipsius montis considerationem, qui est valde excelsus; sed quia consurgit a campestribus montes contra occidentem ei incumbunt et sunt eo altiores. Et totus mons est saxosus, durus, sterilis, praeceps, in cujus summitate stetit una capella, quae est modo destructa, cujus muri et ruinae hodie patent, et videtur ibi fuisse olim monasterium. Et tantum de illo.

De regressu peregrinorum contra civitatem sanctam Jerusalem.

Igitur cum per horam in sancto monte fuissemus, paravimus nos ad descensum. Quidam autem juvenes milites nos praecesserunt per saltus et cursus descendentes, nos vero

mature sequebamur per scopulos et rupes, per saltus et clivos. Cum in descensu supra praecipitium quoddam satis altum venissemus, audivimus in crepidine montis sub principio clamores et tumultus contendentium et litigantium et irascentium lingua arabica et teutonica. Audivimus inter haec quendam inclamantem latrocinium verbis teutonicis (B) Mordjo, Mordjo. His auditis statim intelleximus, milites illos, qui ante nos descenderant, esse in tribulatione, et festine per saltum cecidimus et per praecipitium nos submisimus et usque ad locum certaminis venimus. Stabant autem quinque peregrini nobiles in una crepidine et montis concavitate, habentes lapides in manibus, parati ad jactandum, et quatuor Arabes stabant ante crepidinem etiam cum lapidibus et collitigabant, quia Arabes petebant ab eis pecuniam pro pedagio, quam illi dare nolebant. Nos autem tamquam mediatores in medio stetimus, ne lapides contra se mitterent, quia, si hoc factum fuisset, omnes peregrini tamquam salvi conductus fractores habiti fuissent, et in tribulationem magnam venissemus. Vix autem nostros socios induximus, quod lapides deponerent; postulabant etiam a nobis pecuniam, sed diximus eis, quod ibi nihil vellemus solvere, sed in exercitu coram ductoribus nostris. Et ita eduximus fratres nostros de caverna, et eripuimus eos de manibus Arabum. Si autem fortiores nobis fuissent, nullatenus nos cum pace dimisissent, nam quinque nostri peregrini devorassent istos quatuor Arabes, si se defendere voluissent. Cumque sic ab Arabibus illis descenderemus, minabantur nobis quod se vindicare vellent de nobis, sicut et fecerunt, ut patebit. Venimus ergo ad exercitum ad umbram et ad aquam, emimus panem et uvas et collationem fecimus. Arabes autem praefati convocatis ad se complicibus suis cum lanceis et armis locaverunt se e regione in medium, per quod transituri eramus. Cum ergo sol occasum peteret, et fervor ejus remissus esset, consurreximus de loco illo et asinis ascensis in campum processimus. Occurrerunt autem Arabes nobis et transitum prohibuerunt, quousque pedagium pro transitu in montem eis solveretur, et pro temerata resistentia peregrinorum eis etiam satisfieret. Dicunt enim Arabes, se esse dominos omnium solitudinum et desertorum, et ideo de salvo conductu

non curant, sed pedagia a transeuntibus per eremos exigunt. Post longam ergo disceptationem coëgerunt Sarraceni ductores nostri ipsos patronos ad dandum octo ducatos ipsis Arabibus pro pedagio montis et pro violentia, quia peregrini lapides contra eos levaverant et ab eis vi recesserant. Hanc pecuniam patroni dabant cum maxima indignatione et nobis maledicebant, volentes scire, qui fuissent in isto facto peccantes, sed nullus voluit eis dicere, quia, si scivissent illos peregrinos, nova exactione pecuniae mulctassent. Expediti ergo et dimissi per Arabes descendimus contra Jericho, eam tamen ad sinistram dimisimus, et contra austrum ad radicem montium processimus, ut ad regiam viam, per quam de Jerusalem descenderamus, veniremus. Supra Jericho autem ad publicam stratam venimus ad unam testudinatam domunculam in modum capellae, et ibi est locus, in quo Dominus Jesus duos coecos illuminavit, ut habetur Matthaei 20. (211 A), quorum unus erat notus multis, et dicebatur Bar Thimaeus, filius Thimaei, quem solum nominat Marcus cap. X. In hoc loco de asinis cecidimus et Domini Jesu vestigia deosculati sumus, et indulgentias percepimus (†). Ab illo loco ad ascensum montanorum venimus, quae sunt montana deserti Adammim. In eo enim erat quondam villa sita, cujus ruinas vidimus, nomine Adammim, i. e. ascensus rubentium, propter sanguinem, qui illic crebro a latronibus fundebatur, et ab illo castello totum desertum illud a Iericho sursum usque ad Bethaniam dicitur Adammim, et ad auxilium viatorum hujus sanguinarii et cruenti loci fuit castellum ibi aedificatum, praedictum Adammim. De hoc loco habetur Josuae 18. Dominus quoque in parabola hominis descendentis a Jerusalem in Iericho recordatur hujus insecurissimae viae de homine spoliato et sauciato, Lucae X. Unde hodie Teutonici castellum praedictum et desertum nominant Rotbach, quasi rivus sanguinis. Ascendunt enim Arabes miseri et latitant in illo deserto juxta viam et spoliant transeuntes, nec audent Sarraceni nisi bene associati descendere vel ascendere. Cum ergo desertum Adammin ascenderemus, sine intermissione agitabant et stimulabant nos ductores nostri ad celerem processum, quod quidem in peregrinatione mea secunda leve fuit omnibus. Sed in prima quantam

mature sequebamur per scopulos et rupes, per saltus et clivos. Cum in descensu supra praecipitium quoddam satis altum venissemus, audivimus in crepidine montis sub principio clamores et tumultus contendentium et litigantium et irascentium lingua arabica et teutonica. Audivimus inter haec quendam inclamantem latrocinium verbis teutonicis (B) Mordjo, Mordjo. His auditis statim intelleximus, milites illos, qui ante nos descenderant, esse in tribulatione, et festine per saltum cecidimus et per praecipitium nos submisimus et usque ad locum certaminis venimus. Stabant autem quinque peregrini nobiles in una crepidine et montis concavitate, habentes lapides in manibus, parati ad jactandum, et quatuor Arabes stabant ante crepidinem etiam cum lapidibus et collitigabant, quia Arabes petebant ab eis pecuniam pro pedagio, quam illi dare nolebant. Nos autem tamquam mediatores in medio stetimus, ne lapides contra se mitterent, quia, si hoc factum fuisset, omnes peregrini tamquam salvi conductus fractores habiti fuissent, et in tribulationem magnam venissemus. Vix autem nostros socios induximus, quod lapides deponerent; postulabant etiam a nobis pecuniam, sed diximus eis, quod ibi nihil vellemus solvere, sed in exercitu coram ductoribus nostris. Et ita eduximus fratres nostros de caverna, et eripuimus eos de manibus Arabum. Si autem fortiores nobis fuissent, nullatenus nos cum pace dimisissent, nam quinque nostri peregrini devorassent istos quatuor Arabes, si se defendere voluissent. Cumque sic ab Arabibus illis descenderemus, minabantur nobis quod se vindicare vellent de nobis, sicut et fecerunt, ut patebit. Venimus ergo ad exercitum ad umbram et ad aquam, emimus panem et uvas et collationem fecimus. Arabes autem praefati convocatis ad se complicibus suis cum lanceis et armis locaverunt se e regione in medium, per quod transituri eramus. Cum ergo sol occasum peteret, et fervor ejus remissus esset, consurreximus de loco illo et asinis ascensis in campum processimus. Occurrerunt autem Arabes nobis et transitum prohibuerunt, quousque pedagium pro transitu in montem eis solveretur, et pro temerata resistentia peregrinorum eis etiam satisfieret. Dicunt enim Arabes, se esse dominos omnium solitudinum et desertorum, et ideo de salvo conductu

Prov. 21., sed non unam invenit, unde Eccles. VII. dixit: virum fortem unum ex mille reperi, mulieres ex omnibus non inveni. Si autem fuisset in nostro exercitu, non invenisset unum virum fortem, omnes erant fracti laboribus, et extenuati inedia, nulla vero mulier erat infirma, nulla suspirabat, nulla prae labore gemebat. Sed unde fragilibus fortitudo, mulieribus robur, nisi ab eo, qui infirma mundi eligit, ut confundat fortia, qui praetulit eas viris, ne quis glorietur de sexu, de fortitudine, pulchritudine, juventute et de nobilitate. Siquidem nec ipsae erant viri, nec fortes, nec pulchrae, nec nobiles, et tamen omnes labores peregerunt sine defectu, per quos militia acquiritur. Et in hoc confudit Deus superbiam illorum militum, qui eas dedignabantur habere socias, et qui perditionem unius illarum parvi pendit in solitudine Jordanis, ut patet supra fol. 201 A. Et ibi quaere plura de his. Sed rideas forsan, et muliercularum deliramenta subsannes! Ad haec Jeronymus contra Vigilantium: non, inquit, erubesco earum fidem, quae primae viderunt Dominum resurgentem, quae mittuntur ad Apostolos, quae in matre Domini Salvatoris sanctis Apostolis commendantur. Ut quid autem praeconio illarum vetularum tantum immoror! Sufficiat ergo ad praesens.

Igitur circa medium noctis post fatigas multas et altum ascensum venimus ad fontem de saltu emanantem, qui, ut opinor Josuae 18., fons solis nominatur, ex eo forte, quod contra solis ortum stat et solis radiis percussus calescit. Vel forte Spiritu Sancto praeordinante sic dictus est fons ille, quia sol justitiae, Christus, Deus noster, ex eo crebrius bibisse creditur, quia multotiens per illam viam descendit et ascendit. Juxta hunc fontem jusserunt nos ductores nostri descendere, quo audito prae gaudio non descendimus, sed de bestiis cecidimus. Est etiam circa fontem domus antiqua et destructa, de qua quatuor muri tantum manserunt, quae olim diversorium erat sive hospitium, et dicitur domus Rubea, etiam a deserti nomine Adammim. Hanc domum ingressi sumus et accensis luminibus locum aptavimus removentes hominum et bestiarum stercora, quibus erat repleta, et lapides aptavimus pro sessione et dormitione.

Cumque locum purgavissemus, consedimus et reliquias ultimas de sacculis produximus et manducavimus. Major tamen pars prae lassitudine statim, ut de asinis descenderunt, in terram se projecerunt, et nec comedere nec bibere nec loqui poterant, sed quiescere optabant. Circa fontem autem erat tumultuosa compressio tam hominum quam bestiarum pro aqua, pro qua etiam infirmi clamabant, quia omnes eramus sitibundi et fluxus fontis exiguus, et multa litigia fuerunt ibi exorta inter nos et Sarracenos, quia ipsi stabant ante cannam et sicut vaccae bibebant, at nobis dare locum nolebant. Finita autem qualicumque commestione et potatione lumina exstinximus (212 A) omnia et dormire incepimus in humo super lapides et magno ac gravi sopore oppressi sumus. Sicut enim esuries dicitur bonus cocus, quia omnem cibum bene sapere facit; sic labor dicitur esse bonus lectus, quia omnem locum dormitioni et quieti facit aptum. Fuit enim periculosum dormire in loco isto, primo propter murum ruinosum, de quo lapides resoluti a caemento dependebant super capita nostra, ruinam minantes; secundo propter serpentes et scorpiones, qui in antiquis muris et sub lapidibus latitant, praecipue in locis, ubi aqua prope est; tertio propter pediculos ovium, asinorum et aliarum bestiarum, et praecipue propter quosdam vermiculos, quos nominant pediculos Pharaonis, quorum multitudo in humo deserti decurrit, ut patebit fol. 247, qui etiam hic in terra serpebant; quarto propter duritiem stratus; et quinto propter fures Sarracenos, qui comitabantur nobiscum. His tamen omnibus non obstantibus omnibus curis remotis fortissime dormivimus. Dixerunt autem nobis ductores nostri, quod ante diluculum vellent nos excitare; sed aliter accidit, quia et ipsi fessi erant, sicut nos, quamvis non tantum laboraverint, et tam ipsi quam nos dormivimus usque ad ascensum solis. Juxta hunc fontem refocillatus fuit David, cum lassus venisset de Jerusalem cum suis, ut dicitur 2 Reg. 17.

De progressu peregrinorum et ascensu eorum contra Jerusalem.

Vicesima prima die, quae est Praxedis Virginis, orto sole, qui jam cacumina et rupium prominentia culmina aurea splendore perfuderat, inceperunt Sarraceni impatienter magnis clamoribus excitare nos: aliqui clamabant in eorum ligua roy, roy; aliqui trica, trica; aliqui cabalca, cabalca; aliqui in nostra lingua, cujus aliqua verba didicerant, clamabant uff, uff, rita, rita, quod etiam praecedentia signant. Surreximus ergo et elevatis oculis solis lumen vidimus in altis culminibus, eramus enim in profundo et undique montibus scopulosis cincti fuimus. Bene autem ex quiete confortati fuimus et refocillati, et aquam hausimus in flascos nostros de fonte Salvatoris, et a loco recessimus trahentes asinos ad manus, quia declivus praeceps ibi erat ad longum spatium sursum, nec in bestiis sedentes manere poteramus et incepimus mane sudare adhuc absente solis fervore. Interea ad quandam petram venimus, quae stabat ut clibanus ad latus, de qua dicunt, quod sit thaben Boen, i. e. lapis Boen, filii Ruben, qui facit terminum terrae filiorum Juda, secundum Hieronymum de distantiis locorum. De quo lapide habetur Josuae c. 18. Ex quo tamen textu videtur, quod magis inferius ultra castellum Adammin sit lapis iste. Sed parum refert, sive sit ille vel alius, nos antiquam rei memoriam ibi mirati sumus.

De loco annuntiationis beatae Virginis ipsi Jojachim factae.

Boen lapidem posttergavimus et in ascensu clivi vidimus in dextro latere domum vetustam inter scopulos et arbusta, quae in eo loco stat, in quo pastores Joachim, patris beatissimae Mariae Virginis, greges pascebant, (B) ad quos ipse Joachim confugit, quando opprobrium sterilitatis sibi fuit publice objectum et munera ejus de altari abjecta in templo, et ibi in tristitia degit, Deum devotis precibus pulsans, ut sibi misereatur et patientiam ei dare dignaretur. Quodam autem

ie, cum devotius et ardentius oraret, ecce angelus Gabriel
um immenso lumine oranti astitit, quem ille, ut vidit, obstu-
uit et turbatus fuit, cui angelus: noli timere, Joachim, quia
audita oratio tua, et lacrymae tuae adscenderunt ante Deum,
t ecce, Anna uxor tua pariet tibi filiam, et vocabis nomen
jus Maria, et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris
uae. Haec erit major excelsior omnibus mulieribus, et virgo
a perpetuum manebit, et nihilo minus filium altissimi conci-
iet et generabit et mater filii Dei vocabitur. Et hoc tibi
rit signum: dum veneris ad Jerusalem et per auream portam
gredi volueris, Annam uxorem tuam obviam habebis, quae
a tuo aspectu jucundabitur corde. Et his dictis disparuit
ngelus. In hoc ergo loco prostrati adoravimus, et indul-
entias recepimus (†). Porro quidam peregrinus inter collocutio-
es circa hunc locum hoc problema adduxit: ecce, inquit,
acimus festum de Sancta Anna, et non de S. Joachimo, qui
amen aeque sanctus fuisse, ut Anna, deprehenditur ex illa
genda. Hoc problema quidam solvere conati sunt inducentes
irabiles errores de conceptione beatae Virginis; dicentes,
am ideo fuisse non in originali peccato conceptam, quia an-
equam Joachim et Ancha convenirent sub aurea porta, inventa
st in utero habens de Spiritu S. Alii dicebant, quod solo
culo Joachim conceperit sine virili semine Anna. Et multae
nconvenientiae fuerunt inductae ab eis, qui causas assignare
ontendebant, quare Annae festum potius quam Joachim
elebraretur.

De Bacurim, ubi Semei maledixit David regem.

Ulterius ascendimus et per latus clivi montis Bahurim
rocessimus, in quo quondam fuit castrum, Baurim nomine, de
uo habetur 2 Reg. 16. Aliqui libri habent Bahurim. Via
ero regia sub castro descenderat. Stetimus ergo ibi et
actum memoria dignissimum consideravimus. Siquidem rex
David pulsus de Jerusalem cum omni suo exercitu a suo
ilio Absalon cum ad hunc locum venisset, egressus est de
astris quidam Semei dictus et stetit regemque et universos
ervos ejus maledixit et lapides contra eos misit et terram

in eos deorsum sparsit. Cum eum quidam interficere vellet, prohibuit David nolens, quod sibi pro illa injuria quidquam mali fieret hac vice. Mirabamur sancti illius regis patientiam et miseriam, et nobis ipsis indignabamur, qui ad unicum et leve verbum movemur contra proximos ad ultionem capiendam. Ecce enim, hic rex David nudis pedibus transit cooperto capite, flens, et omnes servi ejus cum eo amaricati, fugati de propriis domibus, et servus unus, miles, accurrit et maledicit, lapides contra regem mittit, terram contra eum spargit et maledictiones ingeminat et crimen laesae majestatis utique puniendum committit. Ad haec tamen omnia rex mitis non irascitur, non commovetur, humiliter pertransit et commotos compescit, dicens: dimitte eum, ut maledicat nunc juxta praeceptum Domini, si forte respiciat Dominus afflictionem meam et reddat mihi bonum pro maledictione hac hodierna. In tota serie sacrae Scripturae vix ita lamentabilis textus habetur, sicut ille de emigratione David et de patientia ejus in sua maledictione (2 Reg. 16 A). Cum enim homo textum illum scit et locum hunc pertransit, a lacrimis vix se cohibere valet recogitans tantam pietatem. O quantum in hoc loco flevisset beatus Gregorius, cum eum legamus flevisse in foro Trajani imperatoris propter misericordiam, quam ibi cuidam viduae se petenti praestitam legerat! Incomparabiliter major misericordia est, misereri injurianti et maledicenti, quam petenti et benedicenti. Ab hoc loco David usque ad fontem solis descendit, et lassus juxta eum quievit. Nos vero a loco ulterius sursum ascendimus, et montem Oliveti a longe vidimus cum ecclesia ascensionis Domini in ejus cacumine locata, in cujus aspectu gavisi sumus videntes, nos prope esse Jerusalem.

De planitie ante castellum Bethania.

Rursum consequenter processimus et in planitiem quandam venimus, a qua consurgit mons Oliveti ab una et mons offensionis ab alia parte. In hac planitie finitur desertum Adammin, nam ab ea deorsum usque ad Jordanem est vasta solitudo, demto circulo, quem irrigat fons Helizaei; sed ab ea

contra montem Oliveti, in cujus accubitu est sita, horti et pomaria et viridaria sunt pulcherrima. In hac planitie est castellum Bethania, dependens ad montem Oliveti, a quo protenditur usque in planitiem, quae planities est petrosa latissimis et planis petris, ac si esset pavimentata arte. In locis vero, ubi non est humus petris obductus, stant olivae et alia fructifera virgulta. Sunt etiam in ipsa planitie multae cisternae in profundis per durissima saxa incisae. Processimus ergo in planitie contra Bethaniam et ante castellum ad unum lapidem erectum venimus ita positum, quod quis super eum sedere potest; est tamen lapis immobilis, de profundo terrae consurgens, et est durissimus. Super hunc lapidem dicitur Dominus Jesus sedisse, quando mortuo Lazaro ascendit de regione Jordanis, et ante ingressum castelli consedit, ubi Martha ad eum venit, et fidelissimum dialogum ibi habuit cum Domino Jesu de fide, de resurrectione, de vita aeterna. Similiter et Maria Magdalena ad hunc locum Christo occurrit obvia, flens, eum absentem fuisse in morte Lazari fratris sui; de quibus habetur Johannis XI. In hoc ergo loco sacro stetimus et Officium signatum in processionali persolvimus et hoc facto in terram nos prostravimus et locum deosculati sumus et indulgentias plenariae remissionis accepimus (††). In hoc sacro loco Dominus lacrimas fudit, se ipsum turbavit ad fletum duarum sororum, unde cantatur de eis: O felicis soror utraque meriti, quarum lacrimis est motus fons ipse pietatis. Credo, quod in hoc loco ante tempora steterit capella vel aliqua ecclesia.

De domo et apotheca S. Mariae Magdalenae.

Ab hoc loco processimus ad dextram partem ad jactum arcus et ad unam antiquam destructam ecclesiam venimus, quae in loco stat, ubi erat habitatio sanctae Mariae Magdalenae singulariter. Fuerunt enim divites, Lazarus, Maria Magdalena et Martha, et habebant plures habitationes, in castello et extra castellum, et in Jerusalem, et castrum Magdalum in Galilaea. Haec autem domus erat Mariae Magdalenae, et post conversionem suam (B) in ea fuit

apotheca pro Domino comparans species aromaticas, et ibi ex eis confectiones et unguenta confecit contra sudores et calores, contra frigora et algores et lassitudinem, et ubicumque sequebatur Dominum, aromata pretiosa haec confecta secum ferebat et dominica membra ungebat. Illa enim, quae ante conversionem pro deliciis sui corporis utebatur, postea convertit ea pro dominici corporis consolidatione. In hac ergo destructa ecclesia Officium praescriptum persolvimus, et indulgentias plenariae remissionis accepimus (††).

De domo S. Marthae, quae fuit hospitium Domini.

Inde progressi ad partem sinistram praedicti lapidis venimus ad murorum antiquorum ruinas cujusdam domus singularis, et dicitur fuisse domus sanctae Marthae, in quam ipsa saepe Dominum invitavit, sicut dicitur Lucae X.: et mulier quaedam Martha nomine excepit illum in domum suam. In hac domo accusabat Martha Mariam sororem suam apud Dominum, et Dominus sententiam pro Maria protulit, dicens: Unum est necessarium, Maria optimam partem elegit etc. In hoc loco terram deosculati sumus et indulgentias accepimus (†) cantatis et lectis orationibus in processionali praescriptis.

De ecclesia sepulchri S. Lazari, in quo jacuit quatriduanus.

Deinde convertimus nos ad castellum Bethania, et ingressi venimus ad unam magnam ecclesiam et pulchram, sed clausam. Incolae autem Bethaniae acceptis paucis denariis a patronis eam aperuerunt nobis, et ingressi in dextra ecclesiae parte venimus ad sepulchrum Lazari, in quo quatriduanus mortuus jacuerat, quando eum Dominus suscitavit, ut habetur Joh. XI. Stetimus ergo ante sepulchrum Lazari, et Officium signatum persolvimus, et ipsum sepulchrum deosculantes indulgentias (††) plenariae remissionis accepimus. Et ascendimus de sepulchro ad altare majus, ubi est locus, in quo Dominus Jesus stetit et clamavit: Lazare veni foras etc. Haec ecclesia fuit quondam solemnis per sanctam Helenam

super sepulchrum Lazari aedificata, et ultimo tempore Christianorum erat juxta eam monasterium monialium Ordinis S. Lazari sub regula S. Benedicti. Vestitus earum fuit tunica alba et pallium nigrum, sicut Johannitae, cum cruce viridis coloris. In alia Bethania trans Jordanem, ubi erat Johannes babtizans, ut habetur Joh. 1., erat simile monasterium ejusdem Ordinis, et erant moniales illae valde divites et religiosae. Unde monasterium illud fuit septum olivis, ita, quod non poterat videri a descendentibus de monte Oliveti. Ab hoc monasterio fuerunt missae sorores etiam ad alias mundi partes ad aedificandum similia monasteria. Unde in comitatu dominorum de Kyburg prope Thuregum est hodie unum de illis monasteriis et dicitur ad sanctum Lazarum Imgfren. Post perditionem terrae sanctae fuerunt moniales dispersae et monasterium destructum et oppidum, demta ecclesia cum sepulchro, quod adhuc stat, et est marmorea tumba elevata, et sub ea est spelunca, quae est obstructa. Sarraceni etiam nobiscum sepulchrum hoc honorant, quia omnia loca, in (214A) quibus aliquid gloriosum est per Dominum actum, honorant, sed in quibus aliquam ignominiam sustinuit, detestantur. Ecclesia illa est exsecrata et altaria ejus diruta, et quando nos in ea eramus, erat plena manipulis frumenti, sicut horreum rusticorum.

De domo Simonis leprosi, hospitio Domini.

Ab illa ecclesia consequenter adscendimus in quandam aliam destructam ecclesiam, cujus ruinae magnae ibidem jacent, et unus murus de ea remansit, in quo videtur, fuisse ecclesiam pretiosam, et habuit pavimentum, vario marmore stratum, cujus reliquias deprehendimus. Haec ecclesia in eo loco fuit constructa, in quo stetit domus Simonis leprosi. De qua loquuntur Evangelistae Matth. 26. Marcus 14.

In hanc domum venit Dominus Jesus invitatus sabbatho palmarum, et ibi M. Magdalena effudit unguentum super caput discumbentis, et ibi murmurabant discipuli de perditione, ut habetur, ubi supra, et Joh. XII.

Et est alia domus Simonis, sed non illius, qui fuit in Jerusalem, in quam venit Maria Magdalena, quando primum

conversa fuit, ut habetur Luc. 7., de qua dictum est fol. 139. A. Haec autem dicitur domus Simonis leprosi, non quod fuerit leprosus, quando coenam illam notabilem ibi fecit, sed prius fuerat leprosus et a Domino mundatus, et nomen tamen leprosi retinuit. In hoc ergo loco orationibus praescriptis peractis indulgentias recepimus (†).

De castello Bethaniae, et ejus descriptio.

Bethania castellum quando sit constructum, vel a quo, non inveni, non etiam in tota veteris testamenti scriptura fit mentio, nisi forte sub alio nomine, quod tamen non inveni, nisi Bahurim fuerit, de quo superius fuit mentio habita. Omnes autem Evangelistae non solum de illa Bethania mentionem, sed etiam de ea, quae est trans Jordanem, faciunt. Credo, novum castellum fuisse tempore Christi. Ruinae ejus ostendunt fuisse munitum et gloriosum, sed non magnum. Hodie est villa populosa, in qua insidiosi Sarraceni sunt; ad montem Oliveti adhaeret in ejus orientali parte, nec de ea potest videri Jerusalem civitas propter montem Oliveti obstantem, ad latus tamen montis Oliveti per medium ejus et montis ascensionis est respectus ad vallum Gehennae et ad montem Gyon. Erat autem Bethania castellum Mariae, Marthae et Lazari, ut dicitur Joh. XI., et distat a Jerusalem XV stadiis, quae faciunt IV milliaria italica, et unum non magnum alemannicum. Et de illo castello loquitur pulchre Bernhardus in sermone ad milites templi, cap. 13.; cui placet, videat ibidem.

Recessus peregrinorum a Bethania contra montem Oliveti.

Postquam igitur in Bethania loca sancta vidimus, ad Jerusalem nos convertimus. Licentiavimus autem asinarios nostros, ut via regia et propinquiori redirent in Jerusalem, per quam egressi fueramus, ut patet fol. 193 A. Nos vero redire intendebamus per illam sanctam viam ambulando cum devotione per pedes, per quam Dominus Jesus in die palmarum e Bethania venit in Jerusalem, sedendo in asino. Reversi sunt

go asinarii in (B) Jerusalem descendentes per viam infe-
rem, cum quibus multi peregrini redierunt, qui festinabant
cibum coctum et ad loca quietis. Siquidem ab egressu
stro de Jerusalem usque ad reditum non gustavimus cibum
lidum; major tamen pars mansit in Bethania, cum quibus
ego mansi, et forte nulli remansissent, si ego eos non
duxissem. Cùm ergo illi a nobis recessissent, exivimus et
os de Bethania et ante viculum inscii venimus in unum
arracenorum coemeterium, per quod transire necesse erat,
el circuire; transivimus ergo. Et ecce mulier sarracena a
nge stans et videns accurrit ad nos et cum clamoribus
agnis nos inclamavit et cum lapidibus contra nos jecit,
jiciens nos de coemeterio. Cum festinantia ergo aufugimus,
e ad clamores alii Sarraceni accurrerent et nos vexarent;
on enim possunt sustinere, quod supra sepulchrum suorum
ortuorum calcemus, ut patet fol. 82 in artic. 3. Venimus
rgo ad viam, quae ducit super montem Oliveti, per quam
ominus Jesus in die palmarum sursum ascendit. Cum devo-
one ergo, silentio et orotione ascendimus per hortos fico-
um. Ad unum autem hortum venimus, in quo vidimus ma-
ras ficus magnas, blavii coloris. Duo autem hortum ingressi
um arbores ascendissent, advenit una vetula eosque cum
pidibus et clamoribus de horto expulit, portaverunt tamen
obis de fructibus illis, de quibus jejuni manducavimus, et
rogressi sumus adscendentes per clivum sursum. In hac via
venimus multos sparsos lapillos quadratos, de polito mar-
ore et vario, et quidam frater extra viam modernam nos
uxit, et ibi reperimus pavimentum campi stratum polito mar-
ore et vario. Siquidem S. Helena omnes vias, per quas
overat Dominum Jesum transivisse in hebdomade poenosa,
armore stratas decoravit a Bethania sursum usque ad mon-
em Oliveti, et ab alia parte deorsum usque ad portam auream,
t illius structurae manifesta vestigia multotiens reperi, et
raesertim, quando quis extra viam ad latus ascendit. Est
nim via moderna profunda ex frequentia itinerantium facta,
t dum quis ad latus adscendit, et manibus superius terram
jicit, et foramen facit, invenit marmore polito antiquam viam
tratam. Haec ego ipse experientia didici ita esse etc.

De regressu peregrinorum in Jerusalem per viculum Bethphage sacerdotum.

Consequenter ulterius progressi sumus et in locum venimus, ubi quondam stetit viculus sacerdotum Bethphage, de quo habetur Matthaei 21. Ab hoc viculo misit Dominus duos discipulos in Jerusalem, ut adducerent asinum sibi, ibique eos exspectavit. In hoc loco cantavimus cantum: Cum appropinquaret Dominus etc., et vestigia Redemtoris nostri deosculati sumus et indulgentias percepimus (†). De Bethphage loquitur beatus Bernhardus commendabilia in sermone ad milites templi cap. 12. A Bethphage non potest adhuc videri civitas sancta, progressi ergo consequenter clivum montis Oliveti adscendimus et ad unum districtum venimus, per quem est ascensus praeceps ad IX gradus, et ibi est positus lapis longus ad mensuram ipsius clivi et latus ad latitudinem (315A) viae, et arte latomorum sunt gradus per incisionem facti in lapide, per quos possunt homines et bestiae ascendere clivum. Hic lapis in longum est per medium divisus, ac si esset cultello incisus, et dicunt, quod Sanctorum antiqua traditio habeat, saxum hoc fuisse scissum in passione Domini in testimonium omnium ibi transeuntium et in perpetuam memoriam. Hos gradus deosculati sumus propter miraculum et propter Domini vestigia, quod non dubitamus, [eum] saepe ibi transivisse. Cumque ab hoc loco ascendissemus altius, inceperunt culmina turrium civitatis sanctae apparere, primum autem culmen, quod vidimus, fuit ipsius campanilis et turris ecclesiae sancti sepulchri, de quo etiam vide fol. 132 A. Et hoc hodie praeeminet cunctis aedificiis et statim post vidimus totam civitatem sanctam jocundissime resplendentem, in cujus aspectu exhilarati et laetificati fuimus, habet enim haec dulcissima civitas quendam delectabilem aspectum valde, qui mens intuentis jocundatur. Hoc enim pro certo scio, quod aspectu illius civitatis numquam potui satiari, quanto enim quis diutius eam aspicit, tanto magis sibi dulcescit, et quodammodo hominis affectum ad se rapit. Dominus enim Jesus hac via vadens civitatemque videns flevit super eam, motus compassione ex corporali ejus inspectione; non enim sine

caussa dicitur Jerusalem Visio pacis. Ab alia ergo parte montis Oliveti descendimus per viam descriptam fol. 152 B. et transito torrente Cedron in montem Syon adscendimus et cum gaudio suscepti a fratribus et comestione peracta ad quiescendum nos locavimus, quia statim ad alios labores transituri eramus.



(B) De tertio ingressu peregrinorum in dominicum sepulchrum, de abusionibus in eo fieri consuetis.

Die qua supra, videlicet XXI., meridie transacta cum advesperasset, vocati sunt peregrini in ecclesiam sancti sepulchri, et cum in atrio essemus, venerunt domini Mauri et eodem modo nos in ecclesiam intromiserunt per omnia, sicut dictum est fol. 108. A. Et ingressi fecimus sicut dictum est ibidem, cum majori tamen studio discurrebant peregrini illi per loca sancta, quae sciebant se amplius non ingressuros, et clenodia sua ad loca sancta applicabant, sicut prius saepe fecerant, eodem modo, quo dictum est fol. 36. B. Cum minori autem serio et majori distractione deduxerunt milites noctem illam, quam duas alias noctes, quibus vigilias ad sanctum sepulchrum celebraverant. In prima enim nocte occupati erant ad disponendum se ad sacram eucharistiae communionem cum confessionibus, et adhuc magis affecti erant ad loca sancta, ut

patet fol. 119. B. In secunda nocte sollicitabantur pro militia sua, et cum illa nocte eam deduxerunt sic, ut patet fol. 183 B. Sed per noctem illam, quia nihil singulare prae manibus habebant, otiosis operibus et vanis vacabant, non quidem omnes, sed illi duntaxat, qui minus affectuosi erant, quorum, heu! major pars erat. Videamus ergo, in quibus occupati fuerint illi indevoti, ingrati, sine affectione et sine disciplina peregrini. Quidam perfunctorie locis sanctis transcursis sedebant et manducabant ac bibebant de sacculis suis, quos repletos cibis intulerant, et in longum cavillationes protrahebant, et mox somno pressi loca solitaria et angulos quietos petebant, in quibus dormiebant tota nocte, ad VI vel VII horas, ac si in cameris suis jacerent. Alii magis crapulosi quam pigri provisionem sibi fecerunt de bono et forti vino, et de allectivis cibis ad potandum. Et illi post locorum sanctorum cursoriam visitationem consederunt, ingurgitantes se, ac si illa sanctissima ecclesia esset taberna, nec finem faciebant, nisi vasa omnium sociorum suorum essent evacuata.

Alii minus provisi, cum sua vascula evacuassent, sedebant et caussas mundi inutiles tractabant, de principibus, de litibus, de stipendiis militiae suae, de comparatione bellatorum, in quibus omnibus detractiones, litigia, mendacia propriae jactantiae variae fuerunt in medium sine cura sancti loci deducta.

(216 A) Alii saturati diuturnis cavillationibus cum risibus in ecclesia spatiabantur et capellas locorum sanctorum intrabant, et post brevem orationem simulatam stabant et colloquebantur sine reverentia sancti loci, omnia quae incidebant, et loca sancta sine utilitate inasservabant. Tali modo se habuit ante aliquos annos quidam miles alemannus, quem aliis in exemplum Deus punivit. Nam dum cum sociis dissolute circumiret, ingressus est cum eis in dominicum monumentum et stans ex stolida quadam temeritate dixit: ecce, socii mei, ut non haesitem me fuisse in sepulchro Domini, et ut vos de hoc possitis testimonium perhibere, recipiatur hoc, quod facturus sum pro signo certitudinis. Et hoc dicto ascendit super sanctam tumbam et se super eam supinus posuit in longum se extendens, et dum sic jaceret rideus, ecce, manus Domini affuit eumque paralysi percussit et corpus

jus rigescere coepit, nec se erigere quovis modo valuit, et ium manum Domini sensisset aggravatam super se, humiliter t cum multis lacrymis se deportari petiit, sed membrorum uorum naturalem usum et liberum numquam posthac recupe- avit, et claudus et invalidus repatriavit et paralyticus obiit. Mirum est, quod non in continenti exstinctus fuit.

Alii tota nocte negotiabantur cum mercatoribus. Ad mnia enim loca, ad quae pergunt peregrini dum sunt in terra ancta, concomitantur eos mercatores christiani, de genitura rientales, haeretici callidissimi et avarissimi, nec somnum apiunt interim, quod peregrini in terra sancta sunt. Et uotiens in ecclesiam sancti sepulchri intrant, illi mercatores cum suis mercibus etiam cum eis intromittuntur, quam intro- missionem pecunia magna comparant, et se directe ante ostiolum sancti sepulchri locant et expanso panno super pavimentum sua negotia ibi exponunt. Quidam ergo peregrini, ex quo recessus eorum instabat, tota nocte illa negotiando vigilabant et diversa emebant. Non enim solum Pater noster et lapides pretiosos, sed pannos de Damasco, de Scamolato, et de serico venalia ibi habebant. Et circa hos mercatores erat magna inquietudo et clamor, sicut in foro. Vidi ibi quosdam pere- grinos nobiles et honorabiles, qui in terris suis negotiationem cum mercatoribus, etiam in publicis nundinis, tamquam rem inhonestam et suo statui non convenientem vitabant; hic vero in loco sanctissimo continue negotiis insistebant, et pannos pretiosos et jocalia comparabant. Et qui pure propter Deum vel propter militiam de terris suis fuerant egressi, iam lucri affectu vel cupiditate allecti negotiatores sunt effecti, insistentes mendaciis, fallaciis, perjuriis, et execrabilibus juramentis, quae etiam schismatici et haeretici illi, cum quibus tractabant, facere horrebant, conabantur enim res bono foro emere, ut (B) easdem aliis carius venderent in suis partibus, sicut fa- ciunt veri mercatores, qui se talibus nutriunt; vel ut jocalibus et clenodiis amicitias carnales emerent (et) amores multorum, vel ad ostentationem emtis uterentur. Et in hac mercantia non erat cura de sacro loco nec de sacro die et festo instante S. Mariae Magdalenae. Nec hoc saeculares soli faciebant, sed quidam monachi irreligiosi et clerici his vacabant.

Quantum autem scandalum sit apud infideles, quando vident illos mercatores in ecclesia sedere et vendere, et lucris insistere, patet ex munditia muschearum suarum, in quibus pro nulla re mundi aliquid vendere aut emere aut certe de his tractare licet. Nos autem facimus de domo orationis domum negotiationis et ecclesiam sacram speluncam latronum constituimus, quod infideles cernentes fidem nostram rem fatuam et stultam reputant.

Alii non minus praedictis exorbitant et scandalizant tam fideles quam infideles. Quidam enim nobiles vanitate ducti nomina sua cum signis progeniei et ingenuitatis suae parietibus templi inscribebant et arma suae nobilitatis depingebant, vel chartas depictas cum hujusmodi affigebant in illa et in aliis ecclesiis. Et quidam eorum cum ferreis instrumentis et malleolis columnis et tabulis marmoreis sua nomina insculpebant, et omnes inquietabant et scandalizabant. Vidi quosdam vanos nobiles ad tantam fatuitatem deductos, quod, quando in capellam montis Calvariae adscendebant et procumbentes supra sanctam rupem, in qua foramen crucis est, orare se simulabant, et circumpositis brachiis occulte acutissimis instrumentis insculpebant scuta cum signis, non dico nobilitatis sed stultitiae suae in perpetuam suae fatuitatis memoriam. Oportebat autem eos hoc occulte facere, quia, si custos sanctae rupis, qui est Georicus, vidisset, cum crinibus eos detraxisset. Eadem insania moti quidam supra tabulam tumbae sanctissimi sepulchri Domini aculeis sua nomina, scuta et signa infixerunt, Dei timorem et reverentiam postponentes, ut memoria insaniae et vanitatis eorum non deleatur, sed jugiter perseveret ad hoc, ut per singulos dies recipiant maledictionem, tam in monte Calvariae coram cruce dominica, quam in monumento ante Domini sepulchrum. Quilibet enim devotus et sincerus peregrinus, qui magnis sumtibus et laboribus et per mille pericula ad ista sancta loca devenit, dum in praefatis locis se ad orandum ponit et vanitatem istam inspicit, statim sub oratione fatuo illi maledicit, qui hanc irreverentiam istis sanctissimis locis facere praesumsit, et ei mortem aut manus ariditatem, contractionem vel abscissionem imprecatur, vel Deum exorat, ut suum honorem in illo vindicet, qui in saxum, positum in

titulum divini honoris, praesumsit insculpere signum sui honoris. Putant enim tales, quod omnes arma eorum mirentur, et libenter videant: sed hoc dico, quod inter decem mille peregrinos non unus venit, cui placeant. Si sunt peregrini alieni, qui ejus signa non agnoscunt, videntes abominantur et praesumtionem mirantur, (217 A) et fatuum eum praedicant, quem numquam viderunt. Si vero sunt compatriotae, ea detestantur, despiciunt et detrahunt, nisi forte filius ejus venerit, qui imitator paternae stultitiae factus complacentiam habebit. Soli nostri teutonici nobiles hac vanitate utuntur, ac si mundus non haberet nobiles, nisi ipsos. Quantas autem irrisiones ex hoc sustineant tam a fidelibus quam ab infidelibus, ego scio et dolens suffusione vultus et verecundia expertus sum aliquoties inter Christianos et paganos. Longum nimis esset scribere experientias. Novi quendam, qui habuit semper in bursa sua lapidem rubeum, cum quo ad omnia loca, ad omnes parietes nomen suum inscribebat, ascendit hic fatuus nonnumquam altaria et literas nominis sui tabulis altarium vel lapide rubeo vel pugione aut stilo hoc faciebat, et nomen suum antiphonariis, gradualibus, missalibus, psalteriis supra in marginibus vacuis inscribebat, ac si esset auctor libri, cum tamen non unam latinam propositionem intelligeret, quia purus laicus erat. Studebat tamen nomen suum et arma in eis locis depingere singulariter, quae aspectui intrantis vel transeuntis erant patentia. Sed quid accidit huic? dicere pudet et taedet, nec evagatorio nostro inserere ea digna judicavi. Hoc tamen dico, quod praedicti peregrini amici et consanguinei multo auro si possent tollere nomen suum de terra, facerent; sed et hiimet optarent numquam novisse nomen ejus, qui tanto studio ubique id depinxit. Tolerabile esset et ad aliquid utile, quod nobiles nomina sua cum scutis et armis in hospitiis et tabernis, in praetoriis et in curiis, in turribus, castris, portis et moeniis, in theatrorum locis, in foris et in torneamentorum et hastiludiorum plateis et in aliis saecularium locis depingerent et conscriberent, sed in ecclesiis et in locis sanctis hoc facere est injustum et irrationabile et criminosum. Tantum enim quidam studium ad hoc adhibent, et orationem et locorum sanctorum visitationem,

imo propriam dormitionem negligunt. Et exemplo horum aliqui simplices mechanici acceptis carbonibus sua ignota nomina et suae rusticitatis signa parietibus apponunt. Sed et clerici et religiosi quidam symea fatuitate depravati idem faciebant et cum incausto, quod ad sancta loca consignanda secum tulerunt, parietes deturpabant. De omnibus his miror, quod non considerarunt vulgare dictum, quod etiam pueri suis coaequalibus objiciunt, dicentes: Narrenhend beſchiſen den linten die wend; Stultorum manus deturpant latera domus. Si ergo stulti sunt secundum illud proverbium populare, qui maculant hominum parietes, vere stultiores aestimandi sunt, qui parietes domus Dei et loca dominica maculare praesumunt; stultissimi vero dicendi sunt, qui scuta et arma sua imaginibus Dei et beatae Virginis Mariae, sanctae crucis et electorum Dei superdepingunt vel affigunt; cum tamen frequenter nobilium insignia sint figurae aliquarum animalium, vel larvatae facies, aut monstruosae species, aut inanis colorum aut figurarum ordo, quae omnia ab antiquis idololatris et gentilium stultissimis diis plenis daemoniis sunt accepta. Sicut legimus, quod duo filii Osiridis, Anubis et Macedo, peragrantes et vexantes orbem, quorum primus canem, alter lupum suis armis expressos ferebant, et undique templis constructis affigebant in caeterorum deorum contumeliam: sic etiam per nostros nobiles factum est in ecclesia dominici sepulchri, cujus (B) parietes jam confusi stant propter scuta appensa super picturas. Per circuitum enim rotunditatis erant olim parietes musaico opere decorati, sed milites et nobiles imaginibus et pretiosis picturis non parcentes sua scuta appenderunt, quibus Christi et beatae Virginis imagines velaverunt et clavis perforaverunt. Hujus despectus suscitavit Dominus ultorem, quadam namque vice venit rex Egypti, Soldanus, Jerosolymam, adorare in templo suo, quod nominant Salomonis, et oratione finita ascendit in Anastasim i. e. in ecclesiam dominicae resurrectionis, ut et ibi oraret; et cum circumspiceret et ecclesiae magnitudinem et ornatum miraretur, vidit scuta nobilium parietibus affixa et picturis super inducta, et cum cognovisset, cujus rei gratia ibi penderent, iratus est valde et cogitavit istam Anastasim totam ad solum deducere, nisi Deus immutasset mentem ejus.

Jussit tamen omnia scuta dejici et avelli et a parietibus abradi, et in unum congesta cumulum ignem fecit supponi eaque combussit. Sic ergo iam nec scuta ibi sunt, nec integrae picturae, sed corrosae et confusae.

Alii per templum circumiverunt cum occultis ferreis instrumentis, et ad loca sancta accedentes lapides sacros radebant et rodebant de eis particulas descindentes et discerpentes, ut ad suas partes deferrent pro reliquiis. Hoc quamvis speciem pietatis habeat, impietate tamen et vitiosa curiositate minime caret; privare enim loca sancta suo decore, et truncare artificiose laboribus et expensis ornata et deformare, quae ratio dictat nisi errans, vitio obfuscata? Ex hac stulta corrosione lapidum devenimus in magnas angustias, non semel, sed plus. Quadam namque vice post peregrinorum recessum cum per noctem in Anastasi mansissemus, inventum est mane, quod rupes Calvariae corrosa fuit et tabula monumenti et lapis inunctionis Domini. Quod dum alii Christiani orientales vidissent, clamaverunt in ecclesia contra nos sicut contra fures et raptores, et excitata est seditio in nos periculosa, et comminati sunt nobis, quod vellent conqueri de nobis dominis Mauris et Sarracenis. Hoc audiens Pater Gardianus expavit, considerans, grande nobis imminere periculum, et omnes nos ad capellam beatae Virginis convocavit et auctoritate apostolica excommunicavit corrosores nec de ecclesia exire permisit, quousque petiae decisae fuerunt sibi praesentatae. Et ita cum ignominiosa confusione stetimus, et omnes in nos tamquam in sacrilegos fremebant. Venimus etiam propter similem causam in magnam tribulationem ad sanctam Catharinam in Arabia, et profecto horrore et tremore concutior, quando recordor. Fuimus enim traditi a Calogeris ipsis Arabibus, quousque amara necessitate coacti fuimus ablata reponere. Has corrosiones non faciunt devotionis causa, sed aliqui nobiles curiosi, aliquarum ecclesiarum vel altarium patroni hoc faciunt, ut illis rebus suis ecclesiis concursum hominum excitent et quaestum habeant, et ita avaritia eos instigat, ut talia (218 A) attentent contra prohibitiones peregrinis factas, fol. 89 B in quinto et XVI. artic., et fol. 110 B, in IV. et XII. art. Secus autem est de illis, qui

colligunt lapillos de sanctis locis et tollunt reliquias de eis sine locorum sanctorum decalvatione. Hoc sanctum et devotum est, ut patet fol. 253 A. His noctem illam quidam deduxerunt, alii divinis vacabant, et a media nocte usque ad claram diem Missas celebravimus.

De exitu peregrinorum a dominico sepulchro et de conventu eorum in montem Syon ad tractandum de recessu eorum a Jerusalem.

Vicesima secunda, quae est festum S. Mariae Magdalenae, cantavimus Missam in dominico sepulchro de dominica resurrectione, in qua solemnis mentio fit S. Mariae Magdalenae. Missa autem finita currebant peregrini recessuri per loca sancta eaque cum lacrimis deosculabantur eis valedicentes cum moerore propter instantem separationem. Habent enim pro certo loca sancta vim quandam attractivam, qua in fine magis attrahebantur peregrini, et in dominicum sepulchrum convolabant, exibant et intrabant tamquam apes in alvearium. Interea venerunt Sarraceni nosque de ecclesia ejecerunt, praecipientes nobis, ut omnes simul ascenderemus in montem Syon, quia ibi aliquid nobiscum tractare vellent. Exeuntes autem ecclesiam ingressi sumus capellam sanctae Mariae Magdalenae, quae est in atrio ecclesiae, de qua habetur fol. 122 A, et ejus patrocinia ibi postulavimus, cantantes hymnum: Lauda mater ecclesia etc. cum antiphona: O mundi lampas etc. Et his peractis ascendimus in montem Syon et invenimus fratres jam inchoasse Officium de sancta Maria Magdalena, cui et interfuimus usque ad finem, erat enim adhuc mane, necdum hora prandii affuit.

De separatione peregrinorum montis Synai ab aliis, et de conventione eorum.

Post Missam venit dominus praefectus de Jerusalem, Naydan, cum quibusdam senibus Sarracenis, et dominus Sabathytanco, Calinus major, id est, magister hospitalis major, Sarracenus Trutschelmannus, et Elphahallo, Calinus minor,

ductor peregrinorum per desertum, et multi alii de potentioribus. Qui omnes conventum ingressi consederunt in infirmaria fratrum in magna camera, quam fratres nominant cameram Venetorum, cum patre Gardiano et fratre Johanne de Prussia et aliis patribus senioribus, quibus etiam consederunt peregrini notabiliores, ut dominus Johannes Wernherus de Zimbern, baro, et dominus Johannes Truchses, et dominus Bernhardus de Braitenbach, camerarius ecclesiae majoris Moguntinensis, et dominus Fernandus (B) de Wernawe, et dominus Maximus de Roppolstein. Insuper et duo patroni nostri tamquam principales cum eorum consiliariis ibi praesentes erant, ad quorum omnium conspectum jussi sunt peregrini ingredi. Et cum omnes praesentes essemus, intimaverunt nobis per unum eloquentem, quod peregrinatio hierosolymitana jam esset finita, et nihil amplius restaret, nisi recessus et repatriatio, ad quam omnes celerrime deberent se disponere. Si autem aliqui inter peregrinos essent, qui vellent in Jerusalem manere et ad montem Synai proficisci, illi deberent se modo manifestare, et in camera manere cum dominis. Alii vero deberent exire de camera et se ad recessum disponere, quia peracto prandio vellent eos de Jerusalem educere ad mare. Exierunt ergo omnes peregrini de camera, demtis duntaxat XVIII, qui remanserunt cum dominis, quorum nomina ponuntur fol. 221 B. Incepimus ergo tractare de peregrinatione montis Synai cum dominis, qui quidem tractatus fieri necesse est ante recessum patronorum et comperegrinorum in praesentia patronorum et aliquorum expertorum peregrinorum et patris Gardiani, eo, quod post recessum confratrum pagani remanentes peregrinos pro voto et libitu suo circumvenientes nimis gravarent et angariarent in pecunia solvenda, patronis autem adhuc praesentibus discretius procedunt, quia si indiscretum pretium exposcerent, cum suis confratribus ad mare redirent et peregrinationi montis Synai resignarent. Reduximus autem formam contractus super salva guardia nobis praestanda salvoque conductu dando a Jerusalem Judaeae usque ad Gazaram Palaestinae et a Gazara per desertum Arabiae usque ad montem Synai, a monte Synai per Madian usque in Egyptum ad Matharcam, ubi est hortus balsami. Nam usque ad eundem

locum et non ultra durat salvus conductus Truschelmanni de Jerusalem ad sequentes articulos, quos nos cum ipsis et ipsi nobiscum confecimus.

Primus articulus. Quod ipse dominus Sabathytanco, Calinus major, permitteret nobis, quod salvos nos ducere disponeret ab hinc usque in Egyptum per loca praefata, et quodipse in propria persona suis expensis et sumtibus nos comitari deberet a Jerusalem usque in Gazaram. Et hoc fide data promisit.

Secundus. Quod de theloneis sive vectigalibus et exactionibus praestandis ab Jerusalem usque Gazaram ipse pro nobis de suis satisfaceret sumtibus et pecuniis. Et hoc exegimus ab eo, quia scivimus, nos nimis alias per Sarracenos gravari per illam viam.

Tertius. Quod unicuique peregrino pro equitatu asinum disponeret cum ductoribus eorumdem, qui ductores mucreli nominantur, et quod iidem asinarii nostri essent Christiani, et ab hinc usque ad Mathaream Egypti nos ducerent et servirent, et asinis et sibi ipsis in victualibus provisionem facerent, nisi forte sponte propria peregrini eis quippiam ministrarent.

(219 A) Quarto, quod omnes res nostras, puta vestimenta et cibaria, suis expensis deferri facerent a Jerusalem, et ad saepe dictam Gazaram, excepto solo vino, quod ipsi nos nostris sumtibus nobiscum ducebamus.

Quinto, quod in Gazara nobis provideret ipsius expensis de camelis, qui omnes res nostras portarent usque ad montem Synai et inde in Egyptum ad Mathaream, et hospitium honestum et competens in Gaza disponeret.

Sexto, quod nobis unum de suis familiaribus deputaret, qui nos loco sui comitaretur a Gaza usque ad Chayrum Egypti. Et petivimus, ut mitteret nobiscum Elphalhallo, qui dicitur Calinus minor, qui saepe numero, ut patebit, cum peregrinis per desertum profectus [erat], eique teneremur facere provisionem de cibo ex annona nostra.

Septimo, quod cuilibet peregrinorum utrem unum disponeret pro aqua devehenda per desertum, nam ad plures saepe dies nusquam aqua in via illa reperitur.

Octavo, quod concederent nobis licentiam comparandi vina in Jerusalem a Christianis orientalibus, et quod in camelis

el asinis sine insultibus Sarracenorum ducere possemus. Nisi enim singularis diligentia adhibeatur erga emtionem et uctionem vini, cum pace non stabunt peregrini.

Nono, quod disponat nobis tres papiliones sive tria parva ntoria, quae per mansiones singulas figere possemus in locis eserti contra aestum solis.

Decimo, quod quilibet nostrum ipsi Trutschelmanno pro alvo conductu, teloneis et omnibus atque singulis supra emoratis XXIII persolveret ducatos, mediam quidem partem jusdem summae in Jerusalem dans, reliquam vero in Gaara, postquam ibi de camelis et aliis supra tactis nobis proidisset juxta condictum et tenorem conventionis.

Undecimo, quod totus ille contractus in scriptis redactus igillis domini praefecti de Jerusalem et majoris Calini in ancellaria signaretur et muniretur.

Duodecimo et ultimo, quod, quamdiu mansuri essemus Jerusalem, liceret nobis circuire extra urbem et intra ad ca sancta, et quod intromitterent nos in Anastasim, quando eteremus, et in exitu contra montem Synai duceret nos in ethlehem ibique per aliquos dies nos dimitteret et de Bethhem in Ebron, ad videndum locum plasmationis Adae et peluncam duplicem.

Hi sunt articuli conventionis, quos composuimus, et multa tigia et difficultates habuimus, antequam concordes fieri ossemus, et concordia facta fuit, littera eadem die sigillata, ntequam peregrini confratres nostri recederent, et duos duatos pro sigillo exposuimus.

De recessu peregrinorum a Jerusalem et repatriatione.

Eodem die, scilicet in festo sanctae Mariae Magdalenae, ansacta meridie, venerunt domini Mauri et Sarraceni cum ercitu non modico, et omnes asinarii cum asinis in montem yon, ut inde peregrinos tollerent et ad mare reducerent. enerunt autem cum forti et valida manu, ut eos ab insidiis B) protegerent in via. Sciebant enim insidias esse paratas regrinis in via, quia divulgatum jam fuit in patria, pere-

grines multos in Jerusalem esse, ad quorum turbationem omnes faciliter conspirant et conjurant.

Interea cunctis currentibus et se disponentibus vocaverunt me domini mei quatuor, cum quibus de patria exivi, scilicet dominus Johannes de Zimbern, baro, miles, dominus Ursus de Rechberg miles, dn. Heinricus de Stöffel, baro, miles, dns. Johannes Truchsas, miles, et ultra omnia bona, quae prius ab eis acceperam, hoc addiderunt, et dederunt mihi aliquos non paucos ducatos in subsidium expensarum ad montem Synai, et rogaverunt, ut Deum pro ipsis orarem in locis sanctis existens et quod loca illa diligenter considerarem et conscriberem. Quibus ego regratiatus fui et uni eorum litteras tradidi deferendas reverendo magistro Ludovico Fuchss ad Ulmam, cui scripsi, insinuans ei fortunam meam per omnia desiderabilem etc. Et his peractis adjuvi servos dominorum meorum eportare ad asinos res eorum. Porro aliqui milites recessuri erant valde infirmi, ita, quod non poterant in asinis sedere, et pro illis fuerunt adducti cameli cum sportis magnis, ab utroque latere dependentibus, in quibus sportis fuerunt infirmi ad mare ducti, unus vero juvenis peregrinus adeo infirmus fuit, quod nec in asino nec in sporta deportari valuit, et illum post se reliquerunt, qui statim post eorum recessum obiit et in coemeterio fratrum montis Syon sepultus fuit. Igitur cum cuncti parati asinos adscendissent et recedere inciperent, multi flebant propter affectum ad loca sancta, a quibus invite recedebant. Alii vero flebant propter separationem a suis sociis et fratribus, quos post se relinquebant, inter quos erant domini mei et aliqui de servis dominorum meorum, qui videntes me flentem se continere non poterant, sed mecum flebant. Magnam enim cordis amaritudinem habui in separatione a benignissimis dominis meis, quia non fuerant mihi domini, sed jocundi socii et fratres. Magis autem flevi calamitatem eorum, quam suspicabar eis superventuram per mare, quam meam propriam derelictionem et miseriam, quam passurus eram per vastissimam solitudinem et per mare in hiemali navigatione, quae semper periculis plena sunt. Recordabar enim miseriarum et calamitatum, quas in prima mea peregrinatione in reditu habuerunt peregrini, ut patet fol. 16 per

totum, usque Venetias, et vehementer timui, ne forte et ipsi in has miserias inciderent.

Recesserunt ergo in nomine Domini a Jerusalem domini patroni ambo cum dominis peregrinis, cum quibus misimus duos de nostris, ut de galeis res nostras, quas in ipsis reliquimus, adducerent in Jerusalem. Venerunt ergo in Ramulam, quae communiter Rama dicitur, et ibi multis diebus fuerunt detenti et multum vexati. Sunt enim in eadem civitate pessimi nequam, ut patet fol. 85 B. Semper enim recedentes plus vexant quam advenientes. Post illos dies descenderunt in Joppen, et in isto descensu Sarraceni duos peregrinos valde tribulaverunt, et in speluncis foetidis Joppe etiam aliquos dies jacere permiserunt, de quibus dictum est fol. 75 A. In illis speluncis fuerunt plures (220 A) peregrini debiles effecti, tum propter loci foetorem, tum propter defectum necessariorum, tum et maxime propter vexationes et tribulationes Sarracenorum et juvenum Maurorum, ut patet fol. 77 B. Importunius autem eos in reditu vexaverunt, unde in tantum exasperati et amaricati fuerunt peregrini contra paganos juxta mare, quod conspiraverunt et conjuraverunt, quod in ingressu navis jugulare et interficere vellent, quotquot ad manus eorum occurrerent Sarraceni, juvenes et senes. Ab hoc tamen proposito fuerunt revocati propter nos, qui mansimus in Jerusalem. Nam si unum hominem interfecissent, nos omnes captivassent et forte aliquos ex nobis occidissent in ultionem effusi sanguinis. Frequenter enim contingit, quod in recessu peregrinorum a paganis male se salutant, et quam boni amici fuerint per terram sibi ipsis antedicunt. Unde non sunt multi anni elapsi, quod peregrini concitati a Sarraceni et Sarraceni contra ipsos in portu Joppe acies ordinaverunt ad invicem, et congressionem fecerunt cum eis. In prima mea peregrinatione quatuor diebus mansimus in portu Joppe, vexati et tribulati usque ad ultimum. Sic etiam modo peregrinos vexaverunt, et sicut praemisi, si illorum peregrinorum, qui in Jerusalem remanserunt, periculum non timuissent, sine sanguinis effusione galeas non intrassent. Cum pace ergo propter pacem nostram, qui in Jerusalem fuimus, peregrini barcas ingressi in galeas navigaverunt, quae usque huc immobiles stabant in locis, ubi eas primo posueramus,

et galeis solutis a tonsillis et levatis ancoris erexerunt nostri vexilla galearum et cum bombardis contra turres Joppe lapides miserunt et cum magnis clamoribus contra Sarracenes a portu recesserunt. Venientes autem in Cyprum multi ibi infirmati fuerunt, et quidam nobiles milites ibi obierunt. Deinde processerunt a Cypro contra Rhodum, sed tarda erat eorum navigatio, ita, quod aquae defectum patiebantur magnum; unde contra Napuliam [Natoliam?], quae proxima regio erat, in qua Turci degunt, navem direxerunt, ut inde aquam tollerent. Sed dum portum quendam ingressi fuissent, et auditum fuisset a Turcis, quod essent galeae peregrinorum Jerosolymitanorum, nequaquam volebant eis dare nec aquam nec panem, nec salvum conductum ad exeundum praestare volebant, sed recedere de eorum finibus citius compulerunt. Recesserunt ergo tristes propter defectum aquarum. Deus tamen quam statim misit eis ventum bonum, qui eos tulit usque insulas Cycladum, in quibus ad Rhodum applicuerunt, et ibi refocillationem acceperunt multos dies ibi agentes. De Rhodo autem navigantes, cum (in) altum maris venissent, ecce navis piratica armata, ad invadendum galeas parata, eis occurrit, quod videntes gubernatores verterunt galeas contra Rhodum, quas navis piratica velocissime sequebatur, et nisi Deus vento (EE) novo et singulari eis adjutorium praestitisset, profecto piratarum manus non evasissent. Cum enim piratae iam prope essent, venit ventus et ambas galeas repente rejecit in portum Rhodianum. In crastinum ulterius navigaverunt et prospera navigatione percursis provinciis orientalibus, Graecia, Achaja et caeteris, usque in Parentiam Histriae Dalmatiae advecti sunt. Est autem Parentia ultimus portus, a quo incipit mare Venetum, per quod galeae et naves magnae non possunt transire, nisi sit singularis quidam ventus, quo non flante oportet in illo portu diu manere, quam diu non flaverit. Unde semper sunt in portu illo barcarii cum magnis barcis, et quando aliqui festinant venire Venetias, conducunt barcam et in ea navigant Venetias. Sic etiam fecerunt multi peregrini in mea prima peregrinatione. Cum ergo nec jam venti utiles essent ad navigandum gulfum Veneticum, conduxerunt peregrini barcas, et contra Venetias navigaverunt. Sed ecce, motus factus est

n mari, et naviculae jactabantur magnis fluctibus, ita, quod ıec spes evadendi mortem esset. In his enim augustiis rup- um fuit gubernaculum barcae, in qua erant domini mei, et in naximo erant periculo, et aquae vento agitatae incidebant ndique. In alia vero barca eis collaterali fractus fuit malus, et velum cum antenna per ventum ejecta fuerat, et isti erant in majori periculo, et omnino erant desperati, confitebantur ibi invicem et vota vovebant, sicut moris est periclitantium. Deo autem eis in tribulatione assistente evaserunt et integro numero portum Venetianum ingressi sunt, licet madidi, tre- mentes et miseri. Per aliquot autem dies manserunt Venetiis, et inde egressi repatriaverunt et circa festum S. Galli in propriis terris fuerunt. Obierunt multi nobiles et servi, sed de dominis meis et de servis eorum non remansit nec unus in via, nisi ego, qui remansi in Jerusalem juxta votum dominorum meorum, ipsi vero et servi eorum omnes sani et integro numero in propria venerunt recepti cum ingenti laetitia et gaudio suorum parentum, uxorum, filiorum et amicorum.

DEO SIT LAUS.

Finit peregrinatio communis Iherosolymitana.

Hic incipit peregrinatio

terrae sanctae, quam fecerunt illi peregrini per terram ipsam, qui volebant peregrinari ad montem Synai post aliorum peregrinorum recessum a Jerusalem et a terra sancta.

(221 A) Vicesima tertia, quae est sancti Apollinaris martyris, die convenerunt mane in monte Syon peregrini montis Synai et accersito patre Gardiano et fratre Johanne de Prussia et caeteris patribus conventus eos rogaverunt multis precibus, quatenus locum in conventu eis assignare dignarentur, in quo manere possent et hospitari interim, quod essent mansuri in Jerusalem. Patres autem rem illam omnino difficultabant et gravamina multa assignabant, propter quae eos in conventu habere non possent. Milites hoc audito eos auro ad hoc inclinare conabantur, et productis multis ducatis unus eos obtulit fratri Johanni dicens: hos aureos, frater, accipite, et hospitium, quaesumus, date et provisionem procurate, et dum aurei illi consumti fuerint, alios dabimus. Sed nec sic profecerunt, aurum enim accipere renuerunt, et militibus responderunt: ecce, domini milites peregrini, experientia longa edocti [sumus], melius est vos extra manere, quam nobiscum; juvabimus ergo vos extra apud aliquem conducere hospitium, et conventus consolationem semper ad manus habebitis, et si quis inter vos infirmatus fuerit, illum in nostrum infirmitorium reponemus et curam ejus cum caritate habebimus. Et ne omnino videamur petitiones vestras repellere, accipimus ad nos, sicut in adventu vestro accepimus, socium et comperegrinum fratrem Felicem, qui debet manere in cella, quam habet, et ibi quiescere et in refectorio nobiscum manducare et bibere, quamdiu manseritis hic in civitate sancta. Hoc audito peregrini a coepta petitione desierunt, ego vero

ıtribus gratias egi pro caritate mihi oblata et cum gratiarum ;tione hospitium possedi, quamdiu in Jerusalem fui, ingreens et egrediens cum illis venerabilibus fratribus sicut doesticus et sine timore et sine Sarracenorum vexatione. Et ne expensis mansi in conventu optime provisus.

Porro caeteri peregrini conduxerunt hospitium in domo lphahalli, minoris Calini, Sarraceni, quae domus est intra ontem Syon et Jerusalem in clivo, quo est descensus ad :clesiam sancti sepulchri. In illa domo erant tres camerae unum parvum solarium et in medio unum atrium vel una ıria competenter magna, in qua stabant vites plenae botris, sub domo erat magna piscina pro baptismatibus Sarracenoım. Duas ergo cameras dedit peregrinis Calinus, ipse vero t frater ejus retinuerunt tertiam cum suis supellectilibus, et eregrinis (B) in domo manentibus ipsi duo nec manducaveınt nec dormierunt in domo, sed eam liberam peregrinis imiserunt, ex qua intrabant et exibant, et in ea quiescebant t manducabant, ementes necessaria eaque coquentes pro ıo libitu. Diviserunt autem se peregrini in tres partes, faientes tres societates, ut eo melius et copiosius procuratio ecessariorum fieri posset per desertum, et ut pax melius :rvaretur inter eos, quae difficulter servaretur in tanta multudine. Prima tamen et secunda societas semper simul maneıunt, sed tertia remansit similiter.

In prima societate erant sex peregrini, scilicet:

Dns. Johannes comes de Solms, junior omnibus, sed obilitate generis clarior.

Dom. Bernhardus de Braitenbach, nunc decanus ecclesiae ıoguntinensis.

Dominus Philippus de Bichen, miles, praefati comitis custos.

Erhardus, quidam socius armiger et servus comitis.

Johannes, dictus Hentgi, procurator et cocus expertus.

Johannes Knuss, interpres linguae italicae.

In secunda societate erant octo peregrini, horum haec ınt nomina:

Dominus Maximus cognomento Sinasinus, baro de Ropelstein.

Dominus Fernandus de Mernawe, baro, miles.

Dns. Caspar de Bulach, miles.

Dns. Georius Marx, miles.

Dns. Nicolaus, dictus major Inkrut, miles.

Conradus barbitonsor, lutanista, cocus et procurator.

Pater Paul Güglinger, Ordinis Minorum sacerdos.

Frater Thomas, conversus ejusdem Ordinis, multarum linguarum peritus.

In tertia societate erant sex peregrini, quorum haec sunt nomina:

Dominus Hainricus de Schauenberg, miles.

Dominus Caspar de Siculi, miles.

Dns. Sigismundus de Morspach, miles.

Dns. Petrus Velsch, miles.

Dns. Johannes Lazinus, archidiaconus et canonicus ecclesiae Transsylvaniensis in Hungaria.

Frater Felix, Ordinis Praedicatorum de Ulma, hujus evagatorii expositor, qui praefatum dominum archidiaconum societati nostrae inserui. Non enim peregrinationem illam assumsisset, nisi sub mea confidentia, quia erat purus Hungarus, non unum verbum teutonicum sciens, sed in latina lingua et sclavonica et italica et hungarica peritus erat. Fuit autem vir nobilis, virtuosus et doctus, orator magnus et mathematicus, qui, ut praemisi, mihi adhaesit semper, ut patebit in sequentibus. Porro Elphahallo, Calinus minor, in cujus domo peregrini manebant, de quo prius saepe facta est mentio, et in sequentibus saepe fiet, venit hic describendus. Nam hospitale et peregrini Christiani habent in Jerusalem duos magistros, superiorem et inferiorem. Superior dicitur Sabathytanco, et Calinus major. Inferior vocatur Elphahallo, Calinus minor, i. e. magister hospitalis et peregrinorum. Ambo etiam Calini dicuntur Trutschelmanni, i. e. defensores et ductores, sive provisores Christianorum peregrinorum (**222 A**). Sunt enim in qualibet civitate aliqui, quibus Soldanus concedit, ut Christianos per terram ducant et eos protegant, et sunt magistri officiales de curia domini Soldani et dicuntur Trutschelmanni. Sic etiam Judaei habent suos Trutschelmannos sive Calinos. Et in locis, ubi est magnus et frequens adventus peregrinorum, sunt duo Calini, major et minor, sicut in Jerusalem et

n Chayro. Et illi duo sunt subordinati, et minor recipit stipendium
ı majore, major autem extorquet ea a peregrinis. Et quando
lli Trutschelmanni sunt recti et probi, bene stant peregrini;
ıed quando secus est, tunc sunt peregrini perditi, sicut pate-
›it in processu. Major Trutschelmannus de Jerusalem, Saba-
hytanco, erat homo longus, senex, dives, et multum de
:laris moribus, peregrinis durus in continua ductione et
gravis in pecuniarum mulctatione, et non satis bene tenuit
compactata et in multis promissis cessit; satis fideliter tamen
nos defendit, et in quibus eum invocavimus, diligenter adjuvit.
Calinus vero minor de Jerusalem, Elphahallo, erat vir senex,
credo plus quam octogenarius, simplex et rectus Sarracenus,
et multa pollens morali virtute, illius autem erroris fuit, quod
credidit, omnes homines salvari posse in ea fide, in qua nati
sunt, si illam integram servarent, et ab ea fide apostatas
omnes dixit esse damnandos, ideo Mamaluccos suae fidei, a
fide Christi apostatas, damnavit, et omnes orientales Christia-
nos dixit esse damnandos, pro eo, quod gentilibus essent
conformes et confoederati regibus eorum. Similiter Judaeos
inter eos viventes. De fide nostra et salute magna sensit,
sed credidit, si ipse suam fidem derelinqueret, in fide nostra
salvâri non posset, sicut nec credidit, Christianum apostatam
in sua fide posse salvari. De his saepe contuli cum eo, scivit
enim lingam italicam et corruptum malum teutonicum, quod
didicerat a peregrinis, cum quibus XLVIII vicibus per deser-
tum ad montem Synai transivit, et tanto affectu Christianis
transmarinis afficitur, quod vitam suam cum illis perderet,
immo, pro eis se mortis periculis exponit, quia, cum sit senio
confectus et in genitalibus ruptus, cum peregrinis tamen
deserta pertransit, nullius praemii intuitu, sed ut sit cum eis.
Ingens sibi cura est, quomodo peregrini post suam mortem
possint duci per desertum et per illas regiones. Sed et mihi
ipsi cura est, et mortem ejus horreo, sicut et mortem fratris
Johannis, de quibus vide fol. 183 B.

Calinus ille fuit quondam Viennae apud Imperatorem Fridericum III. et Romae apud Papam Nicolaum V., quod sic accidit. Quodam anno milites per desertum duxit, inter quos erat unus potens miles alemannus, qui virum tenerrime dilexit,

et eum frequenter instigare solebat et rogare, ut secum transfretaret in Alemanniam, et bene sibi facere vellet et quietem tribuere. Sed ad hoc Sarracenum inducere non potuit nulla ratione. Cumque venissent Chayrum, ubi Calinus solet derelinquere peregrinos et in Jerusalem reascendere, rogavit eum nobilis, ut secum descenderet Alexandriam, et ibi eum vellet dimittere. Et cum essent Alexandriae, practicavit (E) nobilis cum patrono, in cujus galea transfretare voluit, ut diem et horam recessus navis sibi soli notificaret; in sero ergo, quando navis erat in nocte futura solvenda, duxit nobilis Calinum secum in galeam, qui nec navis recessum suspicabatur, et aestimabat, se in crastinum rediturum in civitatem. Intempesta autem nocte silentio soluta navi per ventum est longius in altum maris projecta, et ita Sarracenus manere cum eis coactus fuit et transfretare. Duxit autem miles eum ad Imperatorem et ad Papam, et viri bonitatem et pietatem eis exposuit, sed a sua infidelitate averti non potuit, et ita reductus Venetias per mare ad propria rediit. Et interim fideliorem servitorem se omnium Christianorum exhibuit, munera enim magna ab Imperatore et a Papa et a nobilibus, reportavit, et de magna liberalitate et gloria Christianorum solet facere narrationem coram suis. In hujus viri probi domo manserunt, ut praemisi, domini peregrini, ad quos ego quasi cottidie descendi ingrediens et egrediens pro libitu meo. Et tantum de illo.

Vicesima quarta die convenimus nos peregrini in montem Syon ad tractandum simul de peregrinationibus faciendis in terra sancta. Deliberavimus autem, quod hos dies, quos in terra sancta essemus mansuri, nequaquam otio dare vellemus, sed nunc ad illum nunc ad istum locum peregrinari, et eramus omnes concordes in hac voluntate, sed hoc diabolus sufferre non volens seminavit zizaniam, et discordari coeperunt et sibi invicem dissentire in quaerendo loca sancta, et per consequens etiam in aliis. Nam in domo praedicta propter dissensiones habebant duos ignes, duas coquinas, duos coquos, et distinctas procurationes, quae omnia sub una cura levius et melius expedita fuissent. Unde domini primae et secundae

societatis se combinaverunt, et sub uno igne et procuratione una steterunt. Domini vero tertiae societatis, ad quam ego conjunctus eram, singulares fuerunt et miles dictus Petrus Velsch per se cocus et procurator suae societatis fuit, et in sui adjutorium adduxit pretio duos Judaeos pauperes teutonicos, qui secum ibant ad forum pro emendis necessariis. Igitur aliqui de peregrinis habebant grande desiderium ad videndum et visitandum loca sancta in Galilaea, provinciam Nazareth scilicet, montem Thabor, campum magnum Esdrelom, mare Galilaeae, Capernaum, Chorazin, montem doctrinarum Christi et montem refectionum populi et Damascum, et cactera. Et cum super hoc consilium patris Gardiani haberemus et Calini majoris Trutschelmanni nostri, dixerunt nobis multas difficultates illius peregrinationis et excessivas impensas, quas habituri essemus solum ad redimendum vexationes Sarracenorum, qui in eisdem partibus dicuntur esse infensissimi Christianis, ita, quod rarissime audent peregrini Galilaeam intrare. Et pater Gardianus pro certo dixit nobis, quod majora pericula essent in ista peregrinatione, quam ad montem Synai per desertum. Hoc ut (223 A) aliqui peregrini audiverunt, a proposito destiterunt, resignantes peregrinationi Galilaeae. Alii autem periculis propositis non obstantibus libenter ivissent, sed ex quo divisi fuimus, intermissa fuit haec peregrinatio, quia una pars sine altera non poterat sustinere expensas tantas; illi etiam, qui transire nolebant, murmurabant contra peregrinari volentes, dicentes: quod, antequam de Galilaea venirent, tempus peregrinandi ad montem Synai adesset, et tunc necesse esset eos exspectare; quod ipsi nollent facere. Sed in hoc errabant, quia trinies venissent ante recessum eorum de Jerusalem, ut patebit. Et ita propter divisionem peregrinorum fuerunt multa omissa, quae faciliter fecissemus, si semper unanimes fuissemus. Si enim concordes fuissemus, cum quinque ducatis pro homine fuissemus ducti per universam Galilaeam et ultra usque in Antiochiam, quae antiquitus dicebatur Reblatha, ut habetur 4 Reg. 15. Praecipue tamen desiderium habuimus videre Nazareth. Nam nunc dicitur parva villula, in qua nullus honor exhibetur nec Christo, nec ministris ejus. Olim tamen tempore beati Jeronymi erat ibi

honoratus archiepiscopatus, cui S. Sylvanus praeerat, ut dicit Cyrillus de miraculis S. Jeronymi ad August.

Vicesima quinta die, quae est S. Jacobi Apostoli, antequam sol oriretur, surrexerunt fratres montis Syon, et acceptis de sacristia paramentis exierunt conventum, et ego cum eis, ad ecclesiam S. Jacobi pro Officiis ibi celebrandis. De illa ecclesia dictum est fol. 103. B. Cum autem ad ecclesiam venissemus et fratres intrare permissi, ego veloci cursu ad hospitium peregrinorum processi, et pulsans lapide ostium eos excitavi ad Officium, cum quibus in ecclesiam praedictam rescendi. Cantavimus ergo in capella decollationis S. Jacobi Officium solenne et Missas successive in eodem altari celebravimus et ad loca nostra reversi sumus et in eis nos illa die continuimus, quia erat sexta feria, quae semper Sarracenis solemnis, sicut nobis dies dominica, nec patiuntur nos diebus, quibus ipsi celebrant, evagari per civitatem.

Vicesima sexta, quae est festum S. Annae, matris beatissimae Virginis, mane surreximus et ad ecclesiam, ubi locus est domus S. Annae, in qua genuit Dei genitricem, transivimus et inhabitantes locum rogavimus, ut nos intromitterent sed nequaquam adquiescere volebant. Prae foribus ergo oravimus sanctam Annam et filiam ejus honoravimus. De hac ecclesia dictum est fol. 140 A. et locus describitur fol. 229 A. Ab illa ergo ecclesia discessimus et per portam S. Stephani exivimus et in vallem Josaphat descendimus, ut in ecclesia Assumtionis beatae Virginis divina celebraremus. Sed cum ad ecclesiam venissemus, clausa erat, nec ingredi poteramus. Ideo dimisso loco ascendimus in specum orationis et agonizationis Christi et ibi altari parato divina celebravimus, quod tamen prius numquam visum fuerat, quod Latini in hoc celebrarent. De illo loco habes fol. 144 A. Et post Missas alia loca sancta (B) montis Oliveti transivimus, et cum ad ecclesiam Ascensionis Domini venissemus, quidam Sarracenus obstitit nec in ecclesiam voluit nos ingredi, nisi daremus pecunias. Cui minati sumus, quod vellemus conqueri de eo domino Naydan, praefecto Jerusalem, sed non curavit verba nostra, et itareversi sumus ad prandium in montem Syon.

Vicesima septima die, quae fuit IX. post Trinitatis, mane venerunt omnes peregrini ad Officium Missae in montem Syon, quod Officium ego cantavi, siquidem frater Seraphinus, hebdomadarius conventus petivit me, ut loco ejus Officium cantarem et fratres non sacerdotes communicarem. Quod libens feci et quasi pro singulari gratia accepi, quod Missam conventus in illo loco cantare merui, in quo hoc sacrum eucharistiae divinissimum creditur institutum primitus, et quod fratres eodem sacramento communicare habui in illo loco, ubi Christus suos discipulos primo communicavit et se ipsum in eodem loco manducavit, ut patet fol. 94 B. Post prandium autem in quiete mansimus.

Vicesima octava die mane descendi cum procuratore in civitatem ad forum et ad vicos cocorum, et magnam rerum venalium abundantiam ibi vidi et hominum copiosam multitudinem et coquinas multas; non enim coquunt homines in domibus suis, sicut apud nos, sed cibos coctos emunt ab ipsis publicis coquis, qui in patentibus coquinis cibos mundissime parant, nec videtur ibi juxta ignem mulier, imo in coquinas nulla mulier ingredi praesumit, et Sarraceni cibos coctos a mulieribus sicut venenum abominantur. Ideo nulla foemina sciret coquere offam, sed solum viri sunt coci per totum orientem. Oportet autem in istis partibus coquinas esse communes, quia ligna sunt ibi in caro foro propter terrae siccitatem, et non potest esse in qualibet domo coquina, sicut apud nos, propter lignorum defectum. Et his visis regressi sumus, post Officium prandium sumsimus.

Vicesima nona die procuraverunt peregrini omnes quilibet pro se lectulum bombyce impletum, quibus uteremur tam in Jerusalem quam per desertum sub tentoriis, de quibus et mihi unum fieri feci, quousque fui in Jerusalem, et per desertum et per mare usque Venetias et a Venetiis duci mihi feci usque Ulmam in cellam nostram, in qua pro reliquiis sacrae peregrinationis eum servavi.

Post prandium venerunt in equis ad montem Syon dominus Naydan, praefectus Jerusalem, et dominus Vaccardinus et dominus Sabathytanco, Sarraceni potentes, ut refrigerarentur. Est enim in monte Syon semper aer recentior quam

in Jerusalem, et ideo solent domini aliquotiens per recreationem ascendere et in ecclesia fratrum, quae semper est frigidior, discumbere, ad quorum adventum fratres sternunt tapetias super pavimentum et cussinos sive pulvinaria super tapetias ponunt, et domini desuper (224 A) discumbunt ponentes cubitos super cussinos, non enim in terris illis consuetudo est sedere super scamna, aut super sellas vel cathedras, sed cuncti discumbunt super terram, et si sunt magni et divites, sternuntur eis tapetiae. Eis ergo sedentibus fratres apportaverunt eis collationem in una stannea lance, paximatios confectos speciebus, et de panibus eorum, et lebetum et fructus, botros, amygdalas et melunas, et aquam recentem pro potu, quia vinum non bibunt. Ex his cum jucunditate domini illi manducaverunt, quibus fratres Minores et nos peregrini astitimus et servivimus, et famuli eorum sarraceni nobiscum circumstabant. Interrogaverunt vero nos de multis per interpretem, et responsa nostra cum ammiratione audiverunt, et seriose conferebant ad invicem de auditis. Erant enim viri maturi, senes, barbati et experti, principales rectores civitatis sanctae et homines personati.

Porro Pater Gardianus die praecedenti miserat duos fratres de monte Syon in Bethlehem, quos quidam Sarracenus invaserat in via eosque percussionibus non paucis laeserat usque ad sanguinis effusionem. Illum Sarracenum accusavit pater Gardianus dominis illis, qui promiserunt ei, quod eum vellent punire, eumque taliter tractare, quod amplius nullum Christianum turbaret. Post querimonias Patris Gardiani accessimus nos peregrini et conquerebamur de illo Sarraceno, qui noluit nos in ecclesiam Ascensionis Domini intromittere, ut patet sub XXVII. die, et petivimus, quatenus indulgerent nobis, libere loca sancta visitare. Responderunt: quod nihil deberemus illi dare, qui ostium ecclesiae Ascensionis Domini observat, nec amplius esset aliquid a nobis postulaturus. De libera autem locorum sanctorum visitatione dixerunt: habeatis, inquiunt, liberam voluntatem eundi, quocumque placuerit, suademus tamen, ut semper aliquem Sarracenum vobiscum habeatis ambulantes, ne juvenes insolentes, quos arcere non possumus, vos molestent. Et ita transivit illa dies, in qua tam

in prandio quam in coena excessum feci manducando nimis ivide melunas, quod in malum meum feci.

Tricesima die fui totus debilis, et una acutissima febris invasit me, et ardebam calore nimio incensus, credo, quod propter melunas, quae sunt in Jerusalem dulcissimae et pingues. Infirmarius autem frater, Baptista, curam sollicitam mihi adhibuit, meque statim curavit procurans mihi sudores. Et ita illa die de cella non sum egressus.

Tricesima prima audivi, quod duo de sociis meis peregrinis essent infirmi, et assumto baculo pro sustentamento a monte Syon descendi cum magna difficultate propter debilitatem meam ad hospitium dominorum peregrinorum, licet sit via satis longa descensus et ascensus, infirmosque infirmus visitavi, et mansi illo toto die cum eis; in sero vero duo milites reduxerunt me ad locum meum bene recreatum et paene sanatum (B) in montem Syon, in quem dum venissemus, invenimus totum conventum ante monasterium in cottidiana visitatione sanctorum locorum vacantem, cum quo et ego circuivi, sicut alias consueveram, et cum fratribus pariter ad dormitorium me reduxi in cellam meam etc. Hanc enim laudabilem et sanctam consuetudinem habent fratres montis Syon, quod omni sero, cantato et finito completorio, visitant loca sancta pro indulgentiis acquirendis, hoc modo. Primo transeunt ad majus altare, ubi est locus institutionis eucharistiae, et ibi se prosternunt, locum deosculantur et indulgentias percipiunt. Deinde ad locum lotionis pedum procedunt, et post hoc super ambitum circumeunt ad locum missionis Spiritus Sancti, et ibi descendunt ad capellam S. Thomae Apostoli, et ambitu circuato capellam S. Francisci ingrediuntur prope portam et columnam Domini; ibi deosculata porta exeunt claustro ad locum oratorii beatae Virginis Mariae et inde ad locum praedicationis Christi, et ibi convertunt se ad sepulchrum David et aliorum regum sanctorum, et inde in coquinam Domini perveniunt, et ab ea ad sepulchrum S. Stephani procedunt, a quo circumeunt, usque ad specum poenitentiae David descendunt. De specu vero ad cornu montis Syon procedunt, convertuntque se genibus flexis contra orientem ad montem Oliveti, una et brevi oratione omnia ejus loca venerantur, et

inde in vallem Josaphat respiciunt, ad ecclesiam Assumtionis beatae Virginis orant, ut ejus meritis et intercessione futurum judicem ibi laeti videamus. Deinde convertunt se in eodem loco contra aquilonem et civitatem sanctam Jerusalem respiciunt, et contra templum Salomonis orant, et uno intuitu omnia loca civitatis sanctae contemplantur. Hoc facto magis ab aquilone contra occidentem se convertunt ad ecclesiam sancti sepulchri dominici, Anastasim, de qua tamen nihil aliud videre possunt, nisi supremum culmen campanilis vel turris ejusdem ecclesiae, objiciente se monte Syon, et contra hanc devotius orant. Post hoc consurgunt et ante domum Haunae pontificis venientes orant, a qua usque ad domum Caiphae procedunt, et ibi oratione fusa convertunt se ad monasterium, et ad locum divisionis Apostolorum veniunt. Inde ad capellam S. Johannis, in qua Missam celebrare consuevit et cottidie beatam Virginem communicavit. De illa capella transeunt in beatae Virginis domicilium, in quo diem suum clausit supremum. Et ab hoc loco ad locum electionis S. Matthiae in apostolum, S. Jácobi in episcopum, septem virorum bonorum in VII diaconos, et inde transeunt in coemeterium suorum confratrum ibi sepultorum, eos alloquuntur et pro eis orant. Et hoc facto per portam reingrediuntur et cum silentio quilibet se in cellam suam recipit ad quiescèndum. Et hoc modo cottidie cum eis circuivi, me cum eis manente

ractatus quintus continens acta peregrinorum per mensem Augustum,

ım descriptione locorum diversorum terrae S., ad quam diverterunt, et plura continentur ibi utilia.

(225 A) Augustus mensis sua prima die duplicem nobis tulit solemnitatem. Prima est de Petro, principe Apostolorum, ıomodo fuit a vinculis absolutus. Secunda est de Macho- eto, principe daemoniorum, quomodo suis vinculis totus ıene mundus est involutus. Prima est nobis nota, secunda ɔbis incognita, Sarracenis vero solemnissima. Ea quippe die ɛlebrant festum dationis legis Machometi, quia in ea tradita manifestata fuit lex pravissima Machometi et Alcoranus, rorum pelagus, in publicum productus, quo paene totus undus est submersus. Haec exsecrabilis et profana lex ɔlorata utriusque Testamenti auctoritatibus est, et quibusdam ɛris falsa et omnino absurda habet annexa atque venenum, t moris est omnibus haereticis, sub melle continet occul- ıtum.

Erat enim prima dies Augusti, sexta feria, quae per ɔtum annum est Sarracenis celebris, non quidem quia feria ɛxta, sed quia dies Veneris. Machometus enim Venerem npudicam semper venerabatur, idcirco ejus diem statuit per- etuo celebrem observari, quemadmodum diem dominicam ɛstivamus, et sabbathum Judaei, longe tamen alia et alia ıtione. Idcirco hoc die ausi non fuimus in publicam proce- ere, sed in locis nostris in occulto consistere, sicut Judaei ı die parasceves a nobis secluduntur nec per vicos ire per- ıittuntur. Propter hoc maledictum Machometi festum non otuimus rite peragere festum S. Petri ad vincula; nam eregrini socii mei non audebant de hospitio in montem Syon dscendere pro audientja Missae, sed sine Missa diem illam ansigere et ita nolentes coacti fuimus in quiete manere. loc enim tenent pagani, quod quando ipsi celebrant vel

jejunant vel a carnibus abstinent, aut tristitiae vel laetitiae dies agunt, cunctos advenas hospites et peregrinos hoc idem facere cogunt. Sic etiam faciunt cum vino: ex quo ipsi eo non utuntur, non sustinent, quod peregrini apud eos eo utuntur, nisi occulte, eis non videntibus etc.

(B) Secunda die, quae est S. Stephani Papae et martyris, audito Officio et sumto cibo convenimus ad montem Syon et deliberavimus circuire totam civitatem Jerusalem ab extra et videre ejus munitiones vel potius munitionum ruinas, non obstantibus intensissimis caloribus et solis ardoribus, id enim facere non bene poteramus nisi fervescente sole, quo tempore Sarraceni in umbra manent. Mane enim et vespere, sole tepescente, in hortis sunt, et exspatiantur extra portas, nec passi fuissent nos circuire urbem: ideo horam quietis eorum ad hoc elegimus. Incepimus autem sic circuire. Prime transivimus usque ad arcem David contra occidentem, et ab ea processimus ad portam piscium sive negotiatorum, ubi est angulus occidentalis, in quo murus occidentalis jungitur muro australi. Ab hoc angulo processimus in agrum fullonis, in quo hodie lucus est cum muschea et Sarracenorum sepultura, sicut et fuit tempore beati Hieronymi, ut habetur in libro de distantiis locorum. In agro autem fullonis vertimus nos contra aquilonem, habentes ad dextram civitatis sanctae fossata, supra quae processimus tendentes in aquilonem. Fuerunt autem fossata profunda et lata, et murus civitatis supra rupes aedificatus, et ipsis muris sunt domus insertae, de quibus habetur respectus in fossata. Porro sub ipsis rupibus vidimus cavernas magnas, per quas est introitus quasi usque ad medium civitatis sub terra. Et si habuissemus lumen et facem accensam ingressi fuissemus speluncam, et doluimus nos non accepisse. Has cavernas nominat Josephus lib. VI. c. 8. de bello Judaico *speluncas regias; sed ob quam causam sic vocentur, non legi. Opinor tamen, quod forte introitus aliquis erat in civitate in eas, soli regi notus, per quem nullo sciente poterat civitatem exire et intrare, vel a palatio regis erat introitus.

Consequenter processimus satis per longum tractum supra fossata usque ad angulum aquilonarem, in quo murus

ccidentalis jungitur muro aquilonari. Ante hunc angulum st quaedam altitudo et terrae tumor, in quo ruinae murorum unt; ibi etiam quondam stetit turris altissima, quae dicebatur 'haselus vel Psaefinas Hippicus, a qua fuit prospectus ad trumque mare, orientale scilicet, quod est mare mortuum, t ad mare occidentale, quod est mare nostrum magnum aediterraneum, ut habet Josephus de bello Judaico l. VI. ap. 8. De quo tamen miratus sum saepe, cum civitas sancta d occidentem habeat montana supereminentia civitati.

Ab hoc ergo angulo vertimus nos contra orientem, et upra fossata processimus. Ibi vidimus maguam partem antiquorum murorum; fuit enim murus duplicatus, ita quod per nedium ejus fuit transitus intra murum, inferius et superius, et rupes, supra quas murus fundatus est, in multis locis erant arte quadratae, supra quas turres steterant. Ab illa enim parte fuit civitas bene munita, quia ibi potest melius impugnari (226 A), unde Saladinus, rex Egypti, ab illa parte civitatem cepit ultimo de potestate et de manibus Christianorum anno 1187. Ulterius in processu venimus ad portam Ephraim vel sancti Stephani, quae est juxta angulum orientalem, in quo murus aquilonaris jungitur muro orientali. Porro murus ille orientalis non habet ante se fossatum, sed vallem Josaphat, supra quam in alto est deductus, et licet sit semita parva ab angulo orientali usque ad angulum muri australis ad latus muri orientalis supra vallem, non tamen ausi sumus continuare circuitionem per semitam illam propter Sarracenorum coemeterium, quod ante portam auream est, per quod transire nobis non licuit, nisi ingenti periculo nos exponere voluissemus, ut patet fol. 82 A. et 141 B. Derelicta ergo semita illa ab angulo descendimus per praeceps in vallem Josaphat, usque in torrentem Cedron, per quem descendimus habentes montem templi et civitatis ab uno et montem Oliveti ab alio latere, et pervenimus usque ad radices montis Syon in vallem Siloae, ibi autem convertimus nos ad occidentem, et per vallem, quae dividit montem Syon a monte Acheldamah et Gyon, adscendimus usque ad agrum fullonis, ubi incepimus circuitum, et per portam piscium ingressi sumus civitatem sanctam, et cum dominis peregrinis

ivi in eorum hospitium, et refrigerium accepimus, fuimus enim facti calidi, lassi et multum fessi. Et ita transivit illa dies. Si cui placet videre antiquae Jerusalem spatium et munitiones, inspiciat Josephum de bello Judaico lib. VI. c. 8. Ne tamen omnino praeterire videar aliquid certius loqui de magnitudine illius sanctissimae civitatis, sciendum, quod nequaquam ita magna est, ut communis aestimat vulgus, qui eam judicat in grandem in circumferentia, sicut est in nominis et virtutis fama. Gloriosa enim dicta sunt de te, civitas Dei, et dicuntur dicenturque quamdiu mundus iste durat. Est namque civitas haec et semper fuit minor maximis, et maior mediocribus, de qua etiam gentiles loquuntur. Nam Hecataeus Abde [rita], philosophus, dicit: Jerusalem urbs munitissima, quinquaginta paene stadiorum habens circuitum, quam plures quam CXX millia homines inhabitant. Et plura prosequitur de ea, ut habetur in Eusebio de evang. praep., libr. 8. c. 2. et 3.

Alius philosophus, Timochares, qui Antiochi res conscripsit, asserit: Hierosolymam XL stadiis circumduci abruptis vallibus undique natura munitam, ipsamque multis aquis in ea emanantibus irrigari, cum tamen per gyrum ad XL stadia nullae sint aquae vivae. Et caetera plura dicit, ut habetur ex Eusebio, uti supra l. X. c. 4.

Josephus autem, Judaeus, insignis historiographus, libro et cap. V. supra allegato dicit: Omne civitatis Jerusalem in gyro spatium XXXIII finiebatur stadiis, et multa gloriosa valde in supra dicto capite refert. Ejusque dictis magis credo, cum fuerit civis et capitaneus populi Judaeorum in Jerusalem, tempore suae destructionis per Titum.

Ex his liquet, quod Jerusalem fuit major ante ampliationem factam per Aelium Hadrianum Imperatorem, quam hodie Ulma, quae est una de mediocribus urbibus. Ulmam enim ego saepe mensus sum, habetque in gyro stadia XXV et LXXV passus magnos, quae faciunt stadium dimidium. Et ita antiqua Jerusalem excessit Ulmam in octo stadiis.

Porro post Josephum multis annis Aelius Imperator destructam Jerusalem restauravit, et locum Calvariae et dominici sepulchri moenibus inclusit, sicque eam pro tanto ampliavit,

et secundum illam ampliationem praedicti duo philosophi superserunt ejus terminos et mensuram. Vel si ante ampliationem scripserunt, contulerunt montem Syon civitati, quem Josephus non includit suae mensurationi. Includendo enim montem Syon cum monte Calvariae et Golgatha, fit circulus grandis in circumferentia, non minor, quam contineat Augusta, civitas Suevorum, quae inter magnas Germaniae civitates computatur. Quod tamen contemplanti de monte Oliveti civitatem Jerusalem non videtur, cum sit sita in loco inaequali, non plano, et habeat multa spatia, quae videri non possunt. Nam mons Syon, per se solus, non parvam civitatem contineret, si esset aedificatus sicut fuit, ut ruinae docent. De hac civitate vide infra descriptionem fol. 255 B.

(B) De quarto ingressu dominorum peregrinorum in dominicum sepulchrum.

Tertia die, quae est inventionis S. Stephani, et erat dominica X post Trinitatis, in sero sabbathi praecedentis, petivimus dominos rectores civitatis sanctae, Sarracenos, ut intromittere nos diguarentur in ecclesiam sancti sepulchri, et annuerunt, ita tamen, quod solveremus tributum consuetum, pro persona quinque ducatos. Petivimus autem eos, ut mitius nobiscum agerent et rigorem illum remitterent, ex quo pauci essemus, quia intenderemus saepius ingredi ante nostrum recessum, et si non vellent remittere aliquid de tributo consueto, tunc nec jam nec in posterum possemus ingredi. Post multas ergo placitationes et brigas improbitate nostra vicimus eos, et ita convenimus, quod, quotiescumque vellemus ingredi ecclesiam dominicae resurrectionis, toties solveremus simul omnes tributum unius hominis, hoc est, quinque ducatos. Et hoc placuit nobis. Congregatis ergo nobis in atrio templi sancti sepulchri venerunt domini Mauri cum clavibus, et reseratis valvis ingressi sumus et noctem illam deduximus in vigiliis circa dominicum sepulchrum, modo scripto fol. 110 A, et consequenter mane facto cantavimus Missam in capella beatae Virginis, de qua habetur folio praedicto, et privatas Missas legimus ad placitum cum quiete. Quibus omnibus

finitis venerunt Sarraceni et apertis ostiis nos ejecerunt. Ascendimus autem omnes simul, in sanctum montem Syon et in loco, in quo S. Stephani corpus inventum locatum fuerat, Missam legi fecimus. De hoc loco vide fol. 100 B. Officiis finitis condiximus nobis, quod post prandium ad aliqua loca intra civitatem sanctam vellemus transire, in quibus nondum fuissemus.

Prandio finito convenimus in monte Syon et assumsimus nobiscum Calinum minorem, Elphahallo, et intravimus civitatem Jerusalem per portam sterquilinii vel stercorum, de qua fit mentio saepe in Scriptura, signanter Nehemiae 3. Dicitur autem porta stercorum ab antiquo et hodie, quia omnia purgamenta et fimus per hanc exportantur, et contra vallem effunduntur, unde ex multitudine purgamentorum factus est cumulus sicut monticulus, (227 A) in tanta altitudine, quod supereminet muro civitatis in illa parte. Ingressi ergo venimus ad forum pecorum et deinde intravimus vicum quendam arctum, in quo residebant multi Christiani Nubiani, et illorum ecclesiam pulsavimus. Reserato autem ostio intravimus et orationem fecimus. Erat autem ecclesia satis magna, sed obscura, sicut omnes orientalium ecclesiae obscurae sunt et tenebrosae. Haec ecclesia stat in eo loco, ubi quondam stetit domus Mariae matris Johannis, qui cognominatur Marcus, ad quam Petrus per angelum de carcere eductus pulsavit. De que habetur dulcis historia Actuum XII. Ab hoc loco consequenter progressi paululum ad aliam domum Christianorum orientalium venimus, et intromissi, ostenderunt nobis in curia domus cisternam, dicentes, quod sancto Thomae Apostolo ibi Christus apparuit. Dum enim vellet aquam haurire et staret in una parte cisternae, stabat Dominus Jesus in alia et praecepit sibi, ut iret in Indiam. Hanc historiam dicunt orientales ibi esse factam; sed legenda Lombardica dicit, hoc esse factum in Caesarea, et alii libri nostri. Deinde ad aliam domum venimus, ubi etiam erat ecclesia, in qua dicunt orientales christiani sanctos Apostolos, Jacobum et Johannem, fuisse natos, quia Zebedaeus pater eorum dicitur cum sua uxore habitasse [ibi], sed depauperati migraverunt inde in Galilaeam et ad mare Galilaeae piscatione se nutrierunt. Ideo dicitur

Joh. 19., quod discipulus ille notus erat pontifici. Juxta hanc domum stabat una muschea sarracenica aperta, et quia nullum Sarracenum vidimus, ingressi sumus in eam, sed nihil pulchrum, nihil devotum, nihil desiderabile ibi vidimus, sed tantum habitaculum vacuum, testudinatum, rotundum, per parietes dealbatum, et lampades de testudine dependentes, et pavimentum mattis coopertum, in quibus genuflexiones et incurvationes suas faciunt in orationibus eorum. Hoc viso regressi sumus. Porro loca jam dicta sunt prope templum Domini, quod Salomonis nominant.

Post hoc transivimus contra templum, et in vico per ostium quoddam introspeximus, et in curia vidimus multos Sarracenos stantes cum situlis, urceis et amphoris ad tollendum aquam, quae ibi copiose cum impetu de canali erumpebat, de quo vehementer miratus fui, cum semper legerim et audiverim, civitatem sanctam carere aquis vivis. Sed postea experimento didici, quod aquae illae longe a civitate sancta emanant et per gurgites et canalia introducuntur in Jerusalem, de quibus suo loco dicam fol. 249 A. B. Ab illo loco ascendimus contra templum ad unum testudinatum vicum, per quem ad portam grandem, quae ducit in templi atrium, transivimus. Porro, (B) in ipso vico erant multae pategae et valvae negotiatorum ab utraque parte, cumque viderent nos contra portam templi properantes, accurrerunt multi ad nos, ut nos ab ingressu templi arcerent. Diximus eis signis, quod non vellemus intrare, sed tantum ante portam adorare Deum, et ita permiserunt nos ad portam accedere, et ibi flexis genibus contra templum Domini oravimus, respicientes in atrium et templum, quod tamen ipsis Sarracenis erat molestum, et clamabant contra nos. Ipsa vero atrii porta erat magna cum gravissimis ferreis vectibus. Dicunt autem, hanc esse portam ferream illam, de qua habetur Actuum XII., per quam eduxit angelus Petrum, et per vicum, quia carcer Petri erat ab intra. Deinde per vicum reversi sumus, et gyrantes ad alium testudinatum vicum venimus, per quem etiam introitus est ad templum, in quo similiter negotiatores sedebant in pategis. Ingressi autem usque ad templi portam accessimus, nec clamores nec murmura Sarracenorum advertimus, nec prohibitionem Calini,

ductoris nostri, audivimus, qui modis, quibus poterat, conabatur nos a templi inspectione abstrahere; nam Sarraceni vexabant eum pro eo, quod nos ita prope ad templum sineret accedere. Hanc portam dicunt esse portam templi speciosam, sub qua Petrus curavit claudum, quando cum Johanne ascendit ad horam orationis nonam, et quando dixit: Argentum et aurum non habeo, ut est Actor. 3.

Ab hoc loco consequenter digressi per vicos domorum in templi circuitu ad aliam partem atrii venimus, et ibi ad murum atrii aedificabatur nova muschea pretiosissima pro oratorio domini Soldani, in qua orationes suas faceret tempore praesentiae suae. Accessimus ergo ad locum et ascendere volebamus ad artifices ad videndum, sed dictum fuit nobis, quod nemo ad artifices ascendere ausus esset, nisi de licentia Thadi, episcopi templi Sarracenorum. Intravimus autem domum Thadi, quae juxta erat, ad rogandum pro licentia. Porro domus illius episcopi erat ampla, alta, testudinata, ornata politis lapidibus, et tapetis decorata, sicut ecclesia, praeterquam quod non habuit altaria, et hodie credo, quod sit muschea sarracenica, in quam tamen omnes intromittuntur, propter episcopum, qui sua habitacula habet ei annexa, et suam familiam. Vidi enim per foramen testudinis mulieres respicientes ad nos, et pueros. Egressus est ergo episcopus ad nos, vir maturus, senex, barbatus et seriosus, et cum intellexisset voluntatem nostram, statim annuit, et introduci nos fecit in muscheam, adjungens nobis unum de suis familiaribus. Ascendimus autem in muscheam et multos ibi artifices et laborantes invenimus, subtilissimas tabulaturas de vario et polito marmore facientes, et tam pavimentum, quam parietes (228 A) ornantes picturis. Insuper pretiosis et auratis coloribus superiora fulgentia erant, et fenestrae vitreae valde pulchre illustrabant habitaculum. Porro in illo pariete qui consurgit ab atrio templi, erant magnae et altae fenestrae, nondum vitro perfectae, sed patentes, per quas respeximus in atrium templi et ad ipsum templum, et vidimus stupendam pretiositatem ibi, sicut patebit in descriptione templi illius, fol. 260 et ante. His visis dedimus artificibus bibales et exivimus. Non credo, quod post nos aliquis Christianus in muscheam illam venturus sit,

ia statim eam suis execrationibus detestabili Machometo
ısecrabunt: hoc facto nullum Christianum intromittent. Sic
go regressi sumus ad loca nostra.

Quarto die prandio sumto descendimus simul montem
on, quasi occulte ducente nos Judaeo, qui dixit, quod quae-
m occulta nobis vellet ostendere. In descensu autem veni-
ıs ad latus australe ecclesiae illius, quae stat juxta templum
›mini, et ibi tempore Christianorum fuit ascensus per gradus
›ideos ad altam portam, per quam erat ingressus in illam
clesiam. Ad hanc portam per ruinas murorum ascendimus
murum portae deosculati sumus propter indulgentias ple-
rias, quae ibi habentur (††). Dicitur enim, quod XV gra-
s ad illam portam fuerint, per quos Virgo Maria [et] puer
ennis sine duce miraculose ascenderat in templum. Ad hos
adus confecit David rex XV psalmos, qui dicuntur psalmi
aduum. Hunc locum visitavimus cum timore et silentio,
ia in periculo fuissemus, si Sarraceni nos ibi conspexissent,
eo etiam tempus quietis eorum elegimus. Ab illo loco con-
quenter descendimus et ad vetustissimum murum venimus,
rtem nimis, de ingentibus saxis quadratis factum, et murus
e est competenter altus, quamvis multo altior fuerit, sicut
ruinis deprehendi potest, est enim locus plenus quadratis
›idibus dispersis per gyrum. Dicitur enim, quod super mu-
m illum steterit domus saltus Libani, quae erat domus
gia, quam aedificavit Salomon, cujus descriptio habetur
Reg. VII., ubi dicit: Gloria in etc. Quae ideo domus saltus
bani nominabatur, quia erat de lignis supernis aedificata;
ae erant excisa de saltu Libani. Magister in Spec. Histor.
:it quod haec domus erat de duplici materia, pars inferior
ıt. lapidea, et dicebatur Nethota, i. e. pigmentaria, in qua
ponebantur aromata et pigmenta ad usus templi, et domus
gia, ut ex beneficio terrae et muri diu vigerent quasi re-
ntia. Pars superior erat lignea, de lignis Libani, unde est
:ta domus saltus vel domus Libani vel domus saltus Libani.
iidam tamen putant, eam ex hoc sic esse vocatam, quia
cumquaque consita erat arboribus et viridariis mirae (B)
:reationis, juxta densitatem saltus Libani, et in parte illa
periori reponebantur arma, ut beneficio ligni rubiginem non

sentirent, non solum autem arma ad pugnandum, sed ad decorem et ostentationem regii fastus.

Quamvis autem distinctio fiat 3. Reg. VII. inter domum regis et domum saltus Libani, quidam tamen expositores dicunt, fuisse unam, sicut et ego credo. Quod autem hic fuerit domus illa regia, satis videtur Scripturae sacrae consonum, quae frequenter dicit, reges Jerusalem de domo regis adscendisse in templum. Patet Jeremiae . . ., quod non potest intelligi de domo et palatio regis montis Syon, in qua habitavit David et Salomon ante templi aedificationem, cum mons Syon altior sit templo, a quo fit descensus in templi locum, quamvis et de templi atrio semper fuerit ascensus per gradus in ipsum templum. Sed de illa domo, de qua nunc loquimur, est ascensus aliquantus in templum. Stetimus ergo et murum ingentem mirabamur et colloquebamur de his.

Porro in summitate rupti muri est quidam magnus quadratus lapis, semotus a loco sui ordinis, ita quod singulariter eminet in cornu muri. Hunc lapidem, quia jam supremus est et singulariter videtur, fabulantur illum esse lapidem, de quo habetur psalmo 117. et Matthaei 21.: Lapis, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. Nam dicit Nicol. de Lyra, quod in aedificatione templi quidam lapis pluries oblatus fuit manibus aedificantium, et nullibi poterat convenienter poni, ideo reprobatus fuit. Sed dum murus deberet muro conjungi per lapidem angularem et capitalem, non est inventus lapis aptior, quam ille reprobatus. Dicitur similiter de ligno, de trabe ligni sanctae crucis, qui etiam fuit in aedificatione illius domus abjectus, ut patuit fol. 178.

Videtur tamen mihi, quod lapis ille, quamvis fuerit angularis, non tamen caput anguli, cum murus multo altior monstretur fuisse.

Perspecto muro ab extrinseco ducente nos Judaeo contra ipsum murum adscendimus per ruinas usque ad murum, et ibi unus de magnis quadris maxima vi avulsus est ex muro, ita, quod foramen est per parietem ad intra in Nethotam. Curvavimus ergo nos, et unus post alium ingressi sumus, et primo nihil penitus videre poteramus, quia oculorum natura est, ut post solem umbras intrantibus coeca omnia videantur.

Sed cum paululum stetissemus, visum paulatim recepimus et grandia aedificia arcuato opere facta vidimus. Nam ibi erant VIII ordines columnarum, testudines sustentantes et superiora aedificia, quae olim erant superaedificata, jam vero superius est viridarium olivarum ad latus templi. Dicunt autem Judaei et Sarraceni, quod illa subterranea habitacula fuerint equorum Salomonis stabula; sed melius est dicere, quod ibi fuerint Nethota, hoc est pigmentaria et apotheca aromatum, ut supra patuit (229 A). Huc enim reposuit aromata illa pretiosissima, quae regina Sabâ attulit, ut habetur 3. Reg. X. Nec credendum est, quod rex Salomon bestias locaverit in nobilissima domo, de qua mirabatur Sibylla Saba, praesertim cum esset prope templum, in cujus irreverentiam cessisset equorum stabulatio, sed alibi pro curribus et equis et equitibus habitacula construi fecit, ut habetur 3. Reg. IX.

Porro sub testudinibus illis erant multi cumuli lapidum erecti in altum, de quibus Judaeus ille, qui nos in locum duxerat, dixit nobis, quod ipsi Judaei erigunt istos cumulos ad praeoccupandum locum: sperant enim, se terram sanctam citius rehabituros, et ideo peregrini eorum, qui de longinquis terris veniunt, loca praeripiunt, in quibus post eorum reditum habitare se sperant. Superius in uno loco testudinis est grande foramen et ruptura, per quam Sarraceni purgamenta templi et atrii injiciunt. Cum magno timore ibi fuimus, quia si Sarraceni nos ibi invenissent, male profecto nos tractassent. Si timorem non habuissemus, per immunditias potuissemus in templi atrium adscendisse. Igitur visis his, quae dicta sunt, exivimus per foramen, per quod intravimus, et montem Moria, qui est mons templi, gyravimus, et sursum usque ad angulum, in quo murus orientalis cum australi nectitur, per clivum adscendimus ad murum civitatis sanctae. In illo muro vidimus majores et longiores lapides, quam unquam viderim in aliquo civitatis muro. Non tamen erant adeo egregia saxa, sicut Josephus memorat habuisse murum Jerusalem, quae XX cubitorum longa et X lata erant, lib. VI. c. 8. Respicit autem murus ille vallem Josaphat et torrentem Cedron, e regione montis Oliveti. Porro in illo muro a terra sursum in

altitudinem VI cubitorum est immuratus lapis, quasi pars fuisset columnae marmoreae, quae partim muro est inserta et partim a muro exit, extenta extra, ita, quod homo superius existens posset super lapidem stare, et dorsum ad murum habere, vel sedere desuper, sic ut homo sedet in equo cum dependentibus cruribus. De hoc lapide fabulantur Sarraceni, quod in die judicii, cunctis existentibus in valle Josaphat, veniet Machometus, et sessum accipiet super lapidem illum ad judicandum mundum. Et hunc lapidem honorant tamquam tribunal Machometi. Non sunt autem multi anni elapsi, quod quidam propheta pseudo Sarracenorum venit in Jerusalem, quem omnes tanquam sanctum Dei honorabant; hic quodam die convocavit populum de civitate ad locum illum, dicens: quod vellet eis gestus et verba dicere et modum mundi dijudicandi monstrare, quem Machometus in extremo judicio cum Sarracenis esset habiturus. Dum autem cuncti in clivo starent, ut viderent et audirent judicii formam, ascendit diabolicus ille sanctus per scalam super lapidem, seditque dorsum habens ad murum, et vultum ad populum infra stantem, et prophetare coepit. In loquendo autem, dum magis se movere inciperet, et lubricitatem politi lapidis non attenderet, ecce, subito inclinatus ad latus deorsum corruit et confractis cervicibus et toto corpore dissoluto exspiravit, et populus fatuus confusus in civitatem et loca sua rediit, et ita contra suam (H) intentionem propheta ille falsus vera non verbis sed factis ostendit. In hoc enim conveniunt Sarraceni nobiscum, quod credunt futurum judicium in novissimo die, sed de loco judicii omnes discordes sunt. Nam Sarraceni in Jerusalem, in Judaea et Palaestina degentes nobiscum dicunt, quod omnes gentes congregabuntur in valle Josaphat, et ponunt tres judices, Deum, Jesum et Machometum. Deus sedebit in culmine templi Domini; Jesus in summitate montis Oliveti; Machometus, consiliarius utriusque, sedebit supra lapidem praedictum. Sarraceni autem in Syria, Mesopotamia et Cappadocia dicunt, quod judicium erit in Damasco in culminibus turrium. Sarraceni Arabes dicunt, quod erit in Mecha, ubi sepulchrum est Machometi. Sarraceni de Egypto et Lybia dicunt, quod in Chayro erit. Alii dicunt in Constantinopoli. Ita unusquisque

onfingit hoc, quod sibi placet, et innumeros fatuitates omponunt.

Stetimus ergo sub lapide praedicto et tam Machometi nsanias quam prophetae sui casum satis derisimus, et ita a nuro descendimus et in civitatem Judaeorum venimus, quae est in clivo super vallem Josaphat, in quo Judaeum, qui nos ducebat, derisimus, dicentes sibi, quod prudenter Judaei suam civitatem in loco judicii locaverint, ut sine fatiga veniendi resurgant, in perpetuum damnandi. De illo coemeterico ad communem viam descendimus, per quam ad montem Syon adscendimus ad loca nostra. Ingressi autem hospitium dominorum peregrinorum invitaverunt domini milites me et duos patres minores, et duos Judaeos et unum Sarracenum et unum Mamaluccum ad coenam, et habuimus simul laetam coenam, quamvis diversi essemus fide et moribus. Propter hujusmodi autem communicationes cum infidelibus necesse est habere licentiam domini Papae, dum quis vult Jerosolymam peregrinari.

Quinta die, quae est gloriosa patris nostri S. Dominici, patriarchae fratrum Praedicatorum, Officio et prandio finito venit Sabathytanco, Calinus major, et exegit a quolibet peregrino quinque ducatos in defalcationem conscripti pretii, dicens, se non habere in promtu tantum, ut dispositionem facere inciperet pro nostra per desertum ductione. Ne ergo in posterum diceret, nos fuisse causam tantae tardationis, tradidimus sibi pecuniam, quilibet V ducatos. Qui accepto auro factus fuit hilarior et promisit nobis, quod omnia, quae ab eo peteremus, adimplere vellet, si posset. Petimus ergo eum, ut nos introduci faceret in locum nativitatis beatissimae Mariae Virginis, in quo nondum fueramus. Qui respondit: rem difficilem, o domini peregrini, postulastis, quia non potestis in habitaculum nativitatis Mariae Virginis ingredi, nisi per muscheam unam Sarracenis devotam, in quam vos intrare fas non est, nec ullo pacto videntibus Sarracenis vos introducere ausus sim, ideo oportet exspectare tempus vespertinum, et tunc mittam vobis Abre, filium meum, et per vicos occultos vos ducet ad locum, et disponam, ut intromittamini. Ego vero cum dominis consulibus ero, occasionem retinendi vos simul quaerens, ne vos notent illum quem petitis

visitare locum. Sic ergo (230 A) vir a nobis recessit. Vespere facto exspectavimus quasi usque ad solis occasum, aestimantes, quod vir nobis illusisset. Sed ecce, filius ejus Abre, forte XIX annorum, venit cum uno famulo ad nos in montem Syon et duxit nos per vicos occultos Jerusalem usque ad portam Ephraim, quae est porta S. Stephani, et ad ecclesiam, quae iam est Mameria, venimus. Qua reserata muscheam ingressi sumus et de ecclesia in ambitum transivimus. Ad latus autem ecclesiae est una fenestra super terram, sicut fenestrae habitaculorum, in quibus operantur textores, vel sicut sunt fenestrae cellariorum, per quas lumen et aer ingreditur. Et per illam fenestram est ingressus ad locum nativitatis beatae Virginis, quia ostium cryptae, quod erat in ecclesia, obstruxerunt infideles, quia de loco illo nulla est eis cura. Unus ergo peregrinus pedibus primo intromissis in fenestram deorsum in cryptam se dimisit, qui inferius stetit, et singulis pro scala fuit; habuit enim manus erectas ad parietem, et descendere volens primo pedes posuit super suas manus, et inde alium pedem super caput, vel humeros ejus, et de humeris resiliebant in terram, et ita omnes super illum peregrinum, qui erat miles insignis genere, descendimus in locum, et accensis candelis, quia tenebrosum erat, circuire incepimus. Venimus autem in unum specum, in quo dicunt primo fuisse sepultos Joachim et Annam, parentes beatae Virginis Mariae. Deinde progressi in aliam subterraneam capellam venimus latiorem, quae quondam erat pulchre depicta, et ibi creditur esse beatissima Virgo Maria nata. Incepimus autem ibi jocundis vocibus cantare carmina de nativitate beatae Virginis, signata in processionali terrae sanctae, et indulgentias (††) plenariae remissionis accepimus, et terram juxta morem peregrinorum deosculati sumus. Sub choro ecclesiae est locus ille sanctus, ubi fuit triclinium, in quo genuit Anna beatam Virginem Mariam, sicut locus nativitatis Christi est sub choro ecclesiae bethlehemitanae, in confutationem mendacissimi Alchorani, qui ponit, ipsam Virginem Mariam natam in Aegypto, et esse filiam Mirjam, sororis Aaron, ut patet supra fol. 140 B. Viso ergo loco, iterum unus peregrinus per alios adjutus per fenestram sursum in ambitum ascendit,

protensa manu deorsum omnes nos ad se successive
it. Circuivimus ergo ambitum, et cellas superius et in-
s vidimus de pulchris aedificiis, fuerat enim in tempore
ıtianorum monasterium monialium ordinis S. Benedicti.
ssi autem ecclesiam, quae nunc est muschea, eam dili-
us perspeximus, et notavimus, eam ecclesiam ornatam et
ıram fuisse, parietes enim depicti fuerant, sed Sarraceni
ras calce deleverunt et dealbaverunt, in pluribus tamen
calx decidit, et iterum Christianorum picturae videntur.
› historia conceptionis et nativitatis beatae Virginis Mariae
ibi depicta, quomodo Joachim propter sterilitatem de
lo fuit repulsus, et quomodo cum suis pastoribus in de-
deguit, et quomodo ibi sibi angelus apparuit, et quo-
› sub porta aurea in amplexus suae uxoris ruit, et quo-
› Anna Mariam genuit. De illa pictura legi in quodam
rinali, quod Sarraceni eam de Machometo suo exponant.
› fuit quaedam vetula, habitans juxta illam ecclesiam
cenicam, quae magnis (B) fletibus solebat hominibus
nere picturam de Machometi vita, et de ejus paradiso, et
liter omnia interpretabatur. Haec omnia cum vidissemus,
cclesia exivimus dolentes, quod tam pulchra ecclesia et
egregium monasterium in tam sanctissimo loco est in
ıcenorum usu.

Porro ante ecclesiam stat una arbor magna et antiquis-
, quam dicunt fuisse plantatam a beatissima Virgine
a, dum adhuc esset infantula, sub cura parentum, qui
n hoc loco creduntur habitasse; licet enim Joachim et Anna
is annis deguerint in Nazareth, tamen quando beatissima Virgo
a concipienda et parienda fuit, migraverunt ex instinctu
tus S. a Galilaea in Judaeam in Jerusalem, ut ibi
suos clauderent in Dei servitio, juxta templum Domini,
rantes, ad quantum mysterium Deus eos sine fructu ser-
. Venientes autem a Nazareth in Jerusalem emerunt
m prope templum super piscinam probaticam, in qua
pta est et nata beata Virgo Maria, testante Damasceno,
ic dicit: parturitur autem Virgo Maria in probatica Joa-
domo, nam piscina probatica juxta est. Successu autem
oris aedificaverunt Christiani ad locum illius sanctae

domus ecclesiam, cum annexo monasterio monialium ordinis S. Benedicti, et erant ditissimae dominae etiamnunc ultimo, quando capta fuit civitas a Sarracenis, anno Domini 1187. In ipsa autem captione civitatis contigit in hoc monasterio factum perenni memoria dignum, quamvis quidam referant alibi factum fuisse in quodam monasterio S. Clarae. Cum enim jam esset civitas capienda per Sarracenos, et cuncti se ad evasionem et vitae suae liberationem disponerent, jussit Abbatissa pulsare capitulum, omnibusque dominabus congregatis dixit: ecce, filiae meae, jam tradenda est civitas et nos et omnia nostra in manus gentilium Sarracenorum. Homines autem isti, sicut frequenter audivimus, bestiales sunt, et foeminas christianas repertas sine verecundia foedant et polluunt, singulariter tamen in virgines Deo dicatas inardescunt et furiunt. Nunc ergo si placet integritas, munditia, et castitas, hoc, quod me videritis facere, facite, et inviolatae de manibus istorum vitiosorum evadetis. Et hoc dicto omnibus sororibus eam intuentibus et mirantibus, quid factura esset, mox cultrum, quem sub veste texerat, eduxit, et eo statim pectore et vultu intrepido proprium sibi nasum detruncavit propriis manibus, quod facere etiam egregiorum virorum corda nutant, et persaepe trepidant animosa pectora. Cujus exemplo caeterae motae ad simile processere certamen. Et si quae adolescentiores, delicatae et teneres, cruore viso timore concutiebantur, nec sibi ipsis injicere manus poterant, prosternebant se ad fortiorum pedes, exhibentes eis cultros et nasos extendentes, fletibus magnis rogabant privari naso, quo vultus speciem retinet, et inimicos pudicitiae irritat, ne inquinamenta carnis et spiritus contrahere possent. Omnibus ergo abscissis nasis, confusis faciebus, et (231 A) conspersis cruore stantibus, et lacrimosis vocibus Deum invocantibus, ecce inimici crucis monasterii ostia infringunt, et claustra rumpunt, et avidissime in monasterium irruunt, cum clamore et armorum strepitu, ut effoeminatae libidini, insatiabili cupiditati et crudelitati bestiali operam darent. Et ingressi ecclesiam invenerunt athletas Christi in suo ordine stantes in Dei servitio. Quas ut viderunt sanguine aspersas et mutilatas, conterriti stabant, ac si exercitum

ferocium armatorum invenissent, nec fuit, qui aliquam tangere ausus esset, sed eas intactas de monasterio et civitate repulerunt, quae cum aliis Christianis expulsis in partes fidelium navigaverunt, reportantes praeclarum et perenne testimonium suae castissimae et illibatae fidei. Sic, sic decus servatur foemineum, virginitatis thesaurus custoditur, pudicitiae cordis testimonium redditur, et profecto monstratur, quomodo non satis sit ad cordis sinceritatem testandam lacrymis et querelis se violentiam passuram dicere, nisi quis in vindictam egregio procedat opere. Hoc Lucretiam urbicam pudicitiae ducem fecisse veterum commendant historiae, quae se ipsam jugulavit in testimonium pudicitiae. Sic et Hyppo, mulier graeca a piratis capta, eo quod spectabili pulchritudine polleret, quae inter consilia praedonum suae pudicitiae contraria cum cerneret, se non posse decus castitatis servare, nisi per mortem, non exspectata violentia in undas se praecipitem dedit, ut sublata vita pudicitia servaretur. Sic conjux Trigigantis, quae in ergastulo posita et catena ligata militem volentem se violare interemit. Sed et Penelope, Ulyssis uxor, arte industria precantes nobiles suspendit, sicque fidem marito servare studuit. Sic Cimbrorum foeminae se suosque infantulos laqueis curruum [suspendentes] vitam sibi extorsere amore pudicitiae. Et Amazones spreto decore, et superata mollitie foeminei corporis, arma inducere, et auream caesariem tegere galea, et latus muniere pharetra, et militari ritu currus et equos adscendere, et pro defensione castitatis regibus et tyrannis gravissima bella intulere. Insuper castitatis lilium, Susanna, filia Helechiae, uxor Joachim, ad supplicium mortis properavit potius, quam pudicitiae frenum solveret. Sic S. Brigitta, pulcherrima, Deum pro deformitate vultus deprecata est, ut pudicitiam facilius conservaret. Sic et aliae quam plures Christi virgines superata fragilitate sexus duros cruciatus corporis pertulerunt pro castitatis decore. Harum autem omnium exemplo monachae nostrae et nunnae, de quibus iam est sermo, informatae pariter et confortatae, nova arte edoctae a Spiritu Sancto, pudicitiae hostes delusere, ita, quod nec se nec alios interemerunt, innocentiam tamen nihilo minus conservarent, et imitandum exemplum post se relinquerent omnibus

religiosis. Si placet pulchra de praeclaris gentilium mulieribus legere, vid. Hieronym. in epistola ad Geruntiam, quae habetur Vol. II. lib. 3. Tract. 7. fol. 194. Sexta die, quae est transfigurationis Domini, in aurora convenimus in monte Syon, media autem pars fratrum montis Syon ascenderunt nobiscum in montem Oliveti et ecclesiam ascensionis Domini, cum calicibus et paramentis, et ibi solenniter Missam cantavimus de transfiguratione Domini, ac si fuissemus (in) Thabor. Aderant autem Officio nostro multi Christiani orientales, (EE) quia diem transfigurationis Domini inter maximas solennitates venerantur. Unde quasi omnes ecclesias suas consecrant in honorem S. Sophiae, i. e. transfiguratienis Domini. Et sicut nos depingi facimus in ecclesiis nostris Crucifixum, et extremum judicium, sic in ecclesiis orientalium principalis pictura est transfiguratie Domini cum Moyse et Helia, et tribus apostolis in terra jacentibus. Finitis Missis circuivimus ipsam ecclesiam, et supra ipsam quanto poteramus ascendimus ad circumspiciendum; de ea enim est respectus in mare mortuum et longe lateque per terram sanctam. Porro in ipsa ecclesia stant columnae marmoreae politae, inter quas est una, quam orientales Christiani brachiis circumplexabantur cum risu, et omnes tentabant, si digitis unius manus contingere possent digitos manus alterius. Nisi enim homo habeat longiores digitos, non potest manum manu amplexando tangere, putant autem illi superstitiosi orientales, quod ille, qui id facere potest, sit magis fortunatus, et quod sit signum cujusdam magni boni. Diu steti in loco et eorum phantasias consideravi. Post eos etiam nos occidentales jocando lusimus, mensurantes columnam, et directe potui extremitates longiorum duorum digitorum conjungere, cum forti tamen complexu et pressura. De illa ecclesia vide fol. 148 A.

Post haec gyravimus montem sanctum et loca ejus sancta visitavimus, et ingressi urbem per portam S. Stephani ad domum Pilati deosculandam accessimus. Dum autem intellexissemus, patronum domus non esse in civitate, pulsavimus, et intromissi per ejus filias locum martyrii Christi visitavimus. Si enim praesens homo fuisset, nequaquam nos intromisisset, et ad hoc nec prece nec pretio induci poterat. Filiae tamen

ejus jucundae duae nobis apparuerunt, et ad locum, in quo Dominus flagellatus creditur, nos duxerunt. Est enim capella rotunda, testudinata, ad ejus latus est ascensus in domum superiorem, immunde autem et sine honore tenent locum istum sacrum, et est quasi sentina domus, in quam omnia purgamenta injiciuntur. Hoc tamen non obstante descendimus in immunditias, et orationes nostras fudimus, et indulgentias plenariae (††) absolutionis accepimus. An autem Dominus in eodem loco fuerit coronatus, in quo fuit flagellatus, videtur ex Evang. Matthaei et Marci, quod fuerit publice flagellatus extra, et intus in atrio coronatus. Sed Johannis XIX. ponuntur simul flagellatio et coronatio; sic et idem locus ostenditur flagellationis et coronationis. Verum tamen est, quod loca ista propter aedificiorum destructiones et reparationes difficulter possunt reperiri. De illa domo vide fol. 138 A. Ego bina vice intromissus fui. Reputatur magnum, quando peregrinus in loco praedicto fuit, inter mille enim non potest unus ingredi. In exitu nostro dedimus puellis aliquos madinos, quos cum magna gratitudine acceperunt, et per interpretem dicebant nobis, quod quotiescumque pater eorum abesset (232 A), libenter nos intromittere vellent. Saevus est enim pater ille ad filias, sicut ad alios homines christianos, quos etiam videre non potest, et ideo ex quo Christiani participant de crudelitate illius viri cum filiabus ejus, afficiuntur nobis et in contemtum patris introducunt Christianos. Erant enim duae speciosae filiae grandiusculae, et in introitu nostro velamen facierum deposuerunt, et jocundis vultibus nobis conversabantur, quod cum Sarracenis ausae non fuissent.

Pulchra peregrinatio F. F. F. per loca subjecta.

Septima die ante solis ortum dictis matutinis cum aurora illucesceret, steti in ambitu superiori claustri fratrum montis Syon, et conjeci oculos profunde deorsum usque in vallem Gehinnon; pulsabat autem me desiderium, ut eodem mane descenderem tam profunde in vallem ipsam, quousque montem Syon videre amplius non possem, ut et fontem Rogel quaererem, et lapidem Zoelech, de quibus habetur 3 Reg. 1.,

et ut viderem locum Toph et Tophet, de quibus fit mentio Jerem. 7. et per totum caput Jer. XIX. Hic locus est vallis filiorum Ennon, quae dicitur vallis Ennon, vel vallis Jehennes, et Gehenna, Jos. 18 et 4. Esd. 1., et inde descenderem profundius in vallem, ut considerarem, an torrens Cedron in profundioribus locis aquas fluentes haberet, ut multi opinati sunt, sicut patebit, et post hoc in montem offensionis ascenderem, cujus radices usque in Gehennam extenduntur. De hoc monte habetur 3 Reg. II. Haec etiam videre et experiri desideravi. Itaque a loco, in quo stabam, me movi, ut irem ad patrem Gardianum, ut peterem eum pro socio fratrem, cum quo praedicta visitarem, sed non ausus fui venerabilem virum illum excitare, qui adhuc in quiete sua erat. Assumsi ergo animum, et solus iter hoc grande aggressus sum, adhuc enim mane erat, et Sarracenos scivi ante solis adscensum non se levare de cubilibus suis. Descendi ergo de monte Syon et perveni in hortum regis, qui pertinebat antiquitus ad regis curiam, per quem rex Zedechias fugit cum omni exercitu, ut habetur 4 Reg. 25 a facie Assyriorum. In ipso autem horto reperi optimas ficus maturas, de quibus jejunus manducavi usque ad saturitatem. De horto demum regis descendi ad natatoria Siloae, et voraginem originis fontis Siloae, et intravi et bibi de aqua sancta, et oculos et faciem lavi. Numquam vidi prius aquas illas in tanta abundantia fluere, sicut illa hora, non enim jugiter fundit aquas nec semper aequaliter fons ille, ut supra patuit fol. 160 B. Refrigerio sumto et indulgentiis (††) plenariae remissionis juxta fontem sacrum consequenter de latice fontis exivi et descendi usque in vallis fundum, in torrentem Cedron, nec vidi hominem aliquem. Sol autem jam ortus fuerat, qui cacumen montis Syon et civitatem sanctam et aliorum montium culmina illustrabat, sed juxta me erant (B) adhuc quodammodo tenebrae, et roris antelucani destillatio. Descendi ergo usque in vallem Gehennae et cum festinantia progressus in asperrimo torrente, usque quo recurvabatur vallis, ita, quod nec montem Syon nec montem templi amplius videre poteram. Et his subtractis substiti, et torrentem consideravi, tantamque ariditatem ejus ibi vidi, sicut superius infra Jerusalem, nec quovis modo videre poteram,

quomodo ibi subterraneum cursum haberet in profundissima valle et rupibus repleta. Ad hanc considerationem me moverunt quaedam terrae sanctae descriptiones, in quibus legeram, quod torrens Cedron esset fluvius perpetui cursus, sed propter frequentes destructiones civitatis sanctae, cujus muri et ruinae fuerunt in vallem dejectae, alveus fluminis repletus fuit. Sed quia vero proverbio dicitur, nemo potest se opponere torrenti, dicunt, quod ipse fluvius, quem torrentem nominant, sub ipsis ruinis adhuc suum naturalem et perpetuum cursum habeat, ut superius patuit fol. 142. A. et multis fol. 170. Sed hoc habere veritatem videre jam non poteram, cum longe infra ruinas Jerusalem fuerim, nec guttam aquae fluere viderim. Sed et alia vice descendi usque ad mare mortuum per eandem vallem, ut patet fol. 236 per totum, sed aquas decurrentes nullas vidi. Possibile tamen est, olim ibi fluvium fuisse et jam non esse, sed ei contigisse sicut Numicio, fluvio Laurentis agri, qui Maronis carmine et aliorum latinorum poetarum celebris factus est, in quo dicunt Aeneam Trojanum cecidisse, et ex eo solo veteres consuevere in sacris Deae Vestae libare. Sane, hic fluvius hodie non est, paulatim enim decrescens primum in fontem redactus est, demum et fons ipse exaruit. Ut habet Boccacius in Tract. de Flum. Verum ex vetustissimis scripturis sacris colligi non potest, quod per torrentem illum fluvii decursus continuus fuerit, sed solum tempore hiemali de pluvia et nive resoluta fit ibi ad horam decursus aquarum. Et tantum de illo.

Consequenter reverti me ad Jerusalem, a qua semper peculiaris [?] fuit mihi clangor, at per torrentem ascendi festinus usque ad locum, in quo videre poteram civitatem sanctam, cujus jocundissimo aspectu novo quodam gaudio et securitate animatus fui. Timueram enim in inferioribus existens, nam horribilis est vallis Gehennae, potissime inferius, ubi caret illustratione desuper ab alto rutilantis civitatis sanctae. In ipso autem ascensu Gehennae perveni in locum, ubi vallis Siloae jungitur valli Siloae (Syon) et ibi dicitur fuisse fons Rogel, ubi hodie stat cisterna magna et profunda, sed non fons. Et juxta fontem erant olim viridaria et erat locus solatii, in quo juvenes tentabant et probabant fortitudinem, ad

quem ibi fuit positus lapis Zoelech, i. e. tractus, quia qui lapidem illum trahere poterat, fortis erat. Ibi ergo nec fontem nec lapidem vidi, sed cisternam et rupes multas. Ibi Adonias convivium habuit et tractatum de regni invasione. Ibi luci et idolorum cultus erant, et multa mala in valle illa Ennon vel Gehennae (233 A) sunt perpetrata. Vallis ista et locus dicitur Gehennon, ab Ennon, quondam possessore sua. Ennon autem idem est quod cursus mortis, vel fons tristitiae, et significat, quod in extremo judicio per illam vallem reprobi in locum mortis deducentur, ut habetur fol. 170 B. Omnia enim illius vallis nomina horrorem important. Dicitur enim 1) Ennon, i. e. cursus mortis. 2) Gehenna, vallis tristitiae. 3) Hennon, vallis interfectionis. 4) Jehenna, profunditas mortis. 5) Toph, poena stultorum. 6) Tophet, ampla poena moeroris. 7) Cedron, inutilis dolor. 8) Chela, incendium Domini. 9) Chinarus, judicium ignis devorantis. Praeter haec nominatur vallis ista Jerem. c. 19. vallis occisionis; et Jerem. c. 7. dicitur vallis interfectionis. Quam destestabilis autem haec vallis sit et maledicta, vide supra Jeremiae in praefatis capitibus et cap. 32. Et quae supra fol. 170 A. B. Frequenter autem fit mentio in Scriptura de excelsis Toph, in valle Ennon, quod ita intelligendum est, quia in valle illa profunda excelsa stabant altaria idolorum. Hanc vallem cum monte zelosissimus rex Josias contaminavit, quasi excommunicationem in ea ponens, quam tulit super ingredientes, et omnes sacerdotes vallis trucidavit in ea, ut habetur 4 Reg. 23. Sicut enim vallis Josaphat erat sancta et benedicta cum monte suo Oliveti: sic vallis Ennon erat profana et maledicta cum monte suo offensionis. Ideo ab illa valle transsumtum est nomen hoc, Gehenna, ad significandum vallem infernalem perpetuae damnationis.

De monte offensionis Domini, et Moloch idolo.

Igitur cum vallem praefatam aspexissem, converti me ad latus ejus orientale, ad radices montis offensionis, et per clivum ejus in montem subii, quae humilior est, quam mons Oliveti, in cujus accubitu est situatus ad latus ejus australe.

vertice autem illius montis inveni domum magnam, vacuam
nen, de quo optime contentus fui, non enim fuissem hospes
itus habitantibus in ea Sarracenis. In hoc monte erexit
lomo duo profana aedificia, scilicet templum idolo Moloch,
domum suis concubinis, ex quibus valde offendit Deum.
o mons offensionis dicitur, ut habetur 3. Reg. II.

Porro Moloch idolum crudelissimo cultu colebatur, ideo
gulariter Levit. 20. prohibitum strictissime fuit, sacrificare
Quo tamen non obstante Salomon, inductus per mulieres,
illo monte templum erexit Moloch, et populum ad ejus
tum induxit, et sacerdotibus idoli stipendia contulit. Tali
em hoc idolum colebatur ritu, ut necarentur infantes. Erat
m Moloch imago hominis magna, de aere fusa, et ab intus
rata per universa membra, stabatque in medio templi supra
umnam, extensis manibus et brachiis, quasi desiderans et
pectans munus accipere ad brachia, in modum piae matris,
ie extendit brachia ad suscipiendum suum infantem; sic
m erant formata brachia idoli, ut puer (B) in eis accubare
set, tamquam in maternis brachiis. Tempore autem sacri-
orum, quando erat ibi puer immolandus, ponebant sacer-
es ardentes carbones in corpus idoli, ipsumque candens
ignitum faciebant, et puerum innocentem unum et sanum
manibus parentum, qui eum immolandum attulerant, acci-
bant, et brachiis idoli imponebant. Et ne parentes et amici
cumstantes ex ejulatu pueri nimium turbarentur, astabant
erdotes, cum sonorosis tympanis, cymbalis et tubis fortiter
icrepabant, ne parentes vocem pueri morientis audire pos-
it, et tam diu sic sonabant, quousque puer sic in brachiis
li adustus exspiraret. Quo sic consumto sacerdotes, et
nes qui sacrificio aderant, jocundis vultibus parentibus
igratulabantur, pro eo, quod digni habiti fuissent habere
erum in consortium deorum assumtum. Ex eo autem die
nes idololatrae totam illam genealogiam tamquam nobilita-
n honorabant et credebant, quod omnes amici pueri immo-
i meliora fata et fortunas essent deinceps habituri. Similis
is apud gentiles observabatur in sacris Saturni, et forte,
od Graeci Saturnum nominant, hoc Hebraei Moloch vocant.
it enim statua Saturni aenea, magnitudine mirabili, cujus

manus in terram extensae ita erant in gyrum ut, qui ad idolum pervenire adolescentes cogebantur, ingentem foveam igne repletam incidereut. Hinc et Hebraeorum Scriptura reprehendit eos, qui haec imitati fuerint. Haec Casa de Ev. Spir. Lib. 4. c. 7. Multa enim idola, imo daemones in idolis, non placabantur nisi mortibus innocentum. Et mos fuit propter plures causas pueros immolare. De quo vide Casa de Ev. Spir. L. IV. c. 7. et 8. Cessavit autem hominum immolatio tempore Eliae Hadriani Imperatoris. Huic crudelissimo ritui in hoc monte et in valle profani operam dabant, et Deum haud dubio plurimum offendebant. Ideo mons offensionis dicitur. De hoc idolo Moloch mentio fit Jerem. 32. et Amos V. et Actor. VII.

Insuper in hoc monte instituisse dicitur Salomon domum suarum concubinarum, quarum erat non modicus numerus. Unde Cantic. 6. dicitur: Sexaginta erant reginae, et LXXI concubinae, et adolescentulae sine numero. Et 3. Reg. II. dicitur: Salomo adamavit mulieres alienigenas multas, quibus copulatus est ardentissimo amore, fueruntque ei uxores septingentae, et concubinae trecentae, et adolescentularum non est numerus. Si ergo textus illi conferantur et intelligantur de Salomone litteraliter, sine spirituali intellectu, necesse erat eum habere multas domus pro tot mulieribus. Reginis ergo construxit castella et palatia, concubinis autem hanc aedificavit domum, adolescentulis autem aptavit loca in domibus parentum eorum. Filia autem Pharaonis, de qua cecinisse creditur canticum canticorum, cui dixit: Una est columba mea, formosa et electa mea, secum in monte Syon mansit. Sed quia eadem domus sanctificata erat propter inhabitationem arcae Domini, aedificavit ei domum juxta suam domum in Mello, ut dicitur 3. Reg. 9., ut semper esset ei propinqua.

Perspecto ergo loco et monte illo, cursu festino descendi vallem, declinans contra montem Oliveti, et juxta pyramidem Josaphat ad fundum vallis veni, eandemque pyramidem curiosius perspexi, eamque intravi per fenestram scandens. Nonnulli dicunt, hanc pyramidem esse titulum, quem sibi Absalon erexerat, ut habetur 3 Reg. 18; ubi sic habetur: porro Absalon, cum adhuc viveret, erexerat sibi titulum, qui in valle

regis est, et vocavit eum nomine suo Manus Absalonis. Sed non videtur posse stare, quia nusquam legitur, vallem Josaphat et torrentem Cedron fuisse nominatum vallem regis. Et Magister in Speculo Historiali dicit, vallem illam duobus stadiis distare a Jerusalem. Nec titulus ille est erectus, sicut de petra excisus, ut supra fol. 196 B. Sed titulus Absalonis fuit lapis politus, marmor (234 A) erectus. His ergo visis pertransivi torrentem Cedron, et in montem Syon adscendi, et sudore plenus et calore incensus ad prandium veni. Et mirabatur pater Gardianus et fratres, audientes me sine molestia haec loca perlustrasse.

Octava die ante lucem descendi cum fratribus aliquibus ad specum agoniae Christi, de quo dixi fol. 144., et ibi, quia sexta feria erat, Missas de passione Domini celebravimus, quibus finitis in Galilaeam sursum ascendimus. Porro ad partem aquilonarem Galilaeae montis est mons eminens, interjecto grandi intervallo, quatuor stadiis a Jerusalem distans, in quo Salomon aedificavit templum Chamos, idolo Moabitarum, et in eodem loco tempore Maccabaeorum aedificatum fuit castrum forte, de quo Jerusalem civitas tempore regiminis Graecorum et Romanorum fuit multum tribulata. Consequenter ab illo loco descendimus, non quidem directe contra civitatem, sed contra aquilonem, ubi venimus in vallem satis fertilem, arboribus consitam, per quam est via euntibus a Jerusalem in Nazareth, et in processu venitur in villam, in qua beata Virgo et Joseph requirebant puerum Jesum inter cognatos et notos, et eo non invento, regressi sunt in Jerusalem, ut habetur Lucae II. In hac valle venimus in locum ruinarum antiquarum, ubi quondam dicitur stetisse villa Anathot, de qua Jeremias propheta fuit oriundus, qui in utero sanctificatus, de sacerdotali semine natus, puer exorsus est prophetare, et subversionem Jerusalem praedixit et vidit oculis, ut habet Hieronymus in prologo super Jeremiam. Porro idem Hieronymus nominat villam illam Arabath, de distantiis locorum, dicens, ipsum viculum sacerdotum fuisse. Per circuitum enim Jerusalem possidebant sacerdotes viculos et praedia, unde Gethsamini et Bethphage et Nobe et Anathot fuerunt viculi sacerdotum, in quibus nutriebant pecora oblata pro primitiis

sive pro decimis. Ad sacerdotes de Anathot est specialis prophetia, ut patet Jerem. c. 11. Cum ergo Anathot vidissemus in ruinis, quas tamen vix deprehendere poteramus, reversi sumus in Jerusalem, et per portam S. Stephani ingressi loca sancta per civitatem deosculantes in montem Syon devenimus.

Nona die, quae erat sabbathum et vigilia S. Laurentii, mane ante ortum solis transivi cum fratribus aliquibus in vallem Josaphat ad ecclesiam sepulchri beatissimae Virginis Mariae, et ibi divina celebravimus. Omni enim sabbatho mittit pater Gardianus aliquos illac ad celebrandum, et frequenter solitus fui cum eis ire. Missis finitis ascendimus montem Oliveti, et ab alia parte descendimus in Bethaniam, et ibi visis et deosculatis locis sanctis reversi sumus in montem Syon, quo cum venissemus, invenimus omnes dominos peregrinos in monasterio congregatos, qui me exspectabant, ad dandum responsa cuidam Mamalucco, qui sibi omnes peregrinos praesentari mandavit, ut cum eis conferret de certis (B). Auditum enim fuerat in curia domini Soldani in Chayro, quod peregrini Christiani de occidente viri potentes et nobiles essent in Jerusalem, et ideo hunc Mamaluccum, Christianorum Trutschelmannum in Chayro, misit de Aegypto ad explorandum, qui essemus et unde venissemus, et in commissis habuit, si de regno Franciae essemus, quod captivos nos duceret in Chayrum; quae caussa illius fuerit, ignoro. Sed cum a Sabethytanco, nostro Trutschelmanno, audivisset, quod de Francia non essemus, venit cum eo in montem Syon, et sisti nos sibi mandavit, pacificeque nos salutavit verbis latinis et italicis: et si, inquit, placet vobis, descendatis mecum die crastina in Aegyptum via regia, et in decem diebus erimus in Chayro, et inde transmittam vos cum salvo conductu in Arabiam ad montem Synai, a quo reversi ad me in domo mea manebitis, quamdiu volueritis. His verbis et aliis bonis promissionibus tantum nos movit, quod omnino cum eo recessissemus, si res et negotia nostra fuissent aliqualiter disposita, in nullo enim adhuc dispositionem feceramus necessariam ad hoc iter. Gratias autem egimus viro de sua benigna exhibitione, et rogavimus eum, quatenus cum Deo comite de monte Synai in

Iathaream hortum balsami veniremus, nos citius inde tollere ignaretur, et Chayrum introducere, et inde statim per Nilum i Alexandriam mittere, ne contingeret nos naves Alexandri- as de Venetiis negligere. Haec omnia nobis promisit fideliter) facturum, et multa plura adjecit, quibus valde consolati imus. De hoc viro plura restant dicenda suo loco, cujus omen erat Tamquardinus. Venit enim ad nos in vestimentis rium, intrinsecus autem erat lupus rapax, ut patebit fol. 70 . II. Habito ergo colloquio nobiscum recessit, revertens in egyptum. Post prandium transivimus nos peregrini simul l balneum sive aestuarium, et cum Sarracenis balneati sumus t loti. Hoc aestuarium erat simile illi in Rama, sicut patet ol. 84 A. Post balneationem intravimus ecclesiam sancti epulchri (335 A).

De quinto ingressu peregrinorum in ecclesiam resurrectionis Domini nostri Jesu Christi et in sepulchrum Domini.

Decima die, quae est festum Laurentii martyris, et erat ominica XI. Trinitatis vespere praecedenti iterum intromissi imus modo supra dicto in ecclesiam sanctissimi sepulchri omini, et nocte illa ad dominicum sepulchrum vigilavimus, loca sancta, ut prius, circuivimus, et dictis matutinis Mis- s celebravimus, et orto sole Missam in dominico monumento antavimus, qua finita per Mauros de templo ejecti fuimus. orro tres fratres Minores de monte Syon, juvenes, fuerant obiscum in ecclesia resurrectionis Domini; hos petivi, quate- s mecum in vallem Josaphat descenderent, quia adhuc ane erat, quod libentissime facere velle dixerunt, dummodo e apud patrem Gardianum excusarem de non accepta centia, quod eis promisi et feci. Transivimus ergo per civi- item et in cocorum vicos descendimus, et emi pro fratribus is et me a cocis illis pastillos de ovis, et placentas, et stetas de carnibus, et assaturam, et botros, et ficus, et m illis comestibilibus descendimus in vallem, et transito rrente in Gethsamini praedio sub olivis in umbra consedi- us et laetum jentaculum simul sumsimus, potu tamen caruimus,

nisi quod uvas pro potu suximus, quae uvae erant dulcissimae, albae et nigrae. His peractis, et proximioribus locis descalatis, montem Syon ascendimus, et ad prandium fratrum consedimus. Post prandium venerunt domini peregrini in montem Syon, petentes Trutschelmannum, ut nos duceret in Bethlehem, qui convocatis et conductis asinariis cum asinis venerunt ad nos; sedimus ergo super asinos, et cum Sarraceno Sabathytanco de Jerusalem eximus, et cum venissemus ad clivum ascensus montis Gyon, ex opposito montis Syon, occurrit nobis exercitus Arabum, qui, nescio quo prodente, iter nostrum exploraverant, et transitum nobis interdixerunt, nisi pedagium et gangfragium eis solveremus, et summam pecuniae satis magnam postulabant, quam dum dare recusaremus, et diu simul litigassemus, vi coegerunt nos reverti in Jerusalem.

Tractatus de peregrinatione maris mortui in Sodomis.

Reversi autem in civitatem sanctam petivimus Trutschelmannum et Calinum, ut providerent nobis de asinis et de tuta comitiva, cum qua ad mare mortuum descendere vellemus ad ipsum considerandum. Hoc audientes duo illi Calini Sarraceni peregrinationem illam multum difficultabant, inducentes multas rationes, quibus a concepta peregrinatione nos retrahere possent. Prima eorum ratio fuit quasi theologicalis, dicebant enim, quod propter loca sancta, quae Dominus benedixit, et Christus noster sanctificavit, visitanda venissemus de transmarinis partibus, et non propter profana loca, quae Dominus maledixit, (B) sicut est mare mortuum, quod ipsi Sarraceni nominant mare maledictum, quod dicebant, omni credenti Scripturis esse fugiendum et detestandum, et quod deberemus esse contenti, quod benedictum Jordanem vidimus. Secunda ratio, quare invite nos ad mare mortuum ducebant, est propter Arabes et Madianitas, qui in illis desertis habitant, et pro praeda discurrunt per regias vias, a quarum invasione non possunt bene protegi peregrini, nisi arcubus et gladiis fugarentur et laederentur, cum sint inermes et nudi. Propter nos autem nolebant eos laedere, sed dicebant potius pati spoliationem nostram, quam laesionem eorum. Sunt enim Arabes

ata famelici et miseri, quod pro pane inermes armatos
dunt seque morti exponunt.

Tertia. Dicebant per littora maris illius esse multa nociva
renenosa animalia, pusilla cum magnis, ut leones, ursos,
s et serpentes vermes etc.

Quarta. Dicebant esse prohibitum a rege Soldano, ne
alieni ducerentur ad hoc mare, et hoc propter venenosis-
um sed nobilissimum tyrum serpentem, ne forte capi eum
ingeret ab alienis et de patria educi, qui nullibi in mundo
eritur nisi in littoribus maris mortui; idcirco sub poena
tis prohibuit Soldanus incolis terrae, ne serpentes illos
los alicui vendant, sed sibi eos in Aegyptum transportent.
c tamen pauperes saepe transgrediuntur et christianis
catoribus eos vendunt, tam in Damasco et Baruto, quam
Alexandria et Chayro. Conficitur enim de hoc serpente
cacissimum et pretiosissimum tyriacum, nec est verum
iacum, nisi de hoc serpente sumtum, a quo et nomen
titur. Talis autem formae dicitur esse serpens ille: lon-
ido ejus est ad ulnae medietatem, grossitudo vero vel
nitudo ut viri pollex, color eius luteus aliquali rubedine
tus, et naturaliter semper nascitur et manet coecus, et
per saevit velocissime serpens cum sibilo iracundo. Contra
venenum nullum noscitur remedium, et nisi in continenti
putetur membrum ejus veneno intoxicatum, mox totum
pus incenditur, inflatur et crepatur. Omnibus bestiis insi-
ur, unde nonnumquam grandes belluae juxta hoc mare
tuae reperiuntur ex intoxicatione tyri. Dum irasci-
, igneam linguam emittit, quam velocissime circum-
titur, corpus ejus ex ira ut ferrum candescit, et caput
s parvum inflat excrescens ultra quantitatem corporis, et
et in facie pilos ut aper. Si equum intoxicat, sessor
s simul cum eo inficitur et moritur. Et nisi naturae auctor
vasset bestiolam illam luminibus, nemo posset de prope
edere, nec capi quovis modo valeret, quia callidissimus
pens est. Hunc serpentem medici et appotacarii tali modo
confectione tyriaci assumunt: captum vivum accipiunt,
que in pelvim ponunt vacuam et latam, in qua possit
rere et exitum quaerere, non tamen effugere, et dum

(**236 A**) sic circuit, quaerens exitum, accipiunt sudes et acus, et eum pungunt et ad iram vehementem provocant; dum autem incensus inflatusque fuerit, omne venenum, alias per corpus diffusum, in caput et caudam recurrit, et acuto cultro vel rasorio ictu uno utrumque absciditur, et si solum una pars vel caput vel cauda amputata fuerit, media inutilis erit. Docta est haec bestia naturae industria retinere venena sua, et non nisi arte magna oportet eam circumveniri. Pro magno autem pretio venena illa venduntur, super aurum et lapides pretiosos. Haec duo singularia habet dominus Soldanus rex Aegypti in suis thesauris recondita, quae gignuntur in terra sua, scilicet balsamus et tyrus serpens. Ideo, sicut non intromittuntur peregrini in hortum balsami, nisi cum maximis cautelis, ut patet fol. 65. P. II., sic nec evagari licet ad maris mortui littora propter tyrum et propter gluten judaicum, quod etiam solum ibi est reperibile juxta littus.

Quinta ratio difficultatis est foetor et vapor malus de illo mari consurgens, quo homo non assuetus faciliter inficitur et infirmatur et moritur.

Sexta ratio est. Dicebant enim, nihil pulchri ibi esse, nec quidquam delectabile essemus visuri, sed habituri gravem laborem, expensas inutiles et timores multos. His et aliis difficultatibus auditis quidam peregrini retrocesserunt, dicentes se non velle, etiamsi eis pretium daretur, descendere. Alii vero his non obstantibus instabant pro deductione, et ita iterum divisi fuimus in duas partes, sicut superius contigit de peregrinatione Galilaeae et Nazareth, ut patet fol. **222** A. Major tamen pars peregrinorum petebant se duci, nec desistere volebant, etiamsi dominum Naydon, praefectum, petere pro licentia et salvo conductu deberent. His auditis Sabathytanco eodem die misit ad Ameth, praefectum in Bethlehem, Maurum animosum et fidelem, qui erat Arabibus confoederatus nec eos metuebat, adhortans, ut illa nocte cum XIV mulis aut asinis veniret de Bethlehem in Jerusalem ad montem Syon, et peregrinos duceret ad mare mortuum et reduceret pro pretio sibi statuendo. Nos vero disposuimus cibum ac potum pro duobus diebus et una nocte nobiscum ducendis per viam illam.

Peregrinatio ad mare mortuum.

Undecima die, antequam illucesceret, venit Ameth cum mulis, asinis et servis in montem Syon, et pulsantes ad ostium Conventus postulabant peregrinos, nullus autem erat de peregrinis in conventu nisi ego. Cucurri itaque in tenebris de Syon usque in Mello ad domum Elphahalli, in qua homini peregrini manebant, ubi pulsans lapide ostium eos excitavi, et ascenderunt mecum illi, qui peregrinari volebant. Ascensis itaque bestiis de monte Syon descendimus in vallem Siloae et juxta natatoria in profundis Toph et Gehennae descendimus (B) per horribilem gehennalem vallem, et adhuc erant tenebrae; noctes tamen videbantur mihi non esse adeo tenebrosae in transmarinis regionibus, sicut apud nos sunt, non enim sunt ibi nebulae aut nubes, quibus siderum obfuscatur coruscatio. Interea aurora consurrexit, et nos continuo per vallem arctam ab utraque parte petris superpendentibus ascendimus, quousque sol in altum ascendit. Erat autem vallis asperrima, saxis plena et lapidibus, a quibus terra erat deducta per aquarum decursum pro tempore. Tanto enim impetu decurrunt ibi aquae suo tempore, ut magna saxa de suis locis avellantur et deducantur. Et supremum illius vallis est vallis Josaphat et torrens Cedron, nec potui notare ibi esse decursum perennem arcus fluminis, ut supra dixi fol. 232.

Cum autem descendendo venissemus ad duo milliaria germanica bona, incipiebat fieri vallis acrior et asperior, et in ista arctitudine venimus ad monasterium S. Sabbae Abbatis, et ingressi monasterium a Cologeris monachis graecis reverentialiter suscepti fuimus. Reperimus autem in monasterio multos Arabes deserti, colonos et viarum praedones, ad quorum aspectum vehementer exterriti sumus, suspicantes, nos esse traditos. Et ipsum ductorem nostrum, dominum Ameth, suspectum habuimus, quod malum contra nos machinari vellet. Hoc ut notavit, venit cum praefecto illorum praedonum Arabum ad habitaculum, in quod ducti fueramus, et ambo datis dextris nobis promiserunt securitatem in rebus et corporibus. Si autem eos curtusia vel aliquibus bibalibus honorare vellemus, paratos eos haberemus etiam ad descendendum

nobiscum ad mare et ad defendendum. Dedimus ergo eis certos madinos, quos accipientes stabant contenti, et nos eramus quieti et securi. Eduximus ergo de sacculis nostris ea, quae in Jerusalem praeparavimus, et viascos cum vino, et comedimus et bibimus, Ductori etiam nostro et Arabibus paximatios dedimus, monachi vero apportaverunt nobis aquam frigidam pro pedum lotione et potione. Post refectionem et refocillationem ingressi sumus ecclesiam, et adorato Domino indulgentias septennes accepimus (†) et ingressi ad sepulchrum S. Sabbae oravimus. Hoc sepulchrum vacuum esse credo, quia Venetiis corpus illius Sancti quiescit, ut patet fol. 40. Visis ergo his domini peregrini in umbra super humum prostrati dormierunt, ego vero nullatenus dormire nec quiescere poteram, sed solus evagatus sum per universa monasterii loca in valle et supra, et cavernas et tuguria antiquorum sanctorum monachorum perlustravi cum multa ammiratione, et cum periculo casus in ascensu et descensu, per scopulos et rupes, et ruinas antiquorum aedificiorum. Sed et hoc periculum mihi accidit in illa solitaria evagatione: veni ad quendam strictum transitum, qui est juxta cellam S. Sabbae, ubi rupi paries eminet ab una parte, ab alia autem parte nihil est nisi horribile patens praecipitium, vel supercilium petrae, et per illum (237 A) transitum non potest nisi unus homo transire, et non dico simul et simul, sed unus cum cautela, ne labatur deorsum. In hoc transitu obvium habui unum Christianum orientalem, qui forte erat famulus monasterii. Hic cum vidisset me, processit contra me, cum tamen bene retrocessissem, et ut vidit me paventem, coepit mecum jocari, ac si vellet me in voraginem praecipitare, cumque signis, quibus poteram, eum peterem, ut me cum pace transire permitteret, non acquievit, sed significavit mihi, quod me praecipitare vellet, nisi sibi pecuniam darem. Hoc audito bursam aperui, et sibi unum madinum dedi, quem accipiens dimisit me. Ab illa hora et deinceps horrui illorum Christianorum consortium amplius quam Sarracenorum aut Arabum, et minus eis confisus fui. Et quamvis ille forte non praecipitavisset me, etiamsi nihil dedissem sibi, nequam tamen fuit in eo, quod lusit cum homine, quem prius numquam viderat, in loco tanti periculi,

t pecuniam accepit pro pace. Si Arabs mihi obviasset et hoc ecisset, gratus mihi ludus fuisset, eumque probum paganum raedicassem, sed de illo Christiano nihil boni praesumo. umque revenissem ad dominos peregrinos, recitavi eis, quid ihi ille Christianus fecisset, et diximus factum Ameth, nostro itori, qui eum durissimis verbis increpavit, et male de eo ontentus fuit, dixitque nobis, Christianos illos orientales esse ifidelissimos homines. Mansimus autem in monasterio illo d quinque horas, quousque furor solis remitteretur.

De monasterio S. Sabbae Abbatis nota.

Monasterium hoc S. Sabbae Abbatis est unum de mirailioribus, quae ego vidi in evagatione. An autem hoc coenobium fuerit illius S. Sabbae, de quo in vitis patrum legitur, mbiguum est apud me. Dicitur enim, quod S. Abbas hauerit in Syria monasterium, et praefuerit pater XIIII millium ionachorum. Hoc autem monasterium est in Judaea situatum, uanquam et ipsa Judaea sit Syriae pars vel natio. Et diunt monachi, qui hodie degunt in monasterio, quod S. Abbas, lius monasterii institutor et pater, habuerit simul et simul i coenobio XIV millia monachorum, quod auditu vix creibile est; sed dum homo locum videt, assentit, etsi non in antum numerum, tamen videt, ibi habitasse multorum monahorum examen. Fuerunt autem monachi illi, et hodie sunt, rdinis et regulae S. Basilii, Graeci, sicut sunt monachi sub ionte Synai in monasterio S. Catharinae. Unde autem tanta ultitudo monachorum habuerint victum et amictum, plurimum iiramur nos monachi occidentales; qui vero monachorum rientalium mores, victum et amictum viderunt, mirari desiunt. Victus noster est abundans et copiosus, amictus mulplex et pretiosus, domus et monasteria varia, polita et umtuosa, quod totum non est nec hodie apud monachos rientales. Ego pro certo teneo et credo, quod unus Conven- is XX fratrum monachorum occidentalium majores (B) iciat expensas, quam Conventus fratrum centum monachoum orientalium. In structuris enim parvos faciunt sumtus, abent enim tuguriola ex vilibus texta virgultis, in quibus

non nisi quasi curvatus potest consistere. Nec ecclesiae eorum sunt multo ambitiosiores tabernaculis monachorum, quae similiter de contextis virgulis parietes habent luto obtectos, altitudine duntaxat praestantiores monachorum tabernaculis. In vestitu eorum nihil pretiosum, nihil decorum apparet, etiam hodie, quamvis moderni monachi orientales longe sint a perfectione suorum antecessorum, qui in melotis et pellibus caprinis et contextis de plectis palmarum palliis incedebant, et plerique nudi diei calores et noctis algores sustinebant multis annis, non habentes alia habitacula nisi petrarum cavernas, nec certo loco manebant, sed deserti intima penetrabant, longius se ab hominibus elongabant, et hi nec pro convictu nec amictu sollicitabantur. Cibus etiam omnium orientalium et potus, et potissime monachorum, est tenuissimus, et vinum saeculares communiter non bibunt nisi raro, monachi numquam. Et ita parcissimis expensis vivunt. Sed monachi occidentales e contrario lautissimis expensis nutriuntur. Unde S. Jeronymus in quadam epistola contra eos invehitur dicens, eos usque ad vomitum satiari. Propter quod dictum inimicabantur sibi occidentales monachi. Quidam autem vir sanctus, monachus occidentalis, cum id diceretur dictum a S. Jeronymo, respondit: Jeronymum in hoc reprehendisse quosdam crapulosos monachos orientales, dicens, quod edacitas, quae occidentalibus est natura, orientalibus est gula, ut habetur in Spec. Histor. L. 18. c. 10. et 12. Ubi etiam habetur, quod quidam monachi occidentales desertum Aegypti ingressi, ut viderent monachos orientales, quidam ad cellam cujusdam senis venissent, et post orationem et exhortationem ad mensam invitati a sene sedissent, apposuit ipsis quinque fratribus dimidium panem hordeaceum et fasciculum herbae, quae similis mentae erat, exuberans foliis mellei saporis. Hanc annonam quinque fratribus appositam cum unus devorasset, et nullo modo satiatus fuisset, licet pro decem monachis orientalibus sufficiens fuisset. Inaequalis nempe est conditio corporum orientalium et occidentalium, quia dissimili affluxu afficiuntur corporum coelestium. Et ideo certa veritas est, quod multa sint occidentalibus necessaria ex natura, quae orientalibus essent superflua, et vitiosa gula, et hoc tam in

domibus vel habitaculis, vestibus, et cibis et potibus. Insuper, antiquitus monachi terram colebant, et dabatur unicuique de fructibus portio sua, quam poterat expendere pro lubitu, et tantum abundabat, quod in oriente eis pauperes deficerent, et frumenta cogerentur ad transmarinas partes mittere pauperibus in occidentem. Ex quibus patet, quod multi monachi centeni et milleni simul poterant habitare, sicut hic in monasterio S. Sabbae.

Porro regrediendo ad propositum ipsum praefatum monasterium talis dispositionis est. Vallem Gehennae, per quam descendimus, occupat per longum spatium, quae vallis est ibi profunda et arcta, et utrumque latus praeruptis rupibus eminet, quibus vallis tamquam muro est munita per non modicum spatium deorsum, et hoc totum spatium fuit monasterium, rupes autem ab utroque latere sunt cavernosae, non quidem cavatae, sed per se cavae, ita quod aptissima praestant monachis habitacula orationi et contemplationi vacare volentibus. Teguntur autem cavernae ipsae desuper pendentibus petris (238 A) et minacibus saxis. Quodam autem naturali opere factum est ab almo opifice, ut cavernae per longum continuae sint et in ordine positae loco cellarum. Inferius enim, in pede rupis, sunt cavernae per ordinem, et super eas altius est cavernarum ordo, super quas tertius est in alto, et in cacumine arte humana murata sunt habitacula, ita quod quatuor ordines cellarum praestat unum latus. Ad inferiores cellas vel cavernas erat introitus a torrente sine ascensu. Ad superiores erat ascensus, et ante cavernas est rupes protensa extra foraminibus antrorum, ita quod ante ostiola est transitus patens; ita etiam est in ordine super illum. Sunt autem cavernae unius ordinis distinctae quasi cellulae unius lateris dormitorii, non quidem humano opere et arte, sed conditoris naturae. Porro in locis, ubi natura non sufficit ad habitaculum completum praestandum, ars humana supplevit, et quando duae cavernae foratum parietem habent, muro foramen est obstructum; vel ex una magna caverna sunt facta duo vel tria habitacula per muros intermedios; vel quando caverna erat nimis arcta per incisionem petrae est ampliata. Quicumque autem frater cavernam habere

non poterat in ipsa valle, muro sibi cellulam construxit vel in alto supra rupes, unde usque hodie sunt in valle et superius tantae murorum ruinae, ac si civitas ibi fuisset. Nihilominus adhuc aliquae muratae cellulae stant, et tuguria de maceria multa. Insuper ibi videntur turres altae fuisse et solennes habitationes et domus magnae supra rupes, in rupibus et infra. Ecclesia loci adhuc stat integra, et est competenter magna et est supra rupem fundata, quae rupes de latere extenditur supra vallem, nec habet rupes illa fundamentum, sed est libera per circuitum, demto loco, ubi de pariete progreditur.

Porro sub petra ecclesiae est concavitas tenebrosa et grandis, profunde ducens in montem, ex qua emanat aqua viva, modica tamen, qua monachi ibi vivebant, et dicitur fons S. Sabbae. Horret homo, videns ecclesiam simul cum aliis structuris stare supra petram dependentem sine fundamento. Juxta ecclesiam est cella S. Sabbae in petra excisa, ad quam itur per illum formidulosum transitum, de quo supra feci mentionem. Sunt etiam ab alia parte ecclesiae supra petram illam habitacula monachorum, adhuc ibi degentium, numero sex, qui nequaquam ibi manere possent, nisi essent Arabibus confoederati, qui eos defendunt et protegunt a Sarracenis, et est quasi apertum castrum Arabum et eorum refugium, ideo locus numquam est sine Arabibus praedonibus.

Porro supra vallem sunt lati campi agrorum, quos olim monachi coluerunt, et non solum pro se, sed pro pauperibus Syriae et Palaestinae nutrimenta olei et frumenti de illis campis opera manuum conquirebant. Dum hoc monasterium cum terra sancta adhuc esset in manibus fidelium, talem ordinem servabant monachi in officio divino, qui servabatur in ecclesia dominici sepulchri tam nocturno quam diurno tempore. Cum enim aliqua hora pulsabatur in ecclesia resurrectionis Domini, statim domini canonici regulares in monte Syon etiam pulsabant. Post eos pulsabant monachi montis Oliveti per ecclesias. Quo audito in Bethania, fiebat et ibi pulsus per ecclesias, qui (B) pulsus usque ad sanctum Sabbe sonabat, qui pulsantes audiebantur in locis per circuitum, et ita ordo tenebatur, quod semper primus pulsus fiebat in

ecclesia S. sepulchri, et per totam terram sanctam eadem hora pulsabatur. Sed haec omnia jam transierunt, ex quo dominicum sepulchrum in manus devenit infidelium. Omnia laudis divinae organa tenent silentium, et S. Sabbae monasterium est quasi in nihilum redactum. Quomodo autem tantum monasterium in desolationem venerit, ita nobis nunc monachi immanentes retulerunt. Terra sancta postquam ultimo tempore fuit amissa, defenderunt se monachi illi ab incursu Sarracenorum multis mensibus, et commiserunt bella dura cum infidelibus, eosque aliquoties fugaverunt. Tandem rex Soldanus personaliter cum exercitu de Jerusalem ad eos descendit et eos fieri Sarracenos postulavit, qui ei renuntiaverunt, ut ipse Christianus fieri dignaretur, et sibi servire parati essent, sed si hoc nollet, usque ad mortem se defendere vellent. Quo audito Soldanus contra eos exercitum movit et longo congesto bello monachos vicit, et monasterium irrupit, et monachos diversis tormentis ad coelum transmisit, ecclesiam autem ipsam non tetigit, sed omnes cellas destruxit et ascensus ad antra dejecit, illam (que) miserabilem desolationem induxit. Dereliquit tamen ibi quosdam monachos, qui sibi juramenta servitutis praestiterunt. Et ita stat usque hodie.

Recessus a Sancto Sabba.

Igitur cum solis fervor remissior fieri inciperet, acceptis sacculis nostris et asinis per periculosum saltum descendimus per scopulos in vallem, ducentes asinos ad manus. Ascensis autem bestiis descendimus in profundiora Gehennae per medium torrentis, conclusi ab utraque parte altissimis rupium parietibus, sub pedibus habentes viam asperrimam, saxosam, non usitatam. Cum taedio ergo processimus tarde per aliquas horas. Optabam autem in Gehenna descendere usque ad mare mortuum, ut vidissem illapsum torrentis Cedron in ipsum mare, sed aliter ductori nostro placuit, nam cum multum descendissemus in aliam vallem, latam, amoenam, et fertilem, si haberet cultores, quae vergit in longum ab austro in aquilonem, sicut vallis Gehennae vergit ab occidente ad orientem. Sunt enim hae duae valles sibi contrariae situ, conditione,

et nomine. Situ quidem, sicut jam dictum est, nec aliquo modo jungitur haec vallis mari mortuo, sed montes sanctos disjungit. Conditione, quia illa est infructuosa, petrosa, tenebrosa etc.; haec autem e contrario est fertilis, graminosa, lata et clara. Insuper et nomine differunt. Alia enim dicitur Gehenna, vallis maledictionis, illa autem dicitur vallis benedictionis, de qua habetur 2. Paral. XX. Unde ibidem habetur, quod hoc nomen accepit vallis illa a laude divina, quam Josaphat, rex Jerusalem, et populus Juda ibi perfecerunt, data eis victoria contra hostes. In hac valle vidimus ruinas antiquarum structurarum. In processu venimus in (239 A) locum quendam, ubi erant infinita aspidis foramina et serpentum, magna et parva, nullam tamen bestiam vidimus, quia solum noctibus procedunt extra. Dixit autem nobis Ameth, ductor noster, quod ibi essent vermes magni ut hominis brachium, et longi ut cuspides. Cum ergo diu in valle benedictionis contra aquilonem procederemus, iterum valle illa dimissa vertimus nos contra orientem, et per devia montium, per saltus et clivos et praecipitia descendimus, ipsumque mare ante oculos in prospectu habuimus, ac si prope esset, quamvis adhuc multum distaret. Acceleravimus ergo iter nostrum et festinanter descendimus, quia sol ad occasum vergebat, et tandem in regionem Sodomorum venimus usque ad littus maris mortui, in ejus capite, ubi Jordanis faucibus ejus excipitur.

Porro Ameth, ductor noster, et sui famuli Mauri longius a mari manebant, quia ipsum horrebant, et usque ad aquam maledictam descendere dedignabantur, nos autem in bestiis usque ad aquam venimus et colligatis asinis descendimus. Deprehendimus autem, ibi in ruinis stetisse quondam grandem domum de quadris, partem super terram, et partem in mari locatam. Jacebant autem lapides magni de ruinis in littore aqua non operti, et tamen in aqua fundati, super quos transivimus ad XII passus in mare, et aquam illam, de qua tanta mirabilia referuntur, vidimus, tetigimus et gustavimus. Clara quidem est aqua illa, sed salsissima et crassa, propter quod nonnumquam hoc mare in Scriptura mare salsissimum vocatur. Unde, quando quis accipit de hac aqua, et ori eam imponit,

tatim prae nimia salsedine corroduntur oris interiora, ac si quam fervidam imposuisset; hoc expertus sum. Insuper, quia aqua crassa est et salsissima, ille, qui manus imponit, sentit in manibus punctiones, ac si essent plenae pulicibus et pulicibus, et fricare eas oportet, ac si scabiosae essent, et hoc multis horis sustinebit, nec de facili potest aqua haec de manibus abstergi, ac si eas quis oleo intinxisset. Sed et foetor de aqua illa exhalat, qui abominationem facit, et ad vomitandum concitat, unde peregrini diutius ibi manere non possunt. Lapides, qui in mari jacent, et pro parte supra eminent, extra aquam sunt omnes, ac si essent glacie vestiti, et littus totum prope aquam album est, ac si nive recenti esset opertum; nix tamen non est ibi, nec glacies, sed sal acutissimum et valde amarum. Credo, quod unum cochlear alis illius plus saliret, quem X de sale nostro.

Porro reliqua terra, sale non perfusa, juxta tamen est nigra et quasi vehementi igne adusta. Sodomorum luet immundicitiam, ut clarius patebit in sequentibus. Vulgares dicunt, quod ruinae murorum, super quas mare intravimus, sint reliquiae domus Loth, filii fratris Abrahae, qui habitavit in Sodomis, ut dicitur Genes. XIII. Cumque aliquantulam moram faceremus juxta hoc mare, stabant ductores nostri Ameth et Emi supra et nos clamoribus vocabant ad recessum, sed et nos (B) ipsi a loco recedere festinavimus, quia non delectationem, sed abominationem et pavorem ibi habuimus, ac si staremus in fossa cadaverum, propter foetorem, vel in loco, in quo strictissimo judicio magna hominum multitudo fuisset peremta saevissimis poenis. Timuimus enim omnipotentis iram, ne et nos peccatores involveret Sodomitarum poenis, sed et dies decrescere incipiebat, et sol in occasum vergebat. Ascendimus ergo de mari ad nostros ductores et ad nostras bestias, disponentes nos ad recessum. Porro ante recessum aliqua de ipso mari sunt dicenda.

De valle illustri vel aulone Sodomae, ubi nunc est mare mortuum.

Liber Genesis cap. XIX. dicit nobis originem maris mortui. Ab initio enim creationis non erat ibi mare, nec

lacus, nec aqua stans, sed Jordanis fluvius per illud spatium in suo alveo decurrebat, vallemque et universam illam regionem irrigabat. Erat autem vallis amoena et fertilis, sicut paradisus Domini, et sicut Aegyptus, ut dicitur Genes. 13. Ob hoc enim dicebatur vallis illustris Gen. 12., propter singularem abundatiam omnium bonorum. Dicebatur etiam vallis silvestris, propter arborum et frondium densitatem, quia erant ibi pomeria et viridaria sicut silvae, et ligna fructifera multa. De hoc habetur Gen. 14. Dicebatur etiam vallis campestris, quia ab una parte Jordanis erant arbores, ab alia vero campi arabiles, et ita utroque nomine dicebatur vallis silvestris et vallis campestris. Insuper vallis Aspalti, vel Asfalti, vel Alpharites, quae omnia idem sunt, dicebatur, quia in eo erant multi putei bituminis, ut habetur Genes. XIV., quo utebantur loco caementi, et fortissimi muri fiebant ex eo. In arena illius vallis inveniebantur lapides pretiosi, ut saphiri et hujusmodi. Sed et aurum inter glebas reperiebatur, ut habetur Job. 28., ubi de ista valle videtur loqui. In illa illustrissima et nobilissima valle erant quinque grandes regales civitates, scilicet Sodoma, Gomorra, Adamae, Sebaym et Bale, quae est Segor, quae nominantur Genes. XIV. Ideo dicebatur regio illa a Graecis Pentapolis, a penta, quod est quinque, et polis, civitas, propter quinque egregias civitates, quarum Sodoma metropolis fuit. Erant autem homines regionis illius pessimi, et peccatores nimis coram Domino, Genes. 13 (15), ducentes vitam turpissimam, qua nimis execrabiliter rationis limites excedebant, ut coeci, ratione carentes. Unde Sodoma interpretatur coeca. Et cum in illis quinque civitatibus fuerit maxima hominum multitudo, omnes tamen vitiosi erant, ita, quod in nulla earum fuerint duo probi homines, qui si reperti fuissent, numquam Deus terram illam subvertisset, ut habetur Genes. 18. Fuerunt autem peccata illorum principalia sex, quae enumerantur Ezech. XVI. Primum fuit superbia, quae caput est omnis mali, quam de se praesumserunt, (240 A) et caeteros contemserunt. Secunda fuit saturitas panis, quia crapulose vixerunt, semper ebrii et pleni. Tertium fuit abundantia, quia divitiis male acquisitis abundabant. Quartum fuit otium, quia filii et filiae eorum, senes et juvenes, otio

racabant, et sine labore abundabant propter terrae fertilitatem. Quinto manum pauperi et egeno non porrigebant, quia immites erant, et nullum hospitio recipere volebant alienum, ut patet Genes. XIX, quia alienis non erat hospitium, nisi platea publica. Fecerunt enim municipale statum (statutum) ne quis adventantes hospitio reciperet, quia regio erat abundans, et multi pauperes de alienis regionibus ad vallem illam confugiebant propter facilem nutritionem. Putabant autem se gravari a pauperibus, ordinaveruntque expelli pauperes et hospites, unde puellam quandam necaverunt saeva morte, quia hospitalitatem exhibuerat et panem obtulerat cuidam pauperi se petenti. Ex his quinque sequebatur sextum, detestabilissimum sodomiae vitium, quod unum est de quinque vitiis clamantibus in coelum. Unde Genes. 18. et 19. dixit Dominus: clamor Sodomae et Gomorrhae multiplicatus est etc. Nec fuit inventus innocens, hoc vitio non maculatus, nisi Loth. Quo per angelos educto pluit Dominus ignem et sulphur in regionem illam, et universa consumta sunt usque in terrae viscera igne coelesti terribiliter grassante, versaque est regio illa in locum sterilem salis et foetidum, usque in hodiernum diem. Cessante enim igne, Jordanis et alii torrentes in locum exustionis incidentes voraginem et hiatum, quem ignis terram consumens reliquerat, impleverunt in longum et latum, et ita factus fuit lacus salis. Quamvis autem Jordanis et alii torrentes aquam dulcem loco inferant, statim tamen salsissima efficitur, ultra omnes aquas salsas caeterorum marium, quia quadruplicem causam habet suae salsedinis, scilicet naturalem, rationalem, catholicalem et divinalem.

Prima causa salsedinis illius maris est naturalis, et est eadem, qua et alia maria salsa sunt, ut patuit supra fol. 43. Et de hoc causa disputat Aristoteles 2. Meteor. per multa argumenta. Ubi etiam manifeste in textu fit mentio de illo mari et excessiva ejus salsedine.

Secunda ratio ostendit, hoc mare esse magis salsum aliis, ex fideli ratione, cui quis potest consentire vel non. Cum enim ignis coelestis terram illam incendit, et in profundis consumsit, mansit ipsum abyssale fundum ignitum, sicut ferrum igne incensum, et aquae super infusae non solum non

possunt calorem illum exstinguere, sed calor ipse magis activus proximas aquas fervidas reddit et inspissat in salque decoquit. Ideo tota illa aquae copia calidior est, spissior et salsior caeteris, et perpetua evaporatione fumigat.

Tertia ratio sumitur ex fide catholica, qua credimus, extremum judicium futurum in valle Josaphat, et damnandos per igneum fluvium ducendos per vallem Gehennae usque in hunc locum, ibique demergendos in profundum inferni, ut supra patuit fol. 170. A. B. Ex quo patet, quod ibi est os inferni, secundum Christianos, quia credimus, infernum esse in centro terrae, et civitatem sanctam supra in montibus locatam esse in terrae (B) medio, sicut gentiles et poetae aestimaverunt, Cretam insulam esse mundi medium et sub ea esse infernum. Ideo in Ydo monte de Ydolo ibi posito fluebant lacrymae usque in infernum, ut patet fol. 17. A. P. II.

Quarta ratio est propter ostensionem singularis displicentiae Domini in odium et detestationem illius nefandissimi vitii sodomitici, qua locum aeternae amaritudini et sterilitati tradidit etc. Propter haec ergo nominatur locus iste multis nominibus in Scriptura. Dicitur enim mare mortuum, Jos. 3, quia ibi Deus peccatores perpetuae morti tradidit, consumens eos repente per saevam mortem temporalem. Vel mortuum dicitur, quia nihil in eo vivit, nec pisces ibi possunt vivere, ut habet Aristot. 2 Meteor. et Magister in Speculo Historiali. Et non solum nihil in eo vivit, sed si quid vivum injectum fuerit, non immergitur, sed rejicitur, non vivum autem impositum statim absorbebitur. Hoc probavit Titus imperator, dum obsideret Jericho, qui, dum quosdam morte plectendos captivos haberet in exercitu, colligavit eos, et projici eos vivos in hoc mare mandavit, qui ligatis manibus et pedibus supernataverunt, nec immergi poterant. Haec Josephus narrat Lib. V. cap. 9. de bello Judaico. Dicit etiam Magister in Speculo Historiali, quod navicula vacua vel rebus non habentibus vitam onerata statim in eo absorbetur, sed navicula cum hominibus vel animalibus viventibus non immergitur. Insuper lucerna vacua si injecta fuerit, absorbetur, sed si cum lumine ardenti immissa fuerit, supernatat, quamdiu

nis in ea ardet. Et multa talia de eo dicuntur mari, de ibus dicit Josephus, quod fabula maris mortui fidem habet.

Dicitur etiam hoc mare in Scriptura mare salsissimum, umeror. 34. et Josuae XII. Ideo autem in Scriptura in perlativo nominatur salsissimum, quia nullum mare mundi t eo salsius, nec aliqua aqua dulcis potest tantum saliri le nostro, quod ad mensuram illius salsedinis et amaritudinis rveniat.

Dicitur etiam mare salis Gen. 14., quia sal ibi copiose betur, et aqua hausta ex hoc mari et ad solem posita atim sal efficitur. Nonnumquam etiam mare salinarum, quia ultae salinae ibi quondam erant, et possent esse hodie. Sunt iam juxta hoc mare montes salis, et saxa contrita sal sunt. opposita regione Moabitide vidimus montem album saxo- m, cujus tota congeries sal est, et lapides ejus contriti sal timum est, sicut et ejus arena. Et hoc sal, sic de terra mtum, dicitur proprie sal terrae, cui coaequat Dominus os discipulos, Matth. V. dicens: Vos estis sal terrae. Quod ique sal optimum est et magis pretiosum quam sal aquae, od ex decoctione est, sicut est sal nostrum, et sal in linis factum ad solis calorem, sicut saepe vidi etiam in toribus maris nostri. Diversa enim genera salis in orbe periuntur. Nam in Sicilia est sal, quod aquae injectum duratur, et igni applicatum dissolvitur.

In Cyronia invenitur sub arena sal aromaticum valde etiosum. In excrescentia vel decrescentia lunae plerumque regionibus sunt montes salis durissimi, de quibus ferro l raditur, et de saxis salis grandes muri et aedificia eri- ntur, ut in Pannonia. Reperitur etiam sal nigrum, sal rpureum, sal gilinum sive croceum, item sal candidissimum.

Nominatur etiam mare aspalti, sicut ante subversionem ebatur vallis aspalti sive bituminis, quia adhuc in ejus tore sunt putei bituminis, quod effossum venditur, quia est iteria solidissima pro muris, et juxta puteos illos stant ramides muratae altae. Ibi etiam (241 A) invenitur bitu- n, quod de mari per ventos ejicitur ad littus, et cohaeret i mutuo fortissime, nec solvi potest, nisi sanguine men- uo, et appellatur gluten Judaicum, et assumitur in medicinis

contra arenam et calculum. Evomit etiam hoc mare quasdam nigras glebas bituminis, quae omnia sunt signa ardoris inferioris abyssi, et sunt quasi faeces occultorum decoctionum. Insuper nonnumquam nominatur in Scriptura sacra mare solitudinis, ut Josuae 2., quia terra per circuitum deserta est, ut in plurimum, et usque in solitudinem Pharan linguam suam extendit, dividens terram sanctam a solitudine illa magna, per quam filii Israel transierunt. Dicitur etiam mare orientale, respectu maris magni, quod dicitur occidentale. Nam terra sancta inter haec maria duo est interclusa, et terminant ejus latitudinem. Nominatur etiam aliquando mare novissimum, pro eo, quod a principio creationis non fuit, sed tempore Abrahae fuit factum novissime post omnia alia maria. Alia enim maria fuerunt creata annis 3272 ante hoc mare; ideo est novissimum. Multoties etiam nominatur hoc mare mare sodomiticum, propter principalem civitatem Sodomam, quae hoc mari operta est, vel propter sodomiae peccatum, quod hic punitum fuit. Dicitur etiam nonnumquam mare diabolicum, propter praestigia daemonum et potestatem eorum in hunc locum. Desertus est enim locus per maris illius circuitum propter infestationes daemonum et illusiones multiplices; multa enim ibi fiunt opere daemonum, permittente Deo, sicut, quod penna mari injecta fundum repente petat, et ferrum immissum supernatet, quod dicunt hic fieri. Nominatur etiam mare maledictum, pro eo, quod in maledictionem peccatorum sit factum, et quod in nullo mundi loco tam manifeste desaevit ira Dei in punitionem maledictorum, sicut hic. Dicitur etiam mare gehennale, quia per vallem Gehennae est descensus a Jerusalem in illud, et torrens Gehennae in id vergit, ut saepe superius patuit. Ultimo dicitur mare infernale, quia ibi damnati inducti per igneum torrentem vallis Gehennae demergentur in infernum. Ibi enim infernus dilatabit os suum, ut eos suscipiat quibus dicetur: discedite a me maledicti etc. In hujus signum hoc mare semper fumat tamquam caminus inferni, et quemcumque locum vapor ille contingit, eum inficit sterilemque et inutilem reddit ab utraque parte maris, et si aliquid generatum fuerit, inutile tamen est. Vidimus enim ibi poma illa, de quibus Josephus et Magister in suo Spec.

ıtor. scribunt, qui crescunt in arboribus non multum pro-
is, et videtur mihi, quod sint arbores solum unius anni,
ne hieme arescunt et aestate recrescunt, in proceritate
ı, qua apud nos est caerulea campana. Stipes ejus plures
ittit ramusculos, qui ferunt poma multa in quantitate unius
gni boni complicatae manus. Poma illa sunt visu pulcher-
na et appetitum videntis movent ad manducandum. Coloris
nt viridia in se, sed a parte, qua sol ea respicit, sunt gilba,
beo permixto (B). Sunt et mollia, ac si essent matura ad
nducandum, et dum aliquis pomum deponit et frangit, mox
venit quandam materiam sordidam et foetentem, qua manus
quinantur et nausea concitatur. Dum autem haec poma
durantur, grisea fiunt, et materia ab intus in favillam et
nerem convertitur.

Ejicit etiam hoc mare, ut dicitur, quosdam pulcherrimos
pillos, quos dum aliquis tollit, per triduum manus ejus sor-
scunt et foetent. Adeo profundum esse dicitur in medio,
iod fundus reperiri non potest per immissionem plumbi lon-
ssimo func immersi. Latitudo ejus est VI leucarum, quae
tenditur ab occidentali plaga in orientem. Longitudo vero
us protenditur ab aquilone in austrum ad IX milliaria ale-
annica. De hoc etiam dictum est fol. 199 B. Interdum hoc
are crescit et intumescit vehementer, non tamen suos ter-
inos exit. Multae enim aquae, flumina et torrentes, in ip-
m diffabuntur, ut Jordanis, qui principalior est, et tempore
uviali et nivium multae in ipsum colliguntur aquae, quae
cidunt de monte Libano et de montibus Gilboae et Ga-
ath, et ita augmentatus in hoc mare decurrit. Sic torrentes
) utraque parte in ipsum labuntur, ut torrens Cedron, Jaboch,
mon, Careth, et caeteri multi. Nam fere totius terrae illius
eces in hoc mare per torrentes deferuntur, et est quasi
trina ambarum provinciarum hinc et inde adjacentium: sicut
nferus omnes mundi faeces in se recipiet, sic et hoc mare
st cloaca illius terrae. Unde nonnulli opinati sunt, quod hoc
are in aliqua sua parte habeat voraginem, per quem deci-
ant aquae in abyssum vel forte in infernum descendant,
uia multae aquae, ut dictum est, in illud decurrunt, nec in
liqua parte exeunt, nec ipsum mare, quamvis ad horam

videatur intumescere, suos fines exit. Quidam tamen aestimant, quod per occultos meatus continuetur cum aquis Marath, de quibus fit mentio Exodi 15., ut dictum est fol. 199. B. Ex his patet maris mortui descriptio, collecta ex ejus nominibus.

De deserto beati Hieronymi et de ejus monasterio ibidem.

Igitur cum mare mortuum juxta desiderium nostrum vidissemus, inde velocius recessimus, quia sol jam occasum petebat; processimus autem contra aquilonem supra maris mortui principium, non longe a loco, ubi Jordanis illabitur ipsi, et inde in solitudinem vastissimam venimus Jordanis, in qua nec plantae, nec herbae aut virgulta sunt, sed terra sabulosa, adusta solis ardoribus, plena cumulis arenae per ventos compertatae. In his cumulis et monticulis processimus cum magna nostra et bestiarum fatiga, sicut in nive profunda et densa procederemus. Porro in ipso sabulo deprehendimus vestigia nova asinorum multorum, de quo providi facti fuimus, timentes, ne forte in tenebris incideremus in aliquem cuneum Arabum, aut (242 A) quod essent in loco, in quo nos per noctem quiescere decreveramus, et ita suspensi in haesitatione substitimus. Nolebamus enim nos convertere ad montana Israel, sed locum quendam, ut patebit, in illo eremo visitare volebamus, contra quem locum vidimus gregem asinorum per quendam clivum arenosi montis adscendere ante nos, quod cernens Ameth, dux noster, statim cecidit de equo suo, et sui servi similiter, et arreptis gladiis et arcubus suis cucurrerunt sicut cervi per sabulum post gregem illum, volentes praedam rapere, si possent. In illis enim terris nemo ab invasione securus est, sed fortior debiliorem insequitur et aufert arma et spolia ejus, si eum potest apprehendere: ideo a longe contra se praeparantes aut una pars fugit, aut ambae partes contra se invicem acies dirigunt ad dimicandum simul, non quidem pro vita, sed spoliis et praeda. Cum ergo Ameth et sui gregem illum per longum spatium insecuti fuissent, cognoverunt, non esse gregem asinorum domesticorum, sed onagrorum, quos capere nullatenus possent, quia velocissimae ferae

mt, et sunt asini silvestres, et ita vacui reversi sunt ad os. Itaque ulterius progressi sumus, et in ipsa solitudine d locum venimus, quem quaesivimus, in quo gloriosus confessor Jeronymus quadringenio (quadriennio) egit poenitentiam, ntequam ascenderet in Bethlehem, ut habetur in legenda ua. Est enim hodie ibi ecclesia satis pulchra cum monasterio nnexo. Ingressi ergo sumus ecclesiam, et ante altare prostrati indulgentias plenariae (††) remissionis accepimus. Deinde b oratione surgentes ecclesiam et monasterium perspeximus. Ecclesia ipsa est profanata per Arabes et Sarracenos, et altaia ejus sunt diruta, et aedificia lignea minantur de proximo uinam. Monasterium vero est monachis vacuum, et pro najori parte est dissipatum, habitacula autem, quae remanerunt, sunt bestiarum stabula, in quibus meridie, fervente ole, umbra gaudent, et est quasi diversorium. Porro, quantum conjicere possum ex terrae sanctae descriptionibus et ex abulis depictis formae terrae sanctae, locus est Bethagla, quo lii Israel planxerunt Jacob, parentem eorum, cujus funus e Aegypto tulerant, ut habetur Genes. ultimo. Hunc locum ominat Jeronymus de distantiis locorum Areaat, distatque na a Jordane leuca, nec credo, ibi fuisse solitudinem poenitentiae Jeronymo, sed in deserto quodam Syriae deguit. Ob verentiam tamen Sancti moderni locum illum pro ejus habitatione honorant, quia in antiquis libris peregrinalibus nulla t mentio de loco illo, nisi sub nomine Bethagla. Ascendimus utem super ambitum, et cum timore et periculo circuivimus, remebant enim sub pedibus nostris aedificia, quasi iam ruiara. Ibi vidimus pulchras picturas de passione Christi in arietibus ecclesiae et quasdam integras cellulas monachoum. In quo notavimus, quod ante paucos annos ibi fuit Conventus religiosorum. Quidam volunt, quod hoc monasterium tempore beati Jeronymi aedificatum fuerit et semper inhabiatum usque ad nostra infelicia tempora. Suo autem tempore, anequam ascenderet in Bethlehem, ibi Conventum religiosorum abuit, et miraculum de leone non in Bethlehem, sed hic factum fuisse asserunt. Hic est locus ille, in quo divus Jeronymus multa se sustinuisse describit in epistola ad Eustochium. Quotiens, inquit, in illo eremo constitutus et in illa vasta

solitudine, quae (EE) exusta solis ardoribus horridis monachis praestat habitaculum, putabam me interesse romanis deliciis et adesse choreis puellarum. In hoc loco beatus vir continue flebat, et carnem obedientiae inedia subjugabat, die ac nocte pectus verberabat, et sibi iratus et rigidus deserta penetrabat, et socius ferarum et scorpionum erat. Porro in hoc sancto loco decreveramus, quando mane de Jerusalem exivimus, pernoctare, et circumeuntes in ipsis aedificiis et ruinis non invenimus quiescendi locum, nec extra muros in campo manere potuimus propter loci immunditiam. Vidimus enim innumerabilem multitudinem magnarum vespertilionum circumvolantium, quia sol occubuerat, et noctis diluculum erat. Dicebatur autem nobis, quod essent multae alterius speciei vespertiliones majores, omnibus in medis sicut columbae, quae in plenis tenebris circumvolent, insidientur singulariter hominibus et impetuose se ingerant in hominis vultum, aperto ore et dentibus apprehendant hominis nasum, quo in ictu oculi amputato avolent capta illa praeda. Habentes longos nasos sunt in majori periculo. Haec autem audientes diligentius nos observavimus, manu nasum tegentes. Audivimus etiam sibilos multorum serpentum de cavernis murorum exeuntium ad pastum. Locus etiam extra muros, in quo stabamus, ut in eo onera deponeremus, erat repletus foraminibus vermium et scorpionum. Insuper de mari mortuo nobis propinquo exhalabant solliti foetores, quos per noctem sustinere videbatur nobis intolerabile. Sed et ipsos Beduinos Arabes et Madianitas timuimus, ne forte supervenientes nocte nos tribularent. Et his de causis resumsimus asinos, quibus ascensis mari mortuo dorsum dedimus, et in tenebris contra montes Israel processimus per lata et taediosa campestria, in quibus non complacuit nobis manere, sed ad montana Israel festinavimus. Ad radices ergo montium cum venissemus, vallem quandam umbrosam intravimus et per crepidinem in alta conscendimus et ad tutissima loca Enggadi pervenimus paulo ante noctis medium, et invento loco apto bestias famulis nostris resignavimus et consedentes de sacculis nostris reliquias produximus et refecti sumus, et in eo loco, quo quilibet sederat ad comedendum, ibi sibi accepit locum ad dormiendum, et

quievimus ibi usque mane sic in vestibus, nisi quod ocreas et calceamenta deposuimus.

De ascensu peregrinorum in montes Engaddi, et de quodam jocundo casu F. F. F.

Duodecima die surgente sole et nos solo prostrati capita levavimus, dulcem enim somnum et quietem habuimus, quia fessi eramus, et cum hoc in tuto et securo ac mundo loco fuimus. Porro Ameth, ductor noster, videns diem claram clamavit, adhortans nos ad celerem montium ascensum, antequam sol incalesceret. Cum festinantia ergo disposuimus nos. In ipsa autem dispositione ad iter accidit mihi aliquid, quod, quamvis sit puerile et nullius momenti, est tamen jocundum, et volui evagatorio meo factum inserere, quia, ut promisi in principio evagatorii fol. 2, non solum seriosa, sed et jocunda et puerilia recitare placuit. Resedi ergo, et induendo calceamenta laboravi (243 A). Erant enim calceamenta mea stricta satis, ita quod non potui nec detrahere nec induere nisi vi et labore, et fuerunt de corio pretioso, gilbo et molli, longa sursum usque ad genua, quasi ocreae. Ita etiam alii milites calceati erant, et fuerunt illa calceamenta nobis pro caligis et ocreis. Accepto ergo dextro calceo ad pedem cum impetu traxi fortiter; cum autem cum pede essem intus, sensi sub pedis planta coagulum humidum et aliqualiter solidum, et obstupui, timens, ne forte aut scorpio, aut bufo, aut serpens complexus, calceum intrasset, praesertim cum mihi videretur, quod motum palpitantis bestiae sub planta sentirem. Et quamquam pedis intoxicationem timerem, non tamen detraxi calceum, quia omnes alii jam in asinis sedebant et ascendebant, post quos solus manere formidabam. Fortiter tamen pedem super lapidem pressi, ut bestiam interimerem, et ita mulam meam ascendi non sine timore periculi veneni. Interea in ascensu ad strictum quendam et praecipitem transitum venimus, per quem unus post alium lento gradu propter casum bestiae adscendit, nec potuit unus post alium statim procedere, sed oportebat expectare omnes infra existentes, quousque praecedens totaliter ascendisset. In illo ergo loco

descendi de mula mea, et sedens calceum extraxi, in quo suspicabar vermem contritum jacere. Cum manum immitterem, sensi humidam et liquidam materiam, et statim, ne inficeretur mihi manus, retraxi eam, et digitos inquinatos ad nares applicavi, et odoratu didici, quod nec visu nec tactu cognoscere valui, erat enim non scorpio, nec bufo, nec serpens, nec venenum, sed humanum schwibolum. Quod ut sensi, cum magna indignatione calceum reindui et confusus et male contentus mulam ascendi et post alios profectus sum, tristis mecum cogitans, quis mihi istum despectum et istam turpem trufam fecisset, et quis de militibus tantae irreverentiae esset, quod peregrino et sacerdoti in calceum stercorisaret, et concepi suspicionem de uno domino de majoribus, qui erat mihi multum familiaris, cogitans, quod forte nimia familiaritas peperisset contemptum illum. In tantum autem turbavit me hoc factum, quod deliberato animo penes me juravi et statui, cum illa societate amplius non velle peregrinari, nec per terram nec per mare, et in me peregrinationem montis Synai resignavi, nulli tamen quidquam dixi de facto, sed cum silentio quasi orans processi. Sed domino illo, quem suspectum habui, et omnibus aliis consociis meis injuriam feci, et actorem illius facti indubitanter reperi. Nam dum in Jerusalem in cella calceum deponerem, ut eum et pedem et manus inquinatas mundarem et schwibolum extraherem, inveni in ipso schwibolo crabronem nigrum et magnum, ad cujus aspectum primitus expavi, putans esse scorpionem, quem cum ipso schwibolo contriveram pede. Viso autem crabrone exhilaratus fui, quia pro certo jam scivi, quod nemo alius stercus hoc induxit in calceum, nisi crabro. Sunt enim crabrones, vulgariter Roßkäfer, in illis partibus magni, et dum generati fuerint in equorum stercoribus, volant et gradiuntur per vias, et materiam eis convenientem comportant et ex comportata materia coagulum (B) vel globum faciunt in quantitate sicut ovum, et ipsum globum aggrediuntur cum posterioribus pedibus, anterioribus in terram positis et ita trudunt globum post se retrorsum, incedentes sicut cancri, quo naturae instinctus eos duxerit, et dum ad locum suum cum globo venerint, se in globo involvunt, eumque domum et cibum sibi constituunt.

Sunt vero globi isti semper de foeda materia, sive de stercoribus alicujus animalis. Saepe substiti in via, ut viderem crabrones per viam globos in duplo se majores mirabiliter trudentes, quod in nostris partibus non vidi, quamvis multi per vias in equorum stercoribus crescant. Sic ergo contigit in facto meo, quod crabro invento schwibulo ipsum rotundum fecit et calceo meo induxit et hospitium meum habere voluit. De post saepe dixi dominis peregrinis totum factum, et turbationem et suspicionem meam.

Eusebius, L. III. c. 2. et L. 5. c. 12. de praeparatione evangelica, nominat crabrum scarabaeum, de quo antiqui Aegyptii dicebant, quod esset animal rerum divinarum indoctis abominabile, sed doctis summe venerabile, cum sit animata solis effigies, et in omni individuo virilem sexum habet, et spermate in stercus infuso pila exinde confecta pedibus involvit, veluti sol coelum et mensem lunarem exspectat. Ut etiam patet part. II. fol. 137 B.

De regionibus, quas vidimus in montibus Engaddi.

Redeundo ad propositum, a quo digressus sum, cum noctem in clivo montis Engaddi egissemus, ut dixi, orto sole consequenter adscendimus in altum montium, in eminenti autem ad quendam locum venimus, in quo plures cumulos lapidum comportatos reperimus, quos faciunt Sarraceni in honorem Moysis, cujus causa statim patebit. In illo ergo loco substitimus, ut regionem contemplaremur, quia in alto eramus, et longe lateque poteramus regiones videre ex Jordanem et trans Jordanem, ultra mare mortuum et citra illud, et quasi totam Sodomam: genera ejus, regiones et loca, quae vidimus, hic brevi sermone volo describere, sicut et partem descripsi in monte Quarentinae fol. 210 B.

Primo ergo conjecimus oculos contra orientem et vidimus montana Arabiae, intra quae praeeminet mons Trimonius, qui in inferioribus dicitur Abyrim, in medio Nebo, in vertice vero vocatur Phasca. In hunc montem jussit Dominus Moysen ascendere, ut inde contemplaretur terram sanctam, in quam intrare non poterat, ut habetur Deut. 34. Sub isto

monte est vallis grandis et profunda, quae vocatur Galmoab, in qua Dominus mortuum Moysen sepelivit, et sepulchrum ejus nemo unquam invenire potuit, ut habetur Deut. ultimo. Dicunt quidam, quod Moyses in vertice Phasca existens et terram sanctam cernens vidit omnia mysteria sacramentorum Christi, incarnationem, nativitatem, vitam, passionem et mortem Christi, et in hac dulcissima contemplatione mortuus fuit in monte, et Dominus sepelivit eum, in valle ipsum abscondens, ne populus ad idololatriam pronus, si ejus corpus invenisset, sibi divinum honorem impenderet. Ideo diabolus, idololatriam inducere volens, conabatur ostendere corpus Moysis, contra quem Michael altercatus prohibens hoc fieri, ut habetur in canonica Judae. Jeronymus tamen, super Amos, videtur velle, quod Moyses ad instar Enoch et Heliae divinitus in coelum raptus sit. Sic enim dicit: aedificat ascensionem suam, ascendit cum Helia, ascendit cum Moyse, cujus sepulturae locus, quia in coelum ascenderat, inveniri non potuit. In valle ista, in quam Dominus dicitur sepelivisse Moysen, abscondit Jeremias ignem sanctum, arcam Domini et altare holocaustorum et tabernaculum, ut habetur 2. Maccab. 2.

(344 A). Hanc vallem sanctam Galmoab vidimus a longe ultra mare mortuum, et verticem eminentem Phasca montis Abyrim. In hoc vertice est respectus usque ad terram Madian, et in eo videtur mons Synai et Oreb. Vidimus etiam campestria Moab, et super ea montem, in quo Balaam propheta, conductus à rege Moab, qui dicitur Agrispecula, ut dicit Jeronymus de distantiis locorum, ut malediceret populo Israel, stabat, populo in campestribus habitanti benedicebat, ut habetur Num. 23. Consequenter visum ab oriente detraximus contra austrum, longe deorsum trans mare mortuum, ubi vidimus Petrae deserti regionem, ipsam autem Petram deserti videre non poteramus. Fuit autem Petra deserti ab antiquo castrum fortissimum in terra Moab, de quo fuit nata Ruth, Moabitis illa virtuosa, de qua dicitur Ruth 3.: scit omnis populus, qui habitat intra portas urbis, mulierem te esse virtutis. Haec Ruth fuit uxor Boas, de qua nasciturus erat Christus per genealogiae continuationem. Ideo propheta Esaias ibidem C. 16. postulat mitti Christum de Petra deserti in Jerusalem, dicens:

mitte agnum, Domine, dominatorem terrae de Petra deserti d montem filiae Syon, i. e. ad Jerusalem. Ubi petit propheta ontinuationem genealogiae per puellam natam de petra deserti. deo in libro generationis Christi Ruth manifeste nominatur. Inde Jeronymus in epistola ad Paulinum dixit: Ruth Moabitis Isaiae explet vaticinium: emitte agnum etc. Et idem in Epistola ad Paullam dicit: Ruth alienigena, ex cujus semine Christus oritur. Et in epistola ad Fur. Ruth inducit de gentilitate assumtam in Christi propitiationem. Sed praetermisso mystico illo sensu possumus dicere, quod propheta cernens civitatem Jerusalem in angustia positam et in gentium dentibus, petit emitti dominatorem de Petra deserti, quia est castrum inexpugnabile et multae gentes castellano ejus erant subjectae. Et sic petit, quod dominus Petrae deserti mittatur in defensionem filiae Syon, quae est Jerusalem, quo misso nemo Jerusalem molestare praesumeret. Hoc castrum Balduinus, II. rex Jerusalem de Latinis, adeo munivit, quod totus mundus eum capere non potuisset, nam tribus muris eum circumdedit: intra primum murum consurgit rupes altissima, rotunda, in cujus supercilio aedificia longe spectantia eminent, et sub rupe de pede rupis tres fontes vivi, clari et sani erumpunt, quibus ipsum castrum copiose adaquatur, et tota terra subjacens irrigatur. Intra secundum murum sunt vineae speciosae, in quibus copiose vinum crescebat. Inter certium sunt agri et horti, in quibus frumentum, oleum et alia necessaria in magna crescebant copia. Hoc insigne castrum numquam cepissent Sarraceni, si non fuisset dolose eis traditum a quibusdam falsis Christianis. Capto autem eo Soldanus tunc existens filium suum primogenitum posuit ibi castellanum et Petrae deserti dominum, et omnes thesauros sues in eo recondidit tamquam in loco tutissimo, et hodie est camera thesaurorum Soldanorum regum Aegypti.

Hoc nobile castrum Latini nominant Petram deserti, Sarraceni Krach, et Graeci Schabat. Cum ergo satiati visione loci essemus, contra locum genuflexímus, laudantes Deum, qui de Petra (B) deserti in Ruth misit nobis Christum, dominatorem terrae, Deumque deprecati sumus, ut hoc castrum ad

manus Christianorum deveniat, et Jerusalem diutius captiva non stabit.

In eadem regione est civitas, dicta Ariopolis, quae et Petra vel Petraea dicitur, quae fuit olim metropolis totius Arabiae. Non longe ab hac civitate est alia civitas munitissima, dicta Rabath. Ante hanc civitatem occubuit Urias Ethaeus, procurante David. Et cum jam capienda esset, venit David et cepit illam, tulitque diadema de capite Melchon, regis Rabath, in quo erant gemmae pretiosae et auri talentum, quod conflavit David, et fecit ex eo sibi diadema, in medio gemmarum statuens sardonicem incomparabilem, et imposuit capiti suo. De his habetur 2. Reg. II. et 1. Parat. 20. Post regiones praedictas super littus maris mortui est desertum Idumeae, per quod est transitus a terra Israel ad terram Moab et Ammon, circumeundo mare mortuum, et est solitudo sterilis et inaquosa, in quo periclitati sunt propter aquae defectum tres reges cum exercitibus suis, quibus Dominus miraculose providit de aqua, ut habetur 4. Reg. 3. Et habita aqua cum in terram Moab venissent, eam nimis crudeliter vastaverunt, ut ibidem dicitur. Ab his locis visum reduximus sursum, et intra Jordanem et mare mortuum vidimus locum, dictum Bethagla, in quo filii Israel fecerunt planctum magnum super corpus Jacob patriarchae, defuncti patris sui, quod de Aegypto transtulerant, ut illud sepelirent in Ebron, in spelunca duplici, ut dicitur Genes. ultimo. Bethaglam nominat Jeronymus de distantiis locorum Areaat, distatque una leuca a Jordane, et fuit ibi, parum ante nostra tempora, monasterium Cologerorum, monachorum graecorum. Insuper vidimus in eadem regione civitatem Agrippae, quam nominant Pellam, L. II. Eccles. Hist. c. III. Ad hanc civitatem emigravit ecclesia sancta a Jerusalem, praemonita a Spiritu sancto capere fugam ante Titi et Vespasiani obsidionem, ne interesset tantis calamitatibus. Prope ibidem est trans Jordanem alia Bethania, ubi Johannes primum baptizavit, in qua morabatur Dominus Jesus, a Judaea fugiens, ut habetur Joh. IV. Nonnulli affirmant, quod Ephraim civitas, in quam etiam transfugit Dominus cum discipulis suis, ut habetur Joh. XI., sita sit trans Jordanem prope desertum. Communiter enim passi tribulationes transfugerunt ultra Jordanem de Judaea, ut

David, tribulatus a Saul, transtulit parentes suos ad regem Moab, ut dicitur 1. Reg. 22. Et ipse David fugiens Absalonem filium suum abiit trans Jordanem, ut habetur 2. Reg. 17. Beatus tamen Jeronymus de distantiis locorum dicit, civitatem Effrem, ad quam confugit Dominus Jesus, esse in tribu Juda, quae non habuit portionem trans (245 A) Jordanem. Chrysostomus dicit, Effrem esse Effratam, et Effrata est Bethlehem. Cui consonare videtur Albertus super Johannem, qui dicit, quod in Effraem Dominus venit, quia ibi notos et amicos habuit: sed nec hoc videtur consonare textui, qui dicit, quod Effrem erat prope desertum, cum Bethlehem non sit prope desertum, nisi quis dicere vellet, quod loca deserta supra Sodomam, quae se extendunt usque ad montem Bethlehem, notentur per Evangelistam Joh. II. Multa alia loca contemplati ammus trans Jordanem in terra Galaath, et trans mare mortuum, in terra Ammon et Moab, et post ad propinquiora contemplanda nos convertimus.

De locis circa mare mortuum in parte ejus occidentali et de ipso adhuc quaedam.

Consideratis locis in alia parte maris mortui et Jordanis situatis visum nostrum in ipsum mare defiximus, et ejus fumigationem mirati sumus. Sicut enim Abraham mane stans in montanis intuitus est Sodomam et Gomorram et universam terram regionis illius, viditque favillam ascendentem de terra, quasi fornacis fumum, ut dicitur Genes. c. 19.: sic et nos intuiti regionem illam vidimus non de igne sed de aqua ascendentem nebulam, quasi fumum fornacis, et omnem locum, quem vapor et nebula illa humectat, inficit et prorsus sterilem et inutilem reddit longe lateque per maris illius circuitum, in perpetuum divinae indignationis signum contra nefandissimos Sodomitas. Tam horrendum enim est hoc vitium, ut sicut fumus ascendens de loco, terram, quam tangit, inficit; sic sonus locutionis de eo procedens per tantum aërem inficit, per quantum audiri potest. Dicunt etiam sancti, quod angeli boni fugiunt de locis, in quibus locutio fit de illo peccato, etiam per modum reprehensionis et detestationis. Sed et angeli

mali, dum hominem ad hoc vitium perpetrandum incitaverunt, et dum ad actum procedit, longius ab eo fugiunt. O detestabile peccatum, o inauditum nefas, o mutuum vitium et pariter clamorosum! Cujus punitio usque ad necem innocentum puerorum descendit, cujus locutio aërem inficit, elementa pollut, angelos fugat, humanum genus deformat, coelum quodammodo inquietat! Genes. 18., Deum de coelo ad celeriter puniendum evocat, dilationem salutiferae incarnationis Domini per tot millia annorum causat; incarnari enim Deum distulisse dicunt propter abominationem sodomiae, in humano genere repertae, propter quod in ipso momento dulcissimae nativitatis Domini omnes sodomitae per universum mundum subita morte sunt exstincti.

Deinde viso mari mortuo vidimus in parte nostra in littore maris, respiciendo contra australe latus lacum, in quo stabat statua salis, in quam conversa fuit Melaseda, uxor Loth, pro eo, quod retrospexit contra angeli prohibitionem, cum adureretur regio illa impiorum. Stabat autem inter Segor et mare. Est autem statua illa lapidea, de albo marmore, quae dicitur adhuc stare, sed mari coopertam esse nunc asserunt. Quando autem in litore stabat, ad eam bestiae congregabantur, (E) et lambebant sal de ea. Sunt enim praeter hanc statuam in eadem regione multae rupes et petrae salinae. De illa statua salis Melasedae habetur Genes. 19. Et Josephus dicit, se eam vidisse. Nos quidem vidimus locum, spatium medium inter mare et montem Segor, sed ipsam videre non potuimus, nec adeo prope stabamus, quod rupem hominis quantitatem habentem discernere possemus. Vidimus tamen eam certa fide, quia Scripturae de ea loquenti credidimus, et locum ipsum contemplabamur curiosius, et prodigium hujus stupendae et admirandae statuae ammirabamur. Manifesto autem signo cognovimus, quod in omni ente manet dispositio obedientialis, propter quam plasmator ex ea facere potest, quidquid vult. Sicut enim potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahae, sic potest etiam facere lapidem. Quia enim mulier illa contra Domini praeceptum retrospexit, naturae munus perdidit et lapis facta homo esse desiit. Hoc dictum non modicam habet difficultatem tam apud philosophus quam apud theologos, quam

modare non est poenitentis speculatoris, siquidem similes transmutationes poetae apud veteres referant fuisse factas. Nam Perseus, Jovis et Danaes filius, Atlantem regem, sibi denegantem hospitium, mutavit in lapidem. Pygmalion etiam, Cylicis filius, statuam marmoream prece mutavit in foeminam, et (quae) ejus usa concubitu mox concepit eique filium haeredem, Paphium, genuit, de quo plenius intra fol. 149 A. P. II. Sed et Niobam mutavit in lapidem. Et diversas bestias finxit antiquitas, quia multum fleverit, ut inducit Jeronymus in epitaphio Nepotiani. Et socii Diomedis in aves transformati; quod Varro conatur vere factum probare, ut August. dicit: sic et socii Ulyssis in bestias sunt mutati. Et Archades transnatantes lacum lupi fuerunt facti. Et Demutus quidam, cum gustasset de sacrificio Archadis, mutatus in lupum fuit, sed anno X. fuit in suam speciem reformatus. Augustinus etiam dicit de quodam Tito Praestantio, qui venenum in caseo sumsit et post hoc multis diebus dormivit, evigilans autem caballus factus fuit, foenum et avenam comedit, onera portavit. Idem Augustinus recitat, cum esset in Italia, de quibusdam mulieribus audivisse, quae viatoribus dabant in caseo diabolica machinamenta, per quae in jumenta converti videbantur. Ad haec possumus etiam vera et non solum ficta inducere. Recitatur in miraculis S. Jeronymi, quod haereticus quidam Sanctum incendio dignum fore dum diffamaret, in ligni speciem est mutatus, et subito cunctis cernentibus ignis coelitus eum invasit et eum totaliter combussit, et totus in cinerem est conversus. Sed an tales transmutationes fere fiant, aut solum apparenter, disputationes theologorum vide, et lege de his in Pantheon Part. VII in chronica de Ulysse et Diomede.

De hoc tamen mirabamur, quare mulier propter respectum punita, et non Abraham, de quo tamen dicitur Genes. 19., quod mane consurgens stetit in montanis, et vidit flammam sulphuream de Sodomis adscendentem. Ad quod dicendum, quod Abrahae non fuit prohibitum, ideo sine peccato respicere potuit; Melaseda autem, uxor Loth, ignem illum respicere fuit prohibita, quia erat ignis horribilis, et foemineae fragilitati intolerabile erat videre tantam stragem. Nec tamen credendum est, quod propter simplicem respectum fuisset tam

graviter punita, nisi mala intentione et in contemtum prohibentis respexisset, nam valde doluit de Sodomae subversione, et impius compatiens contra Deum impatiens erat, et videns ignem Dei justitiam arguebat et blasphemabat. Et hoc Abraham non fecit. Sed quare potius in statuam salis est conversa, quam in aliam speciem? Dicunt Ebraei, quod mulier illa nocte praecedenti peccaverit in sale, et sic punita fuit, ut poena corresponderet culpae. Nam cum Loth angelos, quos putavit esse homines, in domum suam introduxisset, et eis cibum pararet, ut habetur Genes. 19., petivit ab uxore sal pro condimento cibi hospitum suorum; ipsa vero, sicut et Sodomitae, nullum affectum ad hospites habebat, ut superius patuit fol. 240. Et ita sal viro et hospitibus denegabat, ideo in salis statuam conversa fuit.

Ad contemplandam hanc punitam mulierem (re-) mittit nos Dominus Lucae 17. dicens: Memores estote uxoris Loth. Quasi dicat: Exemplum ab ea accipite, non enim casu sic est punita, sed ex proposita divina dispositione. Sal enim condimentum est ciborum, et uxor Loth respiciens retro versa est in statuam salis; quia punitio ejus dat condimentum sapientiae: primo omnibus fidelibus, ut divinis punitionibus, quas Dominus permittit, non contrarientur, sicut illa fecit, nec justitiam Dei arguant, et observent praecepta Domini. Secundo dat sapientiam poenitentibus, ut ad peccata emendata non respiciant, sed velociter fugiant. Tertio dat sapientiam religiosis, mundum relinquentibus, ut ad mundum (246 A) flammatum, qui totus est positus in maligno, id est, in malo igne, non respiciant, cui solemni voto emisso renuntiaverunt. Nemo enim, ait Dominus, mittens manum ad aratrum, respiciens retro aptus est regno Dei. Sic ergo simus memores uxoris Loth.

Supra locum statuae iam dictae vidimus rupem, mari quodammodo superimminentem, in qua civitas Segor fuit, una de quinque civitatibus Sodomorum, quae alio nomine Bale nominabatur, ut Genes. 14. Ad hanc civitatem conscendit Loth, ardente regione inferiori, et propter eum fuit servata ab incendio, sed dum cerneret totam regionem subverti, timuit et in suprema montium confugit. Statim autem, uti

deorsum civitati Segor vertit, terrae motu corruit, et tota cum omnibus in ea existentibus praecipitata fuit deorsum et igne sodomitico involuta et consumta est. De hac civitate habetur Genes. XIX.

Super Segor est mons altus, in quem ascendit Loth cum duabus filiabus suis, ne igne consumerentur. Videntes autem filiae Loth matrem suam Melasedam periisse, et patrem senio confectum esse, totamque regionem ardere in parte inferiori, et montana illaesa manere, recogitabant modum, quo susciarent sibi posteritatem, et patrem vino inebriaverunt. Quo inebriato et ratione sopita senior filia ad patrem nocte in tenebris est ingressa ad eum, qui concubuit cum ea, et concepit. Sequenti die iterum eum inebriaverunt, et nocte junior ad eum venit, cum qua etiam concubuit, quae et foetum concepit. Cumque impletum esset tempus pariendi, peperit prima filium, quem vocavit Moab, secunda etiam peperit filium, quem vocavit Ammon. De his duobus filiis diffusae sunt duae magnae gentes, de quibus habetur Genes. XIX, et in serie sacrae Scripturae nominantur saepius. Hunc montem ad latus habuimus, et dominis peregrinis factum Loth cum filiabus recitavi cum jocunditate. Ad aliud vero latus montes Quarentinae cum deserto Adammim habuimus, de quibus est dictum supra, fol. 211.

Post praedicta conjecimus oculos nostros ad locum, in quo stabamus, et multos cumulos lapidum ibi erectos per Sarracenes vidimus, ut dixi fol. 243, A. Ipsos autem cumulos erigunt Sarraceni in Moysis honorem, quia ibi determinate videtur mons Abyrim, et vertex Phasca, in quo Moyses contemplabatur haereditatem Domini, ut patet fol. 243. Propter hoc factum, quando Sarraceni in hunc locum veniunt, cumulos erigunt, et contra montem orant flexis genubus. Sic etiam Christiani faciunt, quando a longe locum aliquem indulgentiarum videre possunt, cruces erigunt et lapidum cumulos. Non longe ab istis cumulis vidimus unam altam et novam pyramidem muratam, sub qua Sarraceni mentiuntur Moysen esse sepultum, quod est contra canonem Bibliae, Deuteronomii ultimo.

Sic faciunt in omnibus aliis: Bibliam tenent, ubi volunt; sed ubi nolunt, contrarium asserunt pertinaciter, non obstante veritate.

(B) Porro mons ipse, in quo stabamus, mons Engaddi dicitur, similiter cum aliis sibi cohaerentibus montibus. Nominatur tamen Genes. 14. et 2. Paral. 20. Asason tamar, et fuit quondam regio Amalechitarum. Et beatus Jeronymus de distantiis locorum dicit, quod Engaddi est in tribu Judae, in solitudine, quae est in aulone supra mare mortuum, et suo tempore dicit ibi pergrandem vicum stetisse. Ad hunc locum Engaddi confugit David a facie Saul, regis Israel, ut ibi conservaretur tanquam in locis tutissimis, ut habetur 1. Reg. 14. Sunt enim montes alti et petrosi, pluribus cavernis forati, et pleni scissuris, inter illas autem speluncas est una grandis, profunda et obscura, in valle nemorosa ad latus eminentissimae rupis patulum in tractum habens desuper pendentibus abruptis rupibus. Quae spelunca non immerito dici potest misericordiarum David schola. Nam in eum specum submisit se David cum suis armatis, contrahens se ad penetralia ejus, cum audiret Saul regem loco adventurum cum tribus millibus viris, cum quibus evagabatur Saul per loca deserti Engaddi etiam super abruptissimas petras, quae solis ibicibus, i. e. capreis silvestribus, perviae sunt. Invidia enim agitabat eum usque ad loca inaccessibilia, quia audire non poterat cantum vulgi, qui in choro canebat, in quo laus praestantior dabatur David, quam sibi, cum cantarent: Saul percussit mille, et David decem millia. Interea Saul descendit cum suis usque in vallem speluncae David, et cum rex ad os latibuli venisset, ingressus est specum, ut murmurantem purgaret ventrem in tenebris, et se denudans ac incurvans naturae opus perfecit, stantibus in dorso ejus David cum suis, vibratis gladiis, pugionibus, hastis et fustibus. Recordatus autem David misericordiae misertus est ejus, qui se sine misericordia quaerebat perimere, et percussit cor suum, confregitque corda virorum suorum, ne regem interficerent, et abscissa ora chlamydis illaesum abire permisit. Ecce invidia Saulis detestabilis et misericordia Davidis imitabilis. Sicut enim, inquit Basilius, rubigo ferrum, sic invidia animam, in qua nascitur

corrumpit. Et sicut rubigo ferro adhaerens vix recedit, ita invidia cum difficultate animam dimittit. Quod patet in Saule, qui aliquotiens reconciliatus David promisit securitatem, sed pacta, juramenta et promissa fregit. Nam zelus invidiae sine modo est, unde Saul investigabat David in altissimis montibus, in profundissimis vallibus, in intimis terrae visceribus. David autem, misericordia armatus, ubique mirabiliter evasit et in ea consecutus est sedem regni in saecula, ut dicitur 1. Maccab. 2.

Vinea Engaddi.

In his insuper montibus stetit quondam illa nobilissima vinea Engaddi, quae germinabat carissimum balsamum. Hanc vineam plantaverat in loco Engaddi Salomon rex. Nam Magister in Spec. Histor. ex ore Josephi dicit, quod regina Saba, quae venit in Jerusalem a finibus terrae audire sapientiam Salomonis, sicut habetur 3. Regum 10., attulit ei multa munera pretiosa, inter quae obtulit ei radicem balsami, tamquam pretiosissimum munus, quam rex monti Engaddi inseruit, et in vinea propagata fuit (247 A). Istius vineae meminit Salomon in Canticis Canticor. 1. dicens: Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Haec vinea nunc est in Aegypto, sed quis eam hinc eradicaverit et transplantaverit, et de bonitate balsami et de cypris dicetur fol. 68 P. II. Legi in quodam peregrinali antiquo, quod quidam terrae sanctae peregrini curiosius in his montibus evagabantur et in quodam loco invenerunt surculos balsami, sed nulla arbusta. Praeter balsamum crevit olim in his montibus vinum praecipuum, de quo creduntur filiae Loth inebriasse patrem suum, ut habetur Genes. 19. Et si hodie montes illi colonos haberent, fructus pretiosissimos in copia ferre possent.

Regressio in Jerusalem.

Igitur cum omnia praecedentia vidissemus, dorsum orientalibus locis dedimus et montana contra Jerusalem ascendimus. In quadam autem curva via, nescio qua de causa, mula,

cui insidebam, cursum incepit et praecurrere conabatur caeteros, quam cum freno retinere vellem, abjecit me, et casum valde gravem accepi. Quod videns Ameth, ductor noster, de equo suo desiliit, et me jacentem levavit, membra mea delinivit et traxit ad reaptandum juncturis et unum de servis suis in vallem currere jussit, ut mulam meam, quae lasciviens decurrebat, reduceret, et tantam pietatem Maurus iste gentilis ethnicus exhibuit mihi in mea anxietate, quantam Christianus misericordissimus facere potuisset. Me reintegrato potenter in mulam sublevavit, quia brachiis me juvare non poteram, nullum tamen membrum fuit mihi confractum, de quo Ameth mirabatur et laetabatur, quia in cursu mulae impetuose in scopulos cecidi. Oro autem Deum, ut misereatur illi Sarraceno gentili, sicut et ipse misertus est mei. Ameth ergo et ego post socios meos festinavimus, qui longe antecesserant, et similiter per vallem Gehennae ascendimus, et dum adhuc in profundo vallis essemus, tandem de profundo suspicientes civitatem sanctam Jerusalem in altissimis situatam refulgentem vidimus, in cujus aspectu contigit nobis, sicut patet fol. 215 B. Ingressi autem civitatem sanctam enarravimus fratribus nostris, qui remanserant, quae vidimus et quae nobis in via acciderunt.

Sollicitudo peregrinorum pro recessu ad montem Synai.

Tertia decima die, quae est Hyppolithi et sociorum ejus, mane audita Missa in monte Syon abierunt domini peregrini ad semetipsos, et super nostro recessu, quem optavimus, consolati sumus. Videbatur enim nobis Calinus major, Trutschelmannus noster, recessum nostrum de Jerusalem impedire, et longior tardatio nobis nimis praejudicialis futura esset, non quidem ideo, quod taedium esset nobis manere in civitate sancta, in qua libentissime et jocundissime morati sumus, sed timuimus, quod negligeremus naves alexandrinas onerarias, in quibus in Italiam navigare decreveramus (B), et in Alexandria hiemare cogeremur, quod nobis fuisset plurimum poenale. Simul ergo transivimus ad domum domini Naydon, praefecti Jerusalem, cum quo et dominum Vaccardinum

invenimus et intromissi sumus ad eorum conspectum. Qui auditis causis nostris vocari jusserunt nostrum Trutschelmannum Sabbathytanco et hortabantur eum, ut citius nos educeret, et habita longa collocutione inter se dixerunt nobis, quod adhuc oporteret nos X diebus manere in Jerusalem, post quos sine dilatione essemus desertum ingressuri. In his, inquiunt, diebus disponite vos cum omnibus per viam necessariis, cum paximaciis, caricis, vino et aliis. Et his dictis licentiaverunt nos ad loca nostra.

Eodem die incepimus nos parare, et duos ducatos pro persona Gazelo solvimus, ut daret nobis facultatem comparandi vina a Christianis et a Judaeis. Est enim Gazelus Christianus de cinctura officialis Soldani, ad hoc negotium praepositus, ut nulli Christiano liceat vinum emere, nisi soluto ei tributo, et si contrafactum fuerit, et perceperit, irrumpit loca, ubi vina emta fuerint locata, et vinum ad se recipit, vel vasa frangit et vinum effundit. Multas sollicitudines et labores habuimus ab hac die et deinceps usque ad nostrum recessum de provisione facienda per desertum, et omnia, quae disposuimus, comportavimus in montem Syon ad Conventum fratrum in capellam S. Francisci, quae sub ecclesia est, et in paucis diebus capellam ipsam replevimus sportis, saccis et brillis sive vasis, et magnum comportavimus cumulum rerum per tres societates. Eodem die, cum advesperasset, transivi cum duobus militibus ad vallem Josaphat pro quodam negotio expediendo, quo expedito visitavimus loca sancta montis Oliveti, et cum essemus in ejus cacumine in ecclesia ascensionis Domini, occubuit sol, et antequam possemus urbem intrare, praeoccupati fuimus tenebris et magno timore per vicos civitatis transivimus et cum hoc oberravimus gyrantes hinc et inde. Tandem autem ad vicum nobis notum venimus et cum pace ad loca nostra ingressi sumus.

Vigilia assumtionis sic celebratur in Jerusalem.

Quarta decima die, quae est vigilia assumtionis beatissimae Virginis Mariae, transacta meridie incepimus nos ad celebritatem futurae festivitatis tali modo disponere. Ingressi

sumus sacristiam fratrum et inde tulimus linteamen latum, quod eportavimus ad locum migrationis beatae Virginis. De quo loco habes folio 105. B. Hoc linteamen super illum locum extendimus in modum tentorii sustentaculis et funibus, et tapecias loco parietum circumduximus et capellam pulchram fecimus. Altare autem, quod in loco est, vestivimus pretiosis et ornavimus depictis tabulis et imaginibus (248 A) et monstrantiis et candelabris cum cereis positis. Attulimus etiam ramos frondium de olivis et palmis, et gramina ac flores sparsimus et ornatum lucum divinum fecimus. Cum autem vespera adesset, induit se pater Gardianus cappa pretiosa, et cantores, cruciferarius, thuribularius et acoluthi sacris induti stabant in ecclesia fratrum, et paratis omnibus cum solemni apparatu ordinata processione transivimus de ecclesia Syon ad locum migrationis beatae Virginis cum cantu: Et ibo mihi ad montem myrrhae etc. Quo finito in capella, quam feceramus, cantavimus vesperas et completorium de festo altis vocibus, nec aliquod impedimentum Sarracenorum passi sumus, sed audientes clamores nostros accurrebant et stabant cum suspenso ore. Interea confluebat multitudo Christianorum orientalium, qui statim nostro Officio finito ingressi sunt cum suis sacerdotibus capellam et sua Officia perficere incheabant et Missas eodem sero celebrabant juxta suum ritum. Nos vero Conventum ingressi sobriam, ut jejunantes decet, collationem fecimus. Post collationem descendimus simul de monte Syon in vallem Josaphat ad ecclesiam sepulchri beatae Virginis et onustum asinum nobiscum duximus, cui imposuimus ornamenta et paramenta pro loco decorando et pro Officiis celebrandis. Cumque in ecclesiam descendissemus, invenimus eam repletam orientalibus Christianis, viris et foeminis; reduximus ergo nos in angulum nostrum ad altare Latinorum, et inde aliis Christianis, qui locum praeoccupaverant, detrusis, lumina accendimus. Non enim habet locus ille de coelo lumen, sed de igne incenso. Locum ergo nostrum circumdedimus tapeciis et altare ornavimus et multas candelas accendimus, et cum solenni cantu completorium cantavimus. Ad Salve Regina vero de loco nostro processimus cum ornata processione et per sepulchrum beatissimae Virginis Mariae

transivimus gyrantes usque ad locum nostrum. Post Salve ad vigilandum per noctem ad sepulchrum Virginis gloriosae nos disposuimus, et qui vigilare non poterant, capita sua ad parietem reclinabant sedentes. Parvam tamen quietem habuimus, quia alii Christiani in suis locis per noctem ululabant in suis Officiis. Porro nullus locus fuit nostro ornatior, nec aliquis cantus solemnior, parva enim festa faciunt orientales in suis Officiis, nec cantum videntur facere sed planctum. De hac ecclesia et ejus dispositione et locorum distinctione vide supra fol. 143 B. Sic ergo nox illa transivit.

De festo assumtionis gloriosae beatae Mariae Virginis.

Quinta decima die in noctis medio incepimus Officium matutinale, quo solenniter cantato Missas privatas celebravimus in sepulchro beatae Virginis, qui locum peterant habere, qui vero non poterant in eo locum habere, in altari Latinorum celebrabant. Ut autem factus est dies, cantavimus (B) Officium Missae in nostro loco altis vocibus, nec audiebantur voces et ululatus aliorum Christianorum inter clamores nostros. Officio autem terminato paramenta deposuimus et ad montem Syon praemisimus, nos vero loca sancta montis Oliveti visitavimus et indulgentiis receptis in montem Syon ad prandium sumendum ascendimus et post prandium ad quiescendum nos locavimus propter vigilias praecedentes.

De singulari peregrinatione F. F. F. in Bethlehem et ad alia quaedam loca.

In die assumtionis post meridiem rogavi patrem Gardianum pro licentia ad Bethlehem et pro societate itineris Desiderium enim habui solus esse in Bethlehem sine tumultu peregrinorum. Adjunxit autem pater Gardianus mihi duos bonos fratres et abire permisit. Exivimus ergo nos tres simul clam de Jerusalem omnibus nescientibus, ne plures comites haberemus, et jucunde ambulavimus per viam illam sanctam, de qua supra dictum est fol. 164. B., et usque in Chabrata, ubi est sepulchrum Rachelis, venimus, ad latus

autem vidimus villam Bezeth, de qua habetur Judicum 1., in qua filii Israel percusserunt X millia virorum et invenerunt ibi Adonizedech, regem Jerusalem, cui amputaverunt manus et pedes, sicut ipse fecerat LXX regibus, qui sub mensa sua serpebant colligentes ore micas decidentes. Hanc villam desideravi ingredi et videre locum, non enim praetermisi aliquem locum mihi ex canonica Scriptura notum, quin eum visitaverim, in quantum mihi possibile erat. Declinavimus ergo a via communi ad dextram in villam Bezeth eamque pertransivimus. Est enim villa magna et populosa, nec habitant in ea Sarraceni, sed solum Christiani orientales, et numquam fuit a Sarracenis possessa. In hoc tamen anno quidam de hac villa Christianus fidem Christi publice denegavit, et circumcisionem accepit et Sarracenus effectus est et hodie inter Christianos ibi habitat lupus inter agnos. In hac villa optimum et fortissimum crescit vinum, quod quidem potatum pure caput non laedit, sed sua virtute intestina corrodit, ideo debet multum imponere de aqua; non memini me melius vinum bibisse.

A Bezeth consequenter progressi in Bethlehem venimus et cum magna charitate a Gardiano et fratribus recepti sumus et coenam bonam ibi fecimus Post coenam ductus fui in cellam pro quiete, sed dum reposuissem me, fugit me somnus ab oculis meis, et totus vigil ad tempus in lecto mansi, et taedio jacendi victus surrexi et me in specu sacro nativitatis Christi esse optavi, spem tamen non habui, me ante noctis medium posse habere ingressum, sciens, omnia ostia esse serata, verum silenter cellam exivi, et capellam S. Nicolai, in qua fratres horas dicunt, ingressus sum. In eadem capella est occultus introitus per ostiolum in specum sacrum, quem omnibus modis fratres occultant propter Sarracenos et orientales Christianos, qui eum non paterentur, ut supra fol. 172. dixi. Ad hoc ostiolum sine spe accessi eumque reseratum reperi et cum magno gaudio ingressus sum, penetrans petrosum transitum, et ultimum ostium etiam apertum reperi, per quod in sanctissimum specum veni, quem illuminatum multis lampadibus inveni, et duo ostia, per quae est transitus et ascensus in ecclesiam, firmiter clausa reperi. Considerans

autem, me solum esse in sacro specu, prae gaudio dixi: Benedictus Dominus, et benedicta sint omnia impedimenta quietis et somni mei, propter quae adeptus celebrare jucundissimas vigilias ad dulcissimum Christi cunabulum. Dedi ergo me sacris vigiliis, et melius quo potui et scivi horas istas transegi, devotissimus enim et dulcissimus est locus iste, ut supra patuit, et vigiliae circa eum sunt delectabiles et leves.

Processus ad loca, quae sequuntur, ad (quae) communiter peregrini non ducuntur.

Sexta decima die mane celebravimus Missas in specu sanctissimo, et post Missas ad locum pastorum ascendimus, de quo loco dictum est fol. 173 A., et ibi Gloria in excelsis cantavimus cum angelis. Post hoc reascendimus in civitatem Bethlehem et ipsam curiosius lustravimus et ad prandium fratrum ingressi sumus monasterium. (249 A) Porro antequam ad capiendum cibum iremus, in horto ambitus transivimus, in quo fuerunt sepulchra illorum trium hominum, qui resuscitati fuerunt et cum Eusebio reducti, ut in epistola Cyrilli episcopi Jerosolymitani ad Augustinum [legitur]. Post prandium valefecimus patri Gardiano et fratribus et oppidum Bethlehem ingressi sumus ad quendam Christianum graecum, unum de fratribus, qui mecum erat notus. Hic audito, quo pergere intenderemus, concessit nobis quatuor asinos, tres pro nobis, et quartum pro filio suo, quem misit nobiscum ad serviendum nobis est bestiis. Ascendimus ergo bestias et de monte Bethlehem descendimus per clivum, gyrantes contra austrum super canale, per quod aquae in Jerusalem ducuntur. Ad villam autem quandam venimus, nomine Bethyr, juxta quam tanta amoenitas est, quantam non vidi per totam terram sanctam. Est enim infra villam tota vallis densata fructiferis lignis et diversi generis arboribus, ac si esset silva. Hunc hortum credunt Salomonem plantasse, et ibi hortum deliciarum fuisse, de quo dicit Ecclesiast. 7.: Feci, inquit, mihi hortos et pomoeria et consevi ea cuncti generis arboribus. Ad hunc hortum vehebatur Salomo aureo curru, circumdatus armatis juvenibus, quando voluptatibus operam dare cupiebat, ut dicit

Josephus Libr. VIII. Antiquit. Jud. c. 3. Denique sponsam suam amorosis canticis ad hunc hortum saepe invitat, dicens: Veni in hortum meum, soror mea, sponsa, Cant. V. Et optat ei aërem convenientem, Cant. IV. dicens: Surge aquilo, et veni auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius. Unde adeo frequenter solebat Salomon morari in hoc horto, quod, quando nesciebatur, ubi erat, inveniebatur in horto. Quapropter, dum filiae Jerusalem quaererent a sponsa: Quo abiit dilectus tuus? respondet: Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut ibi pascatur et lilia colligat, Cant. VI. Plantaverat enim in horto illo herbas aromaticas et virgulta nobilia, ut cypros, cum croco, nardum, et fistulam, balsamum et cinnamomum, cum universis lignis Libani, myrrham et alões, cum omnibus primis unguentis, ut habetur Cantici IV. Vites etiam et nuces et alia inerant. Hodie autem aromatica defecerunt, et remanserunt arbores pomerantiarum, malogranatarum, ficulnearum, olivarum, mororum, nucum et pomorum, et est, ac si esset paradisus deliciosa, cui convenire videtur illud Cantici 4.: Emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.

De piscinis Salomonis regis.

Visis deliciosis hortis illis ascendimus consequenter ab eis per litus rivuli, quo irrigantur, ita, quod canale, in quo currunt aquae in Jerusalem, erat nobis ad dextram, et alveus, per quem aquae hortum praedictum rigantes descendunt, erant nobis in sinistra. Sic ergo per medium ascendimus et ad piscinas grandes tres sibi subordinatas venimus. Has piscinas dicunt esse illas, de quibus dicit Salomon Eccles. c. 2. 6: Exstruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium. Silva illa lignorum germinantium est hortus praedictus, in quem per alveolum transmittuntur aquae a piscinis istis.

Porro piscinae illae magnae sunt et maximis laboribus exstructae per ferramenta acuta, quibus rupes durissimae et petrae solidissimae sunt cavatae, rosae et abscissae in longum et latum per medium vallis, cui (B) ab utroque latere

adhaerent montes alti et petrosi. Ita autem sunt piscinae illae exstructae, quod in suprema et prima decurrit aqua viva et replet eam. Et de illa fluit aqua in secundam sub ea; de secunda in tertiam. De qua consequenter transcurrunt in hortum deliciarum, et per canale de eadem transmittitur aqua usque in Jerusalem ad latus templi, ubi erumpit, sicut patet fol. 227 A. Aqua vero, quae de hortis consequenter transfluit per vallem civitatis, decurrit in Sodomam, et per desertum Thecuae, cui adhaeret contra austrum desertum Macheron, in quo mons Carmelus est, qui fuit possessio Nabal, quem David, dum esset in fuga a facie Saul, rogari fecit, ut mitteret ei de pane et aqua sua, quod ille cum contumeliosis verbis denegavit; propter quod David commotus insurrexit contra eum et universam domum ejus, et nisi Abigail uxor Nabal pro eo intercessisset, omnia dissipasset, sicut patet 1. Reg. 27. Super has piscinas in opposito montis latere vidimus paganos fodientes et laborantes ultra sexcentos pro inductione novarum aquarum ad antiquas in Jerusalem. Inventae enim sunt aquae in desertis montibus non remote ab Ebron, longe a piscinis istis, quas dominus Soldanus conatur inducere usque in Jerusalem ingentibus expensis, immensis laboribus, sagaci industria, multis ingeniis et acutissimis artibus, per tot montium cavitates et rupiam ac petrarum incisiones et saxorum perforationes et dejectiones lapidum, ad spatium octo milliarium alemannicorum gurgitem dirigens per saltus et clivos secundum proportionatas mensuras. Antiqua etiam canalia innovat et retinacula aquarum pluvialium multa facit et omnes modos excogitat, ut civitas sancta Jerusalem aquas habeat, et nec expensis nec laboribus parcit, in quo non modica laude dignum se fecit rex Soldanus. Nam Salomon Ecclesiast. IV. 4. laudans opera magnifica gloriosorum virorum laudat Ezechiam regem pro eo, quod ferro fodit rupem et induxit in medium civitatis Jerusalem aquam, et aedificavit ad aquam puteum. Idem 48. De quo etiam laudatur 4. Reg. XX. et 2 Paral. 32. idem rex Ezechias.

Nec tamen similis fuit labor Ezechiae labori Cathubae Soldani, qui non solum fodit rupem, ut inducat aquas superioris fontis Gyon in civitatem, sed scindit montes a longe

distantes, ut inducat aquas. Unde de hoc etiam fol. 141 A. Mirantur Sarraceni, Judaei et Christiani, quid tandem Soldanus velit facere de Jerosolyma, quod tantos labores et expensas facit pro ejus adaquatione. Putant Sarraceni, quod sedem regni transferre velit de Babylonia Aegypti in Jerusalem. Judaei sperant, quod Jerosolyma instaurata eam sit eis resignaturus. Christiani vero opinantur, quod forte fidem Christi, quam abnegavit, reassumturus sit et dominicum sepulchrum cum civitate Jerusalem ipsis restituturus. Quod omnipotens Deus in cor ejus dare velit, pro quo incessanter exorandus esset Deus. Si vero in sua perfidia et apostosia manere velit, nihilominus Christiani Deum pro eo tenentur orare et pro longaeva vita ejus, quia sepulchri dominici custos est et rex terrae sanctae, et Christianis peregrinis satis pius et mitis. Sic faciebant antiqui patres, dum essent in babylonica captivitate, et orabant et oblationes offerebant pro vita Nabuchodonosoris regis, qui tamen eos captivaverat et templum incenderat et Jerusalem destruxerat. Sicut patet Baruch. I. Sic facere hortatur apostolus 1. Tim. II., ut obsecrationes et orationes fiant in ecclesia pro regibus gentilibus et pro omnibus, qui in sublimitate sunt constituti, quatenus quietam vitam sub eis ducere possint fideles. Et primo Esdrae 6. praecipiuntur fieri oblationes pro vita regis Darii et filiorum ejus et orationes.

Hoc opus, quod Soldanus facit, Pilatus, praeses Judaeae, exorsus fuit, et chorban, sacrum thesaurum templi, ideo exhausit, ut aquas a duobus millibus stadiis induceret. Et dum Judaei contra opus (250 A) propter thesauri exspoliationem reclamarent, commotus Pilatus magnam interemit Judaeorum multitudinem et in opere perstitit. Sed dum nec sic Judaei quiescere vellent, timore Imperatoris destitit. De hoc habes Libr. 18. Antiqu. Jud. cap. 8 et de bello Jud. in Libr. II. c. 3.

Igitur cum ad mediam piscinam ascendissemus, vidimus juxta eam papiliones et tentoria, in quibus architecti et praefecti operum et exactores et magistri erant et negotia de aquarum gurgitibus per montes fodiendis tractabant. Per circuitum autem papilionum multi Sarraceni et Mauri discurrebant colludentes, quos vehementer timuimus, ne forte ad nos ascenderent, et (nos)

irent, singulariter tamen de me timor erat, quia solus grinus eram et cruce signatus, et sine salvo conductu. us tamen se movit contra nos, sed cum pace super mar- s trium piscinarum ascendimus. Demum derelictis pisci- convertimus nos ad dextram, et sursum per clivum ascen- us et in campestrem regionem venimus plenam agris, in ous triticum hoc anno messum fuerat. In illo campo inter es occurrit nobis unus vagus Arabs cum spatha et lancea . a via se nobis opposuit prohibens nos transire, quousque agium sibi debitum solveremus. Dicunt enim Arabes, quod nes viatores sint eorum debitores et quod omnes teneantur solvendum stipendia. Unus autem de fratribus mecum tentibus dixit sibi lingua arabica, quod essemus pauperes nulli debitores. Ille autem Arabs digito me demonstrans t: etsi vos duo estis pauperes, ille tamen cum cruce est grinus et hospes patriae et tenetur mihi ad pedagium endum. Et hoc dicto accurrit ad me, et arripuit frenum li mei, cogere me volens ad solvendum. Sed frater ille citer contendebat cum eo et minabatur sibi, si me citius ittere nollet, in vallem descendere vellet ad dominos operum fectos et contra eum querimonias facere. Hoc ut audivit bs, dimisit me et fugit a nobis. Porro in medio campo mus unam ecclesiam, ad quam properavimus, et est eccle- sancti Georii martyris. Ingressi autem ecclesiam in ea iones fudimus, et indulgentias septennes (†) accepimus. latus ecclesiae hujus quondam fuit pulchrum et grande nasterium Cologerorum, sed modo est destructum usque ad vum tugurium, quod ecclesiae adhaeret, in quo duo degunt nachi graeci. In hoc loco fuit sanctus Georius martyr. et es captus et catenatus pro fide Christi; venerat enim de padocia in Syriam, ubi draconem interfecit juxta Barutum de illo loco huc in Judaeam profectus est ibique captus, inde in Lyddam ductus, ubi martyrio fuit consumtus, ut et supra fol. 84 B. Juxta ecclesiam est locus petrosus, ubi es durissima et lata jacet, in qua ostenderunt nobis duo monachi impressa equi vestigia, ac si petra aliquando mollis set et equi transeuntis vestigia recepisset. Dicunt autem, d illa vestigia sint per equum S. Georii miraculose saxo

impressa. His visis reingressi sumus ecclesiam ad umbram, (B) et protulerunt duo illi monachi catenam unam, quam dixerunt esse illam, cum qua S. Georius vinctus tentus fuerat. Hanc catenam deosculati sumus, eaque colla nostra cinximus prae devotione. Sed et ipsi Sarraceni eam plurimum venerantur, sicut et vestigia equi in rupe, et nonnumquam ad tactum illius catenae infirmi restituuntur sanitati apud Sarracenos. Miro etenim modo omnes orientales S. venerantur Georium prae ceteris sanctis, et in ejus honorem sunt quasi omnes ecclesiae schismaticorum consecratae. Deinde portaverunt nobis duo monachi illi paximacios et aquam et salem, et fecimus collationem cum eis, et libenter communicassent nobis omnia, quae habere potuissent, quamvis schismatici essent. Comedimus ergo et bibimus in ecclesia illa et bene refrigerati fuimus, et quasi duabus horis ibi mansimus et monasterii ruinas diligentius lustravimus.

De aqua, in qua eunuchus fuit baptizatus.

A loco illo nos consequenter movimus, et in progressu ad clivum quendam venimus, de quo aquae vivae in pluribus locis emanabant, quod tamen rarum est in terris orientalium. Supra in alto vidimus ruinas rupti castri, quod antiquitus dicebatur Bethsura, et erat firmissimum fortalitium, de quo dixi fol. 189 B. De quo contra vallem fertilissimam processimus non remote a domo Zachariae, de quo dictum est folio ubi supra. In illa valle vidimus multa domicilia et hortorum viridaria, consita ficulneis, vitibus et olivis. Tandem autem pervenimus ad ripam viventium aquarum, quae de saltu erumpunt et per viam cum impetu in vallem decurrunt. Ascendimus ergo per viam usque ad locum, ubi emanant, et ibi invenimus ruinas magnas destructae ecclesiae, quae tempore Christianorum ibi stetit. Est enim ibi locus ille, ubi Philippus baptizavit Aethiopem, eunuchum Candacis reginae, ut habetur Actor. 8. Erat enim Candace regina Aethiopiae, quod regnum non nisi per foeminas regebatur, et omnes reginae dicebantur Candace, sicut omnes reges Aegypti dicebantur Pharaones, et omnes Romanorum imperatores dicebantur Caesares. Sunt,

qui dicunt, eam reginam Aegypti et Arabiae fuisse, quia deficientibus Pharaonibus regibus Aegypti successerunt Candaces, ut habet Boccacius de claris mulieribus Cap. 41. Erat autem regina illa foemina devota, et misit suum eunuchum aethiopem, custodem omnium thesaurorum suorum, cum multis muneribus et donariis ad templum in Jerusalem, ut ibi adoraret et dona offerret. Quo facto in currum descendit, ut ad propria remearet, et tam sedulus ad divina fuit, ut etiam sedens in curru prophetias legeret. Quem jussu Spiritus S. accessit Philippus eumque instruxit et in loco hoc baptizavit. In hoc ergo loco genu flexímus, et orationibus dictis indulgentias recepimus(†). Deinde ad fontem sedimus et ea, quae de Bethlehem tuleramus, de sacculis produximus, et comedimus panes et bibimus aquam, quae clara, frigida, recens et sana erat. Est autem fons adeo celebris, quod usque ad eum divites et honesti de Jerusalem equitant pro solatio et refrigerio. Sic ergo nobis sedentibus juxta fontem multi Sarraceni pertransierunt, quia via publica ibi (251 A) descendit in Gazam, i. e. in Africam, ut dicit Glossa et Magister in Spec. Histor. Nec tamen aliqua injuria aut molestia nobis fuit illata a quocumque. Illis autem, qui juxta fontem substiterunt et biberunt, dedimus de nostris panibus, et sederunt nobiscum quam plures Sarraceni. Tandem venit quidam cum sporta plena optimis et dulcissimis botris, et nos ei exhibuimus saccos nostros cum panibus, quae commutatio fuit sibi gratissima, et ita manducavimus et bibimus simul in loco et usque ad solis declinationem simul ibi mansimus. De hoc loco dicit Beda super Actus Apostolorum: Bethsaro vel Bethsura in terra Juda euntibus ab Helia Hebron, i. e. a Jerusalem in Ebron, XX. lapide, juxta quem est fons ad radices montis, ebulliens ab eodem, in quo gignitur, absorbetur humo, in quo Philippus baptizavit eunuchum. Cum ergo bene in illo loco recreati fuissemus, bestias adscendimus, et festini contra Jerusalem properavimus, quia sperabamus, eodem sero nos ingressuros in dominicum sepulchrum; nisi enim illa spes fuisset, in Bethlehem cum fratribus per aliquot dies mansissemus, vel noctem in deserto S. Johannis Baptistae fecissemus. De quo dictum est supra fol. 192 A., quod valde libenter fecissemus. Nam

antra illa, in quibus tener puer Johannes habitavit, videtur et in eis morari delectabile valde esse. Sed desiderium ingrediendi dominicum sepulchrum magis urgebat. In processu dimisimus desertum S. Johannis et domum Zachariae et ecclesiam sanctae crucis et domum Simeonis, de quibus omnibus prius dictum est, et ad Jerusalem properavimus. Cumque ad vineas montis Gyon venissemus et jam civitatem sanctam prae oculis haberemus, ecce mulieres aliquae in vineis laborantes congregatae in via se locaverunt cum lapidibus, et transitu nobis interdixerunt, nisi eis solveremus tributum, quas interrogari fecimus, an essent arabicae vel Sarracenae? Quae cum dixissent, se esse Sarracenas, vi per medium ipsarum penetravimus, easque derisimus dicentes, pedagium esse debitum Arabum, et non Sarracenorum. Quae cum magna indignatione miserunt lapides contra terga nostra, et post nos contumeliosis vocibus clamaverunt. Porro cum iam prope civitatem essemus, venit nobis obviam quidam magnus dominus infidelis, cum multis famulis et copioso comitatu armatorum in equis et mulis, et qui praecedebant exercitum significabant, quod unus Amiraldus sequeretur. Quod ut audivimus, statim de asinis nostris resilivimus, stantes sic secus viam, quousque universi praeterierunt. Si enim per nos de bestiis non descendissemus, cum furia et contumelia nos dejecissent. Consuetudo enim patriae illius hoc habet, ut semper pauperes, rustici, peregrini et personae humiles deferant (EE) hoc modo nobilibus et divitibus sibi obviantibus. Quam statim enim ut ignobilis et advena videt contra se nobilem venientem, descendit de bestia sua, quousque pertransierit dominus cum suis famulis; si autem descendere negligit, famuli domini eum vi dejiciunt. Si vero duo divites sibi obviant, minus dives, qui alteri deferre vult, non descendit, sed cum bestiis suis secus viam se contrahit, quousque ille praetereat. Si vero dives civis obviam habuerit nobilem armatum, ut puta Sarracenus Mamaluccum, tunc honor, quem dives ille deferat nobili, [est], ut de via se contrahat, pedesque extra strepas trahat et dependere sinat. Quod si non fecerit, eum armatus de equo dejicit. Sic ergo, postquam dominus ille transivit, reascendimus asinos nostros et in civitatem sanctam ingressi

sumus ad montem Syon. Cum venissemus, intelleximus, peregrinos non intromittendos in ecclesiam S. sepulchri, et dolui, quod non ad duos vel tres dies foras in Bethlehem mansi.

Decima septima die, quae fuit dominica XII. p. Trinit. infra octavas assumtionis, habui desiderium celebrandi Missam in loco defunctionis beatissimae Virginis Mariae, et eportavi omnia paramenta ad locum, et altare paravi cum fratre mihi ministraturo. Dum autem starem sub divo in altari, cecidit ros abundans et infudit corporale, et humectata sunt palle et liber, et hostia sacramenti adeo liquefacta fuit, sicut pasta non cocta, ita quod elevare eam nequaquam potui, nec manibus eam, ut ritus habet, tradere, et fui in magna augustia in illa Missa. In illis enim terris raro pluit, et coelum, praesertim aestivo tempore, serenum existit, sed semper in solis ortu abundanter rorant coeli desuper, et hac infusione conservatur viror terrae. Post prandium convenerunt peregrini ad tractandum de nostra peregrinatione per desertum.

Decima octava die ante solis ortum ad fontem Siloae descendi. Audivi autem intus juxta gurgitem tumultuantes Sarracenos, cerdones vel fullones, et diverti a fonte sancto, nec ingredi praesumsi, faciem tamen et oculos lavi in ripa de fluenti, et deorsum usque in medium torrentis Cedron descendi, per ejus siccum alveum et asperum adscendi usque ad ecclesiam sepulchri et assumtionis b. Virginis Mariae, quam apertam reperi, et gavisus fui. Descendi ergo per gradus in ecclesiam et eam repletam graecis Christianis inveni, qui illo die ibi divina celebrabant, et laudes b. Mariae concinebant, ad quorum Officium steti, considerans ritum et mores eorum. Deinde ascendi de ecclesia, et specum agonizationis Domini nostri Jesu Christi (252 A) intravi, in quo inveni chorum Armenorum, divina ibi celebrantes et suis dissonis cantibus Deum laudantes, cum quibus mansi ad spatium parvi temporis, et eorum modum in divinis admiratus fui. De specu demum egressus in Galilaeam ascendi et inde in jugo montis Oliveti ad ecclesiam ascensionis Domini perveni, in quam ingressus chorum Jacobitarum in ea reperi, Deum suis modulis, mihi insolitis, laudantes. Sed et Abessini vel Indiani, supervenerunt, ut sua Officia perficerent. Exspectabant etiam ibi

Nubiani eadem ratione. Totus enim mons Oliveti repletus erat orientalibus Christianis illo die, quae autem causa fuerit congregationis orientalium illo die, ignoro. Transivi autem ego solus Latinus inter illos orientales, nec aliquis molestiam mihi aliquam fecit, nec me a suis Officiis repulerunt. Admirabantur quidem de me, respicientes me et habitum meum et mores meos. Sunt illi praenominati orientales communiter omnes nigri, et colore, vestitu, lingua, ritu et moribus nobis difformes. A loco ascensionis Domini descendi in Gethsamini, et rupem, quae praefert corporis Christi impressuram, quam accepit in captivatione Christi, diligentissime quaesivi, sed minime invenire potui. De hac rupe vide fol. 146 A. Post haec ad montem Syon reascendi ad prandium.

Decima nona die accepi licentiam a patre Gardiano, et societatem petii ad visitandum castellum Emaus. Difficilis autem fuit pater Guardianus, dicens, viam esse insecuram; propter instantiam tamen meam licentiam dedit, et duos fratres mihi adjunxit et unum Sarracenum, et simul exivimus de Jerusalem per viam, per quam duo discipuli, Cleophas et Lucas, in die resurrectionis Domini transierunt cum Domino Jesu in forma peregrini eis apparente et corda eorum incendente ignito suo alloquio, ut habetur Lucae 24. Pervenimus autem cum pace usque in Emaus et ibi loca desiderata deosculati sumus, de quibus habetur supra fol. 90 B. Cum timore autem ruinas illius civitatis lustravimus, quia cum sit in via, quae de mari ascendit in Jerusalem, raro est locus sine praedonibus, qui transeuntes sugillant. Beatus Jeronymus, de distantiis locorum, dicit, suo tempore insigne oppidum fuisse, quod etiam ruinae demonstrant.

Deinde ascendimus in montem Sylo, de quo etiam dictum est fol. 90 A. B., et ibi visitare et videre voluimus loca sancta, sed citius Sarraceni supernis domicilia habentes nobis occurrerunt nosque cum lapidibus repulerunt. Cumque in vallem venissemus, ad radices alterius montis venimus et in ejus cacumen conscendimus. Hic mons dicitur mons martyrum, pro eo, quod Leo quidam sepelivit ibi XXX millia corpora martyrum, quos Cosdroe rex Persarum interfecit pro fide Christi, ut habetur in Histor. Eccles. His visis per vallem

terebinthi reversi sumus cum pace in Jerusalem, et ita transivit dies illa etc.

Vicesima mane venerant ad cellam meam quatuor fratres Conventus rogantes me, ut irem cum eis in Bethaniam. Sic ergo profecti sumus et cum in valle Josaphat essemus, vidimus de monte Syon post nos descendere caeteros dominos peregrinos meos cum paramentis ad Missam, cumque ad nos venissent, dixerunt, se etiam velle ire in Bethaniam, et ita simul montem Oliveti ascendimus et ab alia parte in Bethaniam descendimus et in ecclesiam S. Lazari super sepulchrum ejusdem Missas celebravimus, cum magno tamen timore, quia circumstabant juvenes Sarraceni, quos arcere ab Officiis ausi non fuimus, et stabant respicientes in manus, ora et oculos consecrantium; timuimus enim, ne forte alicui accideret idem, quod cuidam fratri celebranti Missam accidit in Bethlehem, qui dum in celebratione esset et jam panem in corpus et vinum in sanguinem consecrasset, ecce unus juvenis Sarracenus accurrit ad altare ex improviso et calicem cum sacramento arripuit et sacramentum ebibit, et cum magno cachino ad socios suos recurrit. O ignorantia damnosa, o coecitas caliginosa, o fatuitas stulta, o temeritas praesumtuosa, o irrisio flebilis et periculosa! Verum Domino nos protegente nihil simile nobis contigit in illo loco, finivimus enim Officia cum bona pace, et visitatis sanctis locis Bethaniae et montis Oliveti, regressi fuimus in Jerusalem.

(B) Vicesima prima die mane descendi ad ecclesiam resurrectionis Domini et ante fores dixi Officium meum et per foramen januae ad dominicum monumentum perspexi. Eodem hora venerunt Mauri armati cum arcubus et lanceis, adducentes cum multis tumultibus duos homines, quos captivaverant, et eos in carceres, qui stant ante atrium ecclesiae sancti sepulchri, incluserunt. De quibus carceribus dictum est fol. 124 B. Cum magno ergo timore steti ante ostium, timens, ne et in me saevirent, et tam diu exspectavi foribus inhaerens, quousque recesserunt a carceribus, quia de atrio transire non poteram nisi prope illos. Mansi autem ibi ultra duas horas, et ad Officium in monte Syon adscendi. Post prandium convenerunt omnes peregrini in montem Syon et

res comparatas ordinavimus ad aequalia pondera. Quo facto descendi cum eis, et cum venissemus ad arcem David, de qua superius fol. 104 A. facta est mentio, stetimus et castrum ipsum inspeximus. Cum autem castellani filius videret nos subsistere, signavit manu, ut, si placeret, possemus eum sequi et arcem ab intus videre. Secuti ergo sumus juvenem et per pontem fossati transivimus, et prope portam habet pontem in catenis dependentem, qui potest sursum erigi et demitti. Induxit autem nos per duas portas ferreas usque in curiam castri, in qua sedebant foeminae et suebant, (253 A) quae, dum nos vi dissent, operuerunt vultus suos et absconderunt. Duxit autem nos juvenis sursum super muros et turres, et ad omnia habitacula per circuitum, et mirati sumus de spissitudine murorum et multitudine turrium per gyrum. Est enim aedificatum ad modum munitorum castrorum in Alemannia cum muris, moeniis, et foraminibus multis machinarum, et est situm super prominentem petram in occidentali parte montis Syon, et habet ab austro profundam vallem, quae dividit montem Syon a monte Gyon et ascendit a torrente Cedron usque ad agrum fullonis. Ab occidente etiam vallem habet, quae quondam profunda vorago erat, sed iam quodammodo est repleta et per gyrum habuit profunda fossata, quae, quia non mundantur, replentur, et jam castellanus hortum olerum plantavit in parte orientali. Hoc tamen non obstante nihil est tam forte et munitum in tota Hierosolyma sicut hoc castrum. Porro an hoc castrum sit illud, quod Scriptura nominat arcem Syon vel arcem David, diversi diversa tradunt; hoc tamen scimus, quod David munivit montem Syon, et civitas montis dicebatur civitas David, quae quandoque tota nominatur arx David, uti 2. Reg. V. Singulari tamen respectu notavi tria loca, in quibus fuerunt turres et muri fortes montis Syon. Primus est in orientali parte, ubi stat Conventus fratrum. Et ibi nullum est dubium, quin tabernaculum David fuerit, in quo arcam Domini collocavit, et suum habitaculum, de quo habetur 1. Paral. 17. Secundus locus est in occidentali parte montis Syon, in quo stat hoc, de quo nunc loquimur castrum. Tertius vero locus est non in monte Syon, sed ex opposito illius arcis, contra occidentem supra civitatem Jerusalem, prope

m negotiatorum in agro fullonis, ubi sunt ruinae grandes, dicunt esse reliquias turris David. Et si hodie ibi esset itium, tota civitas arceri posset ex eo. Ego tamen credo, ante tempora Helii Hadriani imperatoris, qui civitatem avit, nihil ibi fuerit, sed post civitatis extensionem forum fuit ibi constructum, et prius destructum. Igitur, arcem vidissimus, transivimus ad locum nostrum.

n occasu solis cum quibusdam fratribus chorum antiquae siae Syon adscendi, de quo dixi fol. 98 B., et singularem dinem montis Syon prae cunctis in circuitu montibus deravi. Nam montana Arabiae trans Jordanem et mare ium, quae tam valde alta sunt, humilia videntur respectu is Syon. Sol enim oriens primo caput montis Syon int, a quo eo occidente ultimo radios retrahit. Hoc saepe deravi. Nam a monte Syon est descensus continuus, per quinque milliaria teutonica, usque ad mare mortuum a orientem. Similiter contra occidentem est descensus multorum milliariorum usque in Palaestinam. Et ita Syon cunctis montibus praeeminet, ut habetur supra 08 A.

llorum collectio et spinarum de locis sanctis pro devotione.

Vicesima secunda die mane ante solis ortum surrexi, que Officio clam solus de Conventu exivi et ad loca a montis Syon, vallis Josaphat et montis Oliveti evagatus et de singulis locis lapillos collegi et signatos sacco, i mecum ad hoc tuleram, (B) imposui, spinas etiam spibus crescentes in montis Oliveti clivo et montis Syon et ramusculos colligavi, complexens coronam spineam eo), et de quibus spinis credo, Dominum Jesum coronatum e. De hoc vide fol. 113 A. Per totum illum diem labo- in collectione lapidum et in excisione spinarum, et com- ri sportam oblongam, ad quam et ramusculos spinarum i et lapillos collectos de locis sanctis, mecumque Ulmam s advexi. Nec videatur hoc alicui inutile vel puerile, lapillos mecum tuli de locis sanctis ad terras nostras,

cum legam sanctos fecisse. Nam 4. Reg. V. legimus, quod Naaman Syrus petivit ab Helizaeo propheta, ut liceret sibi tantum de terra sancta tollere, quantum duo asini vel burdones possent portare, ut duceret eam in terram suam et de lapidibus illic altare strueret, in quo sacrificia Domino coeli offerret. Si ergo ille tantum terram illam aspiciebat propter templum in ea constructum et prophetas in ea habitantes et propter miracula in ea facta, quanto magis aspicienda est a nobis propter praedicta et propter Christi pretiosissima vestigia et beatissimae Mariae Virginis ac apostolorum et martyrum, et propter inaestimabilem sanguinem Christi in ea effusum, crucem et sepulchrum, quam sic gloria suae clarissimae resurrectionis illustravit et igne Spiritus sancti lustravit. Nullo ergo modo, nulla ratione, nullo pacto sunt particulae et petrarum petiae de illa illustrissima terra assumtae, spernendae aut abjiciendae, sed cum veneratione magna colligendae, et inter praecipuas reliquias ecclesiarum collocandae; et non solum ipsa terra et lapilli vel petrarum petiae, sed etiam grana et Paternoster, et annuli et signa Paternostrorum applicata locis sanctis sunt quodommodo sanctificata, ideo venerabiliora et pretiosiora, sicut patet fol. 36. A. Nec solum nos Christiani de occidente hoc facimus, sed orientales Christiani de altissimis orientis partibus lapillos de illis terris colligunt et eos quasi usque ad paradisi portas ducunt pro observantissimis reliquiis. Et quod amplius mirabile est, audivi et legi, quod orientales Christiani peregrinantur Romam et de ecclesiis sancti Petri et Paulli lapillos excutiunt et pro reliquiis usque ad oceanum orientalem ducunt. Nonnulli etiam Alpes transgrediuntur et per Rhenum in Coloniam Aggrippinam descendunt, ut ecclesiam et sepulchrum trium regum, suorum compatriotarum, videant, et de eadem ecclesia et sepulchris regum lapillos sibi dari procurant, vel accipiunt si possunt, quos postea, quando ad partes suas revenerint, auro et argento includunt et lapidibus pretiosissimis adjungunt, et in annulis et flosculis digitis apponunt et ad colla suspendunt. Annulos autem et jocalia vel clenodia applicata sepulchris regum trium venerabiliter custodiunt tamquam magnas reliquias, et illos peregrinos, qui de oriente in Coloniam evagati sunt, miro modo, dum revenerint,

merantur et eos pro strenuissimis militibus tenent. Et lli dubium, si orientales possent nostrum frigus adeo ne sustinere, sicut nos orientales eorum calores, numquam olonia nostra careret hospitibus orientalibus. Videmus enim, m quanta turma Ungari Coloniam veniant tempore ostensionis liquiarum in Colonia et Aquisgrani. Insuper aliquando con-git, quod peregrini de partibus et terris trium regum veniunt m suis turmis in Jerusalem, quando nostri de occidente niunt ad eandem, et tunc per interpretem (254 A) petunt nostris, an aliquis sit ibi de terris Coloniensium, et si re-ererint aliquem, emunt ab eo omnia, quae possunt de ejus bus habere, et praecipue illa, quae sunt in civitate Colo-iensi facta, bursas, ligas, pileos, calceamenta et quasque estes usque ad camisias, et duplo pretio solvunt et ad rientem pro reliquiis ducunt. Si autem annulos aut aliqua lenodia, quibus sanctorum regum corpora fuissent contacta, ali-uis illis vendere voluerit, decuplum pro pretio habebit. Si vero uis lapillos de ecclesia vel sepulchro trium regum habuerit, t eis vendere voluerit, lapides pretiosos, aurum et argentum i commutatione recipiet. Interrogant etiam per interpretem iligentissime a peregrinis nostris de dispositione patriae Co-niensium, de civitatis Coloniensis magnitudine, de ecclesia sa principali et de sepulchris trium regum, et suis libellulis evote ad verbum inscribunt, sicut nos terrae sanctae et ci-itatis Jerusalem et ecclesiae sepulchri dominici annotamus ispositionem.

Saepe multi simul orientalium conjurant et aggrediuntur eregriuationem in occidentem, sed antequam ad nostras patrias erveniant, deficiunt et pereunt. Illi vero, qui peregrinationem ccidentis perficere possunt et reversi fuerint, magni semper putati sunt. Si ergo tantum venerantur orientales trium egum terram, in qua eorum monumentum est positum, quid irum, si occidentales terram dominici sepulchri et regis regum nnium in honore reservant? Sic ergo diem illum deduxi am non paucis sudoribus et laboribus, colligendo lapides de cis sanctis. Emi etiam eodem die tres mappas pretiosas ad ecristiam nostram pro operimento calicis, quando eportatur subdiacono, et quando patenam elevatam tenet: una est

alba, altera blavia, tertia gilba. Has mappas ad omnia loca portavi et saepe eas super dominicum sepulchrum explicavi, et super rupem crucis et super sepulchrum beatae Virginis et super praesepe Domini, et caetera, ut ex contactu sanctorum locorum sanctiores et per consequens cariores (fierent).

Generalis peregrinatio et ultima per loca sancta.

Vicesima tertia die mane ante lucem convenerunt omnes peregrini, prout sibi condixerant, in atrium ecclesiae S. sepulchri ad faciendam unum generalem et ultimum circuitum per omnia loca sancta in Jerusalem et per ejus circuitum. Sic ergo cum magnis laboribus ante prandium visitavimus loca sancta in civitate et in valle Josaphat et in monte Oliveti, post prandium vero circumivimus loca sancta vallis Silone, montis Gyon et montis Syon superius et inferius. Cum autem sero esset factum, intromissi sumus in ecclesiam dominici sepulchri et juxta morem per loca sancta processionem fecimus et juxta monumentum Domini vigilavimus illa nocte etc.

De sexto et ultimo ingressu et pernoctatione dominici sepulchri in Anastasi, i. e. in ecclesia resurrectionis Domini.

(B) Die XXIV. vespera praecedenti iterum peregrinis petentibus intromissi sumus in ecclesiam resurrectionis Domini et cum majori devotione et frequentia illa nocte loca sancta visitavimus, quam aliis vicibus feceramus, propter instantem nostrum recessum et separationem ab eis. Cum autem illuxisset dies, quae erat dominica XIII. post Trinitatis et festum S. Bartholomaei apostoli, cantavimus Officium Missae in dominico sepulchro, ordinatus autem ego fui ad Missam cantandam. Stabam ergo sacris indutus in dominici sepulchri interiori specu ad tumbam sanctissimam, quae pro altari parata erat, et in jubilo alta voce cantabam, et Conventus cum peregrinis stabant extra et mihi respondebant. Cum ingenti gaudio Officium hoc cantavi, et videbatur mihi, quod vocem magis claram et altissimam haberem, quam alias. Non modicam

habeo gloriationem, utinam non vanam, in illa Missa, quia credo, quod in multis annis et forte numquam, aliquis frater Ordinis Praedicatorum Officium cantaverit in dominico sepulchro, nisi ego. Et gaudeo hodie, quod mihi tanta gratia est singulariter reservata; utinam me gratum ei reddat, qui ex hoc loco gloriosus resurrexit a mortuis.

Missa finita discurrimus non sine singultibus et tristitia per loca sancta templi Domini et eisdem locis cum lachrimis valefecimus. Durum enim nobis erat, separari a dulcissimis et nobis dilectissimis locis illis, propter crebras consolationes, quas circa loca illa sanctissima in eorum deosculatione percepimus. Deosculatis autem locis sanctis exspectavimus dominos Mauros, quando venirent et nos ejicerent de ecclesia, sicut prius fecerant semper, sed longe tardabant, de quo mirabamur et tristabamur, timentes, ne forte ex industria nos captivos retinere vellent et causam aliquam contra nos excogitassent Interea venit ad ostium templi servus Calini majoris (254 A) et per foramen dixit nobis, quod dominus Calinus Trutschelmannus noster paratus esset et cum camelis et asinis nos exspectaret, ut nos de Jerusalem duceret ad inchoandum peregrinationem montis Synai. Hoc cum audivissemus, impatientes magis effecti sumus de nostra diutina detentione. Dum autem esset prope meridiem, venerunt domini Mauri clavigeri dominici sepulchri et nos emiserunt. Et statim ad loca nostra nos contulimus et cum festinantia prandium sumsimus et ad recessum nos disposuimus modo, quo subjectum est post descriptionem duorum templorum et civitatis Jerusalem. P. II. fol. 2 A.

Explicit totalis peregrinatio Jerosolimitana.

Quamvis ex praedictis sparsim possit haberi descriptio civitatis sanctae Jerusalem, hic tamen singulariter eam describam et statum ejus, non quidem recitando, qualis ab antiquo fuerit, sed qualis nunc sit. Multiplex enim invenitur ejusdem civitatis descriptio secundum ejus antiquam faciem, ut in Josephi libro VI. de bello Judaico Cap. 8. Et Magister in Speculo Historiali, L. 26. c. CIII. et dominus Antonius in Chronicis Part. II. T. 16. c. 13. et cap. 6 etc. et in supplemento chronicor. L. 8. fol. 15. et Frater Burcardus Ordinis Praedicatorum in libello descriptionis terrae sanctae eam civitatem luculenter describunt. Nonnulli etiam antiqui et moderni ejus formam in chartas depinxerunt, et ita tam in scriptura quam in picturis potest videri figura desiderabilis civitatis, de qua et ego conabor aliquid explicare. Si enim oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea, adhaereat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. Sed ut hoc clarius facere valeam, annexui descriptioni civitatis sanctae descriptionem templi Domini, quod nominant Salomonis, et templi ecclesiae sancti sepulchri, quod vocant Anastasis. Sine enim illorum duorum templorum descriptione non potest notificari status civitatis sanctae, cum omne bonum civitatis et omne malum a templis illis processerit, omnis ejus aedificatio et destructio, omnis ejus sanctitas et malitia ab eis dependet, secundum Chrysostomum. Occupant etiam illa duo templa magnam civitatis partem cum suis atriis. Ideo in civitatis descriptione concurrere necesse est.

Desriptio civitatis sanctae

JERUSALEM

secundum ejus modernum statum,

et est

Tractatus VI.

et ultimus partis primae Evagatorii.

(255 A) Jerusalem civitas, metropolis nobilissima ac vetustissima, principium suae existentiae sumsit a constitutione mundi 2242., ante incarnationem verbi annis 2957. Fuit autem constructa statim post diluvium Noae per ejus primogenitum Sem. Hic Sem, secundum Doctorum traditionem, vixit usque ad tempora Abrahae, et fuit Melchisedech, rex Salem, sicut habet Hieronymus ad Evagrium et Magister in Spec. Histor. et Josephus, vol. 1. fol. 178. Nutu autem Dei post diluvium ad hunc locum venit et fanum illic construxit, quod Salem nominavit, quod interpretatur justitia vel pax, vel consummationis perfectio, vel tollens mortem. Erat etiam Melchisedech primus et summus sacerdos Dei altissimi, offerens in fano, quod in monte Calvariae construxerat, panem et vinum, a quo etiam sanctissimus pater Abraham benedictionem accipere meruit, cui obtulit etiam primitias et decimas Abraham patriarcha, ut habetur Genes. XIV. De isto sacerdote habes supra fol. 116 et fol. 123. Et quantus sit, habes ad Hebr. VII.

Hic ergo locum hunc Deo dedicavit et sanctificavit, ita, quod ad ejus tempore usque ad hunc diem civitas sancta fuit,

nec Deus in ea umquam in multo tempore in pace habitare permisit peccatores, sicut patet discurrenti per totius Bibliae historias et per chronicas et legendas.

Veruntamen ratio consulit, quod etiam temporibus Adae protoparentis nostri in monte civitatis sanctae fuerit aliquod oratorium in Calvariae loco, quia sicut Adae revelatus fuerat humani generis redemtor et modus redemtionis et tempus: sic et locus. Et quia redemtorem vivens videre non poterat, nec tempus Christi exspectare valebat, ipsum locum redemtionis magnifice honorabat eumque crebrius visitans orationes fundebat, et filii ejus. Tandem cum adesse tempus mortis suae conspiceret, emigravit ab Hebron, ubi domicilium habebat, et in locum Calvariae adscendit ibique mortis debitum solvit, quia Christum, secundum Adam, in eo loco morte sua mortem a se illatam peremturum agnovit. Ejus corpus transtulerunt filii sui in Hebron, in speluncam duplicem, demto capite, quod in loco Calvariae mansit; quapropter eum locum in veneratione habebant filii ejus. Et credibile est, quod sicut Sem, filius Noae, post diluvium ibi fanum habebat: sic et ante diluvium oratorium ibi erat. Imo etiam Abraham ibi arietem pro filio immolabat. De his hebraica habet traditio et Ambrosius et Chrysostomus et Hieronymus et Chronicae. Et licet Glossa Matthaei 27. dicat, mentiri eos, qui asserunt, Adam in loco Calvariae sepultum, non tamen obstat dictis nostris, quia concedimus, corpus ejus sepultum esse in Hebron, ut habetur Josuae XIV., caput tamen ejus mansit in loco Calvariae, Deo sic ordinante et Ada sic a filiis petente, dum moreretur. Ex quibus omnibus hoc infero, quod etiam ante diluvium in loco civitatis Jerusalem fuit ad omne minus Oratorium et fanum, non absque hominum cohabitatione. Singulariter tamen locus Calvariae semper fuit habitus sanctus usque ad Romanorum tempora, qui in odium Judaeorum eum deputaverunt ad torturas et peremtionem maleficorum. Sed Christo in eo exciso omnis sanctitas est loco restituta, jam in aeternum mansura. De hoc loco habes fol. 115. et fol. 130.

Pro diversitate ergo personarum et temporum accepit haec civitas diversa nomina. Dicitur enim Salem, Genes. XIV. et quandoque Solima a poetis nominatur, et Jebus, Josuae

XV.; Jerusalem, Judicum XIX.; Jerosolyma, Matth. II. et Luza; Area Arnae 1. Paral. XXII., et ita etiam nominat Hieronymus de distantiis locorum; Ariel, Esa. XXIX.; Filia Syon, Zachar. IX.; Civitas sanguinum Ezech. XXII.; Civitas quaesita, Esaiae LXII.; Civitas Dei, Psalm. 87.; Civitas fortis, Esaiae XXVI.; Solium Domini, Jerem. III.; Domina gentium, Threnor. 1.; Princeps provinciarum, Thren. 1.; Vallis visionis, Esaiae XXII., et ibi vide Nicolaum de Lyra; Sodoma, Apocal. II.; Aegyptus etiam nominatur Apocal. II.; Castellum, Matthaei XXI.; Helia, ab Helio Adriano Imperatore. Et Hieronymus saepissime et quasi semper Haliam eam vocat, et Graeci eam hodie Haliam nominant et Capitolia. Sic eam nominat Ptolomaeus. Dicitur etiam Algariza, i. e. mons altissimus ab Eusebio. Akossa nominant eam Sarraceni. Sed nos Latini nominamus eam vel Jerusalem, vel Jerosolymam, vel civitatem sanctam, vel toti civitati nomen partis damus, dicentes eam sepulchrum sanctum. Haec civitas semper fuit minor maximis, et major mediocribus; et hodie ita est, ut sua magnitudine non sit fastidiosa, nec parvitate angusta, non minor existens, quam nostra Vindelica, quae est Sueviae Augusta in Rhaetia sita, ut quidam putant. De hac vide supra fol. 226. A. Murorum ambitum eundem nunc habet, sicut reliquit eam Helius Adrianus Imperator, ut patebit. Ambitum ejus vide supra fol. 225. A.

Portae multae erant olim huic civitati, octo tamen principales fuisse ex scripturis deprehendimus; et si plures fuisse legantur, hoc est ideo, quia una et eadem porta plura habuit nomina; vel praeter portas fuerunt alia ostiola, quorum illa fuerunt nomina. Porro moderno tempore non nisi quinque portas potui invenire. Contra orientem habet portam auream, quae iam obstructa est, de qua vide supra fol. 141. A. Inter orientem et austrum habet portam sterquilinii, de qua supra fol. 226. A. Ad austrum habet portam fontis, per quam est descensus ad fontem Syloe. Ad occidentem habet portam negotiatorum, vel piscium, de qua supra fol. 92. B. Ad aquilonem est porta Effraim, quae dicitur porta sancti Stephani, et est longum spatium a porta piscium usque ad portam S. Stephani, quia porta piscium stat prope angulum, ubi murus

australis jungitur occidentali, (256 A) et tota longitudo muri occidentalis non habet aliam portam usque ad portam sancti Sephani, quae est in muro aquilonari, prope angulum, ubi ei jungitur murus orientalis. Johannes in Apocalypsi cap. XXI. vidit in coelesti Jerusalem XII portas, quas numquam habuit civitas illa.

In circumferentia murorum et moenium fuerunt quidem turres, quarum vestigia deprehendimus, verum Sarraceni eas dejecerunt, et intra civitatem juxta muscheas alias turres erexerunt pro ritu eorum. Non enim curant de munitionibus civitatum, sed introitus et aditus in regionem magno studio observant. Murus civitatis et moenia olim per gyrum erant XXXIII stadiorum, ut Josephus habet L. VI. c. 8., et fuit olim valde firmus et duplex, ut videre est fol. 225. B. Fossata habet a parte occidentali et aquilonari, a parte vero orientali habet vallem Josaphat, et a parte meridionali habet vallem Syon.

Ab intus est civitas montuosa et inaequalis in alto consistens. Ibi eminet mons Syon, ad cujus clivum aquilonarem magna pars civitatis dependet. In accubitu autem montis Syon consurgit mons Calvariae, qui templum sancti sepulchri sustentat cum magna civitatis parte. Est et ibi mons Moria, in quo est templum Domini cum principali civitatis parte; et ideo per totam civitatem est ascensus et descensus. Isti tamen montes non in altum supra extenduntur, sed sunt capita lata principalis montis, in quo civitas sancta est, eamque inaequalem reddunt. De hoc monte totali dicit Psalmus LXXVIII.: Et induxit eos in montem sanctificationis suae, montem, quem acquisivit dextra ejus. Sicut enim civitas Basileensis montuosa est, sic et haec. Habet enim Basilea montem sancti Leonhardi pro monte Syon, et montem sancti Petri pro monte Calvariae, et montem sancti Martini pro monte Moria, quamvis sit longa dissimilitudo in figura et situatione inter illam et istam.

Magnam partem, ut supra dixi, civitatis occupant illa duo celeberrima templa saepe dicta, templum Domini, quod nominant Salomonis, et templum sancti sepulchri, cum eorum amplis atriis et domiciliis eis adjunctis. Et cum hoc sunt per

ırbem dispersim multae schismaticorum ecclesiolae et multae Sarracenorum muscheae et Judaeorum synagogae et tabernacula Samaritanorum.

Principales vici sunt testudinati, sub quibus ab utraque parte sunt pategae negotiatorum, vel coquinae cocorum; in aliis vicis resident mechanici.

Domus civitatis ut in plurimum sunt muratae, et aliqua pauperum tuguria sunt luto facta; magnas tamen et notabiles domus in ea vidi. Verum civitatis magna pars est desolata, et domus ruinosae et sine habitatore. Unde etiam cadavera camelorum, equorum, asinorum, canum etc. non foris eduuntur, sed ad deserta loca intra moenia intra ruinas domorum projiciuntur. In locis tamen, ubi habitatur, sunt populi multi congregati de omni natione, quae sub coelo est, sicut etiam legitur Actor. II. Sunt etiam ibi plus quam quingenti Judaei, et ultra mille Christiani, de omni secta et terra; sed de nullo ritu sunt pauciores, quam Latinorum.

Aquas proprias non habent, nisi quas coeli in illam stillant, vel quas industriose a longinquis per gurgites inducunt, sicut patet fol. 249. B. Multa sunt in civitate aquarum receptacula, piscinae, lacus et infinitae cisternae et fossae, ita ut satis ab intus redundat aquis. Rex Aegypti, Soldanus, est ibi dominus, et praeponit populo terrae praefectos, et peregrinis (EE) et advenis Christianis et Judaeis Trutschelmannos, et bellatoribus Mamaluccos; et ita potentia civili regit populum, quasi regimine despotico. Hanc a sui principio usque nunc omnes, qui scripturas legunt et historias, infortuniis multis fuisse subjectam, inveniunt. Saepissime incensa fuit, et populus populum debellans expulit, et multoties funditus eversa (est). Vastata enim fuit a Nabuchodonosor, rege Babyloniorum; postea ab Asobeo, rege Aegyptiorum; deinde ab Antiocho; postea a Pompejo. Post hos Herodes Magnus et Sosius captum oppidum servavere. Deinde Titus eam penitus destruxit et evertit, fundamenta enervans post Domini passionem. Dereliquit tamen quasdam turres firmiores et murum occidentalem, ut posteri cernerent, quam munitissimam civitatem Romanorum virtus obtinuisset, et ut esset castrum illis, quos custodiae regionis relinquere decreverat. Quanta

in illa subversione civitatis et filiorum ejus fuerit miseria, non est, qui legit Josephum de hoc loquentem, et non horrescat. Hujus calamitatis et excidii [causa] Flori praefecti inhumanitas fuit, qui Judaeos in Jerusalem innumeris attriverat malis, propter quae lacessiti res novas contra Romanos movere tentarunt et facto impetu multos Romanorum interfecerunt, et Cestium Syriae praesidem extra provinciam ejecerunt. Sed et ipsi Judaei in civitate ipsa partiales facti, in tres partes divisi sunt, et in urbe ante Romanorum adventum caedes crudeles et incendia in invicem fecerunt et seditionibus implacabilibus die noctuque corrixaverunt. Quorum malorum causa meritoria fuit Johannis Baptistae decollatio, Jesu Nazareni crucifixio, Jacobi Apostoli interfectio; quae omnia lamentabili sermone in longum deducit Josephus de bello Judaico.

Post illam devastationem civitatis, quae facta fuit XLII. anno post Domini passionem, factus fuit locus habitaculum latronum et siccariorum multis annis, usque ad tempus Helii Adriani Imperatoris, qui audiens inquietudinem loci venit, reaedificata dissipavit anno Domini CXXIV. et inquietos ex ea perdidit. Sed postea consideravit ibi oportere esse civitatem, rediit anno Domini CXXXIX. eamque renovavit et augmentavit, includens moenibus civitatis loca dominicae passionis et resurrectionis, ut in sequentibus clarius patebit, et civitatem novam fecit, vocans eam ex suo cognomine Heliam.

Post hanc ultimam constructionem non legimus eam funditus eversam, sed saepe in partem destructam, et populum ejus in captivitatem ductum, nec umquam est mota a suo loco, ut Gregorius videtur dicere in homilia: Videns Jesus civitatem flevit; sed est ampliata, ut dicetur et saepe iam in praecedentibus dictum est.

Quamvis autem sancta haec civitas multis et inauditis calamitatibus attrita sit, numquam tamen nec ejus initium, nec ejus status in oblivionem venit, sed ut memoriale perenne jugiter apud cunctas nationes mundi perseverat. Quod tamen de celeberrimis mundi civitatibus, Roma scilicet et Troja, longe aliter contigit. Nam quis conditor urbis Romae fuerit, a nullo umquam pro certo sciri potuit, propter diversitatem,

de hoc initio loquentium, ut dicit auctor de mirabilibus mundi; cum Sallustius dicat, eam a Trojanis constructam, et Eusebius a Romulo, et caeteri ab aliis, et per consequens nescitur, quo temporo esse civitas inceperit. Nostrae autem sanctae Jerosolymitanae urbis conditor et tempus conditionis, sacris litteris et auctoribus demonstratur, ut superius patuit. Esto tamen, quod Romulus ille parricida Romam condiderit praedis et latrociniis, ut refert Orosius de illo, longe tamen post Jerusalem condita est, tempore Ezechiae regis Juda, (251 A) post conditionem urbis Jerusalem annis duobus millibus CCXXX (2230.), ante Christi nativitatem annis DCCLI, anno vero mundi 4484. Et mirum est, quod tantae urbis initium ignoratur, de qua Hieronymus ad Paulinum dicit: habuit illa aetas inauditum omnibus saeculis celebrandumque miraculum, ut urbem tantam ingressi aliud extra urbem quaererent. Troja vero, teste Homero IV., erat omnium, quae sub sole et stellifero coelo sunt, urbs quidem insignissima, sed ita deleta est, ut Ovidius dicat: Jam seges, ubi Troja fuit. Et quod his amplius est, quo in loco Troja fuerit, nulli nunc compertum habetur. Ita enim ingens Troja, quae erat totius Asiae columen, exstincta est, ut neque cadaver nec vestigium eius appareat. Insuper et locum, in quo quidam Trojam stetisse suspicantur, in Hellesponto, dicunt penitus nullam proportionem habere ad hoc, ut possit civitas nobilis ibi stare. Sed non ita de nostra sancta Hierosolyma, quae annis mille CCCCLXXXIII ante Trojam est condita et usque hodie insignis habetur. Troja enim tempore Ajoth, judicis Israel, Judicum III., fuit condita, aliqui dicunt in Hellesponto, aliqui in Dardania a Tros quodam sic dicto; et anno 250 a sua conditione fuit destructa, sub tempore, quo judicavit Abdon Israel, de quo judice habetur Judic. XII. De Troja vide Part. II. fol. 174.

Est enim Jerusalem una de vetustissimis mundi civitatibus, ut patet supra fol. 255. Antiquior enim quam Treviris annis mille et VIII. Trojam excedit annis mille 483. Romam vero duobus millibus ducentis XXX, et usque hodie perseverat, quoniam Dominus Deus elegit eam. Igitur dicitur in Psalmo: Elegit eam in habitationem sibi, dicens: Haec

Jerusalem requies mea in saeculum saeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Et in 2 Paralip. VI.: A die, qua eduxi populum meum de terra Aegypti, non elegi civitatem de cunctis tribubus Israel, nisi hanc. Et alibi: Elegi locum istum, ut sit nomen meum ibi usque in sempiternum. Sed diceret aliquis: Fateor, Jerusalem fuisse civitatem electam et sanctam ante Domini mortem, sed tanto scelere ibi perpetrato indignum videtur, nominari sanctam, sed profanam et immundam etc. Ad hoc respondet Jeronymus ad Haedibiam in quaest. de clamore Domini in cruce dicens: Nulli violentum esse videatur, mortuo Salvatore appellari Jerusalem sanctam civitatem, cum usque ad destructionem ejus semper apostoli templum ingressi sint, ob scandalum eorum, qui de Judaeis crediderant, legis exercuerint ceremonias. In tantum autem Jerusalem amavit Dominus, ut fleret eam ac plangeret, et pendens in cruce diceret: Pater, ignosce illis etc. Haec Hieronymus. Sed in epistola Paulae et Eustachii ad Marcellam valde late de hoc disputat, et multa de laude terrae sanctae et Jerusalem ibidem dicit.

De laude civitatis sanctae, ut illam extollant, tradiderunt Judaeorum Rabbi mira mendacia. Unde Rabbi Johann dicit: eam altius elevandam tribus leucis. Sed Rabbi Rava dicit: Quod prima Jerusalem habuit tres leucas in altitudine. Et quando dicebatur ei, quod labor erat ascendentibus, respondit: non ibant, sed volabant, juxta id: qui sunt isti, qui ut nubes volant? Rabbi Relachis ampliora mendacia addit, dicens: Quod Deus addat sacrae Jerusalem 269 milliarium viridariorum, et 210 milliarium turrium, et 146 millia magnarum navium, et 300 millia parvarum navium, quas borgas nominant, et in qualibet erant tot fora, quot fuerunt in Tripoli tempore suae pacis. Alius mendax Rabbi Joce dixit: Quod Jerusalem habuerit 140 millia fororum, in quibus solum vendebatur ciborum variorum delectatio. Nam eorum Rabbi crapulosissimi erant, adeo crassi et praepingues, ut musca insidens fronti, cum figere se non posset, et aliquibus capilli percrassi, ne cadebant. Ideo glossa dicit: Jerusalem praedicabant pro solatio crapulositatis eorum. Haec ex talmudicis

itatibus. Sed est hic circa finem considerandum, quod
it non propter locum gentem, sed propter gentem locum
git Dominus, ut dicitur 2 Maccab. V.; sic non propter
itatem templum, sed propter templum civitatem elegit
minus. Idcirco nunc de templis agendum erit.

De templo Domini, quod dicitur Salomonis et Halachibis et Bethel.

Civitas Jerusalem gloriosa et sancta est ex templis, de
bus etiam redditur major in magna quantitate. Sublatis etiam
ea duobus templis cum attinentibus capellis et muschheis,
il remaneret nisi vile oppidum, quod etiam in nostris civi-
bus est. Tollantur ecclesiae, monasteria et capellae cum
nentiis de Colonia, remanebit civitas parva. Sic et Vene-
: si tollerentur monasteriá et ecclesiae, non magnum
ıaneret oppidum.

De templis ergo Hierosolymitanis locuturus primo de
ustiori erit dicendum. Scimus ex sacris litteris, quod cum
minus terram Canaan promitteret patribus nostris, insinua-
, esse in terra illa locum quendam pro templo et sacrificiis,
ım electurus sit, et eis (E) suo tempore demonstraturus
n sit. Unde Deuter. XII.: Cum ingressi fueritis terram,
ım Dominus dabit vobis, subvertite omnia idola de cunctis
is. Vos autem non facietis in cunctis locis altaria et sacri-
a, sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester, ut
nen suum ibi habitet, et veniatis et offeratis in illo
ocausta et vota vestra. Cave, ne offeras holocausta
in omni loco, sed tantum in eo, quem elegerit Dominus,
illum perges cum primitiis et decimis tuis, et ibi confite-
is coram Domino Deo tuo. Haec ibi. Ubi autem locus
esset, Dominus non demonstravit usque ad David regem,
per Angelum demonstrata fuit area Arnan Jebusaei in monte
rija. Hic Arnan erat gentilis Jebusaeus, dives, et mag-
n partem civitatis possidebat. David ergo aream demon-
ıtam sibi emit ab eo et altare ibi jussu Angeli erexit et

Salomoni filio suo commisit in eodem loco aedificare templum. De his habes 2. Reg. XXIV. et 1. paralip. XXI. et manifestius 2. Paral. III.

Sed hic incidit quaestio, quamvis extra propositum evagatorii nostri, et est illa: quare Dominus locum illum non nominatim expressit, ut, sicut dixit: perges ad locum, quem Dominus elegerit, et ibi offeres; dixisset: perges in Jerusalem ad montem Moria, quem elegit ad sacrificia. Respondeo, hoc factum est propter tria. Primo, ne gentes appropriarent sibi locum. Nam si fuisset auditum in gentibus nomen loci, statim ibi templa et fana construxissent, nec dubium, si Jebusaeus aream suam scivisset esse a Domino coeli nominatim electam, eam nullatenus ipsi David vendidisset, vel si vendere voluisset, non nisi pro maxima auri summa eam dedisset. Secundo, ne gentes incredulae et infideles locum hunc magis dehonestarent et in Dei contemtum foedarent. Tertio, et ratio melior, ne filii Israel pro loco illo certarent et quaelibet tribus conaretur sortem habere in termino illius loci et propter hoc contentiones facerent in terrae divisione. Josua enim, distributor terrae sanctae, si locum electum scivisset, nequaquam possessionem in monte Ephraim accepisset, sed montem Syon, cui adhaeret mons templi, pro se elegisset. Et si suis temporibus cantum illum audivisset psalmisticum: Repulit Dominus tabernaculum Sylon et tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Juda, montem Syon, quem dilexit, non utique fecisset partem suam deteriorem eligendo, quem Dominus repulit. Si ergo locus expressus nomine fuisset, intolerabilis contentio in tribubus exorta fuisset, et si non pro loco, tamen pro vicinitate loci, sicut videmus, quod homines libentius morantur in domibus prope ecclesiam, ut sine labore et fatigatione ad eam transeant. Nec tribus Ruben, Gad et dimidia Manassis elegissent possessionem trans Jordanem, si distantiam tantam inter se et templum aedificandum scivissent. Et ideo non fuit locus demonstratus, nec templum aedificatum, quousque esset rex potens, qui posset litigia compescere, et remotiores ad visitationem templi compellere etc. Aliud dubium incidit: quare in Veteri Testamento non fuit nisi ille unicus locus designatus pro templo et sacrificiis, et in Novo in omni angulo

permittitur capellas erigere, sacrificare, et Missas legere? Dicendum, quod hoc idcirco factum est, ut ostenderetur, quod cultus veteris legis corporalis non erat Deo per se acceptus, ex opere operato, et ideo compescebatur, ne ubique offerrent, sed tantum ibi. Cultus autem novae legis, in cujus sacrificio spiritualis gratia continetur, est secundum se Deo acceptus, ex opere operato et ex opere operante. Ideo multiplicatio ecclesiarum, altarium et sacrificiorum in nova lege acceptantur. etc.

(**258A**) Igitur Salomon quarto anno regni sui templum illud toto orbe celeberrimum aedificare coepit et VIII annis complevit, ut dicitur 2. Paralip. II. Aedificabatur autem hoc templum anno a mundi constitutione 4169, a nativitate autem Christi futura 1033, ab egressu filiorum Israel de Aegypto anno 1480. Erat autem templi illius longitudo cubitorum geometricorum LX, latitudo XX, altitudo CXX. Ejus intrinsecus totum laminis aureis inaurari fecit, et pavimentum pretioso marmore strari. Altare quoque aeneum cubitorum XX longitudinis in eo fabricatum fuit. De hoc templo vide pulchra in Cusa de ... [?] l. 9. c. 4.

Vasa ad templi cultum necessaria ex auro pretiosissimo fuerunt confecta. Intulit praeterea Salomon aurum et argentum multum, quod David devoverat. Et peractis rite omnibus illud celeberrimo ritu Domino dedicavit, inferens in id arcam testamenti Domini, in qua duae tantum tabulae testamenti erant, et urnam habentem Manna, et virgam Aaron. Et deinceps solum licebat ibi sacrificare in hoc templo, quamvis populus longo post tempore sacrificaret in excelsis, de quo pluries reprehenduntur reges Jerusalem, quod stante templo excelsa non abstulerunt. Porro evolutis 442 annis a constructione templi videns Jeremias propheta, imminere finem templi, tulit ex eo arcam foederis, et transtulit eam trans Jordanem in vallem sub montem Abyrim, quae dicitur Galmoab, sicut dictum est fol. 243 B, et precibus eam absorberi fecit in petra, petram vero digito designans impressit Dei nomen tetragrammaton, et factum est sigillum in similitudine sculpturae, quae ferro

cavatur, et ipsum Domini nomen nubis operimento ita celatum est, ut externe nec locum quis cognoscere queat, nec ipsum nomen legere usque in hunc diem et usque in finem, nec aliquis arcam educere poterit, nisi Moyses et Aaron. De his habetur 2. Maccab. II. et in Spec hist. in libro Tobiae ante finem. Translata autem arca Domini, quae erat gloria templi, venit Nabuchodonosor et cepit Jerusalem et Sedechiam regem, et combussit eam cum templo Domini, ut habetur 4. Reg. IV., et populum terrae transtulit in Babylonem. Et stetit locus civitatis et templi desertus LXX annis usque ad tempus Darii, regis Persarum, qui indulsit Judaeis reaedificare templum, et sub Cyro rege consummatum fuit opus in XLVI annis, ut habetur Joh. II. Hoc autem templum secundum non fuit simile primo in pretiositate; ideo Judaei, qui primum templum viderant, flebant, ut habetur Esdrae III. Iacta sunt autem fundamenta sub principibus Sorobabel et Salatiel, ante nativitatem Domini DXV annis.

Hoc templum, quamvis saepe fuerit spoliatum et profanatum per gentes, et lignea aedificia incensa, mansit tamen integrum usque ad aurea tempora Domini nostri Jesu Christi, qui in eo et mira praedicavit, et stupenda gessit, ut sacra Evangelii tradit historia. Quod hoc templum solemne fuerit elevatum magnis aedificiis patet ex Evangelio Marci XIII. ex verbis Domini; mansit autem templum post passionem Christi XLII annis. Et totum tempus a secundo anno Darii, regis Persarum, quo fundatum fuit templum, usque (ad) destructionem ejus per Titum, computatur DXC annis. A fundatione vero templi Salomonis usque ad ultimam desolationem per Titum perfluxerunt anni MCII.

De computatione annorum: nempe ab Adam usque ad diluvium MMCCXLII. fluxerunt. A diluvio ad Abraham anni nonginti XLII. Ab Abrahamo usque Mosen, qui eduxit Israel de Aegypto, computantur anni quingenti. A Mose ad Salomonem et primam aedificationem templi anni CCCCLXXII. A Salomone usque ad restaurationem templi sub Dario, anni quingenti XII. A Dario usque ad praedicationem Christi anno XV. Tiberii Caesaris sunt anni quingenti XLVIII. Omnes

anni usque ad praedicationem Christi quinque milia CCXVIII sunt. Ysidorus autem dicit, cessante Judaeorum regno et sacerdotio nascitur Christus in Bethlehem anno XLII Caesaris Augusti, cui adrestabant XV anni, si regnavit LVII annis. Post eum regnavit Tiberius annos XXIII et ejus XV. anno Christus baptizatus est, cum esset XXX annorum; et anno Tiberii XIX. Christus crucifixus est. Ambrosius dicit: ab orbe condito usque ad Jerusalem conditam anni sunt 4484; ab urbe condita vero, Roma, usque ad nativitatem Christi anni sunt septingenti quindecim.

Titus vero obsidens Jerusalem primo templum incendit et deinde totam civitatem combussit, et muros templi funditus evertit montemque ejus, in quo stabat, abradi fecit et per praeceps in torrentem Cedron projici mandavit, fossata complanavit, coaequans terrae, ut patet de bello judaico Libr. VII. Cap. 16. et alibi saepius.

(B) Josephus dicit, in illa civitatis exterminatione Judaeorum undecies centena millia fame et gladio periisse et alia centum millia captivorum publice venundata, quia civitas plena Judaeis fuit, qui ad paschalem solemnitatem celebrandam confluxerant; nec aliquis Christianus his calamitatibus aderat, omnia ut dicit Eusebius Caesariensis in Ecclesiastica Historia L. III. C. IV. in fine. Ecclesia, quae in Jerusalem fuerat congregata, responso a Domino accepto emigrare jubetur et transire ad oppidum quoddam, Pellam nomine, de quo supra fol. 244 B., trans Jordanem, quo ablatis ex urbe sanctis et justis viris vindictae coelesti fieret locus tam de urbe sacrilega, quam de populo impio per excidium patriae eversionemque sumendae. Cum autem Romani ab urbe Jerusalem ad solum deductae recessissent, Judaei, qui fuerant in abditis absconditi, reversi sunt in locum et tuguria erigentes, in quibus habitarent, in loco, ubi templum steterat, oratorium construxerunt humile. Sed et ecclesia de Pella ad locum rediit gratia Deo serviendi. Iudaei etiam nondum calamitatibus satis fracti seditiones concitabant, quibus fideles et gentiles ibi habitantes cottidie perturbabant, erant enim siccarii crudelissimi, et jam ad terram prostratam et in sanguine tabefactam Jerusalem novo cruore perfundebant. Et sub his malis stetit locus

circiter LXXVII annis, quo imperium sumsit Helius Adrianus anno Domini 119. Qui mortuam Jerusalem repalpitare audiens accelerato itinere ad locum venit mari transmisso. Invenit autem ibi multos Christianos pariter et Judaeos sibi ipsis contrarios propter diversum cultum, et utriusque cultus, utpote gentilis et idololatra, oditor fuit. In locum ergo ubi Judaei oratorium struxerant, ubi quondam arca Domini steterat, posuit suae imaginis statuam, ut locum ipsis Judaeis abominabilem redderet. In locum autem petrae Calvariae, ubi crucifixa fuerant, collocavit statuam Veneris et in specum dominici sepulchri posuit idolum Jovis, ut Christianis loca illa exosa faceret, siccarios autem et latrones repertos in loco trucidavit, effugavit et multos vendidit, et fortalitia et muros a tempore devastationis derelictos destruxit et omnia dissipavit et abiit derelinquens ibi provinciae custodes. Qui dum cum exercitu dorsum provinciae verterent, ut Romam remearent, congregati Judaei sunt in locum Jerusalem et consilio inito columnam Caesaris, quae suam imaginem gestabat, de loco templi, ubi eam Imperator posuerat, eruerunt et eam ejecerunt. Quod dum Imperator percepit commotus in iram omnia negotia postposuit, et festinus ad Jerusalem rediit, Judaeos repertos peremit et multos vendidit, eosque omnes de finibus terrae sanctae ejecit longius mittens, et interdicto publico prohibuit omnibus Judaeis ingressum illius terrae. Videns autem, locum aptum esse pro civitate, propitiatus fuit, contra Judaeos autem magis exacerbatus et ad Christianos mitior factus, aream mundavit et ruinas murorum in fossata partis occidentalis projici fecit, et complanavit, et muro circumducto locum crucifixionis et petram dominici monumenti civitati coinclusit et templum Veneris et Jovis superaedificari fecit. Super portam autem negotiatorum sive piscium posuit exsculptam in marmore suem sive porcum in Judaeorum confusionem, ne quis eorum ingredi praesumeret. Mansit autem status ille civitatis circiter annis 180. Et sicut propter statuam Caesaris locus templi Domini (259 A) idola non colentibus exosus fuit factus et alienus, ita locus crucifixionis et resurrectionis Domini in tantum, ut in oblivionem loca illa venirent. Anno vero 38., dum Constantinus Magnus imperium esset adeptus et Christianus

fectus, Helena mater ejus cruce inventa et idolis ejec-
s super loca sancta templum construxit, et conditio Chri-
ianorum meliorata est, Judaeorum vero pejor in dies effecta,
ita cum pace magna Christiani in Jerusalem Deo servierunt
V annis. Porro anno Domini CCCLXIII adeptus est im-
erium turbator pacis fidelium Julianus apostata a fide et
religionis professione. Qui audiens, quod esset in Jerusalem
:clesia solennis et conventus maximus Christianorum, venit
lac et arripuit occasionem saeviendi in Christianos et appre-
ensum sanctum Cyriacum, urbis Hierosolymitanae episcopum,
ui crucis sanctae inventor fuerat, eum crucifixit pro eo,
uia crucis gloriam praedicavit. Hoc Judaei audientes cum
ipudio et gaudio convenerunt et muneribus multis Caesaris
ivorem acquisiverunt et Christianos apud eum magis odiosos
cerunt. Excogitato autem modo, quo Christianos turbaret,
udaeos exaltare decrevit et convocatis ad se primis et opti-
is Judaeorum interrogavit, cur non sacrificarent Deo suo,
im tamen eis lex sua de sacrificiis imperet? At illi occasio-
em se invenisse temporis rati, non possumus, inquiunt, nisi
solo Jerosolymorum templo sacrificare secundum legem,
im autem iam templum non habemus in Jerusalem, sacrificare
on possumus, nec hic, nec alibi. Rogamus igitur tuam cle-
entiam, nobis indulgeri, ut templum aedificemus suo loco,
sacrificabimus pro tua et imperii salute. Accepta ergo re-
iperandi templum licentia in tantam dementiam Judaei vene-
int, ut Julianum apostatam sceleratissimum prophetam esse
lege eis promissum ubique divulgarent. Igitur ex omnibus
cis et provinciis convenere Iudaei, locumque templi olim
ne consumti aggredi coeperunt, comite operis exsequendi
imperatore concesso, sumtu publico et privato administrato,
res omni instantia gerebatur. Interea Judaei insultare
estris coeperunt et velut reparatis sibi regni temporibus
minari acrius ac saevitiam ostentare, prorsus in magno
more ac superbia egere.

Praeerat autem tunc ecclesiae Hierosolymitanae Cyrillus
iscopus, vir sanctus. Apertis igitur fundamentis lapides
andes, calces, caementa, ligna sunt adhibita, nihilque om-
no deerat, quia postero die veteribus deturbatis nova jacerent

fundamenta. Episcopus tamen Cyrillus diligenti consideratione habita, vel ex iis, quae in Danielis prophetia de temporibus legerat, vel quae in evangelio Dominus praedixerat, firmiter tenuit, quod nullo modo fieri posset, ut ibi a Judaeis lapis super lapidem poneretur. Res erat in exspectatione. Formidulosi Christiani timebant, fortes nullo modo dubitabant, Judaeos propositum perficere. Mira res! Ecce enim nocte, quae ad incipiendum opus jam sola restabat, terrae motus ingens oboritur, nec solum fundamentorum saxa longe lateque jactantur, verum etiam totius loci aedificia complanantur, et domus, in quibus Judaei commorabantur cum operariis, ad solum sunt deductae, et immanentes compressere. Luce vero orta cum se mala crederent effugisse, ad requirendos eos, qui oppressi fuerant, reliqua multitudo concurrit. Aedes autem in inferioribus templi erat demersa, habens aditum inter duos porticus, qui fuerant complanati, in qua ferramenta aliaque operi necessaria servabantur, de qua subito globus quidam (B) ignis emicuit, et per medium plateae decurrens, adustis et exanimatis qui aderant Judaeis, ultro citroque ferebatur. Hoc iterum saepiusque et frequentissime per illam totam diem repetens pertinacis populi temeritatem flammis ultricibus coercebat. Tunc cum ingenti pavore et trepidatione omnes, qui aderant, deterriti solum verum Deum Christum confiteri cogebantur. Et ne hoc contra fidem videretur, sequenti nocte in vestimentis omnium Judaeorum signaculum sanctae crucis ita evidens apparuit, ut etiam qui diluere pro sua infidelitate voluissent, nullo genere valerent abolere. Sic deterriti Judaei pariter et gentiles locum scilicet et coepta inaniter reliquere et ad propria confusi reversi sunt. Et ab eo tempore Judaei numquam ausi fuerunt quidquam attentare in loco templi. Et ita locus ille multis temporibus absque templo stetit.

Porro quo tempore et a quibus hoc templum, quod hodie stat in area sancta Arnan Iebusaei, sit aedificatum, a pluribus miratur. Verum Magister in Specul. Histor. de excitatione templi in incendiis sic dicit: templum Domini, quod modo Bethel dicitur, quis aedificaverit, nescitur. Quidam tamen aedificatum ab Helena post crucis inventionem cum templo sancti sepulchri; quidam ab Heraclio, cum de Perside

umphans crucem retulit, quidam a Iustiniano Augusto; qui-
m a quodam rege Aegypti in nomine Halachibis, i. e.
mmi Dei. Et hoc verum esse veraci reperi historia fide-
er conscriptum inter [Itinerar.] Antonini, P. II. Tit. XIII.
p. IV. §. 4. Anno etiam Domini 619, post Julianum 243
nis, regnante Heraclio imperatore et rempublicam feliciter
bernante pluribus annis, finem regiminis non bene conclusit, in
eresin enim Molechitarum [Monotheletarum] lapsus est et tur-
ter defuncta uxore sua incestu se maculavit. Quapropter
mor, rex Aegypti, Machometi successor, cum infinitis Arabum
piis Syriam et Palaestiam ingressus omnia de manibus Chri-
ianorum diripuit, et in isto tumultu civitas sancta Jerusalem
pta ab infidelibus fuit, et populum christianum in ea sibi
begit. Cum autem moram in Jerusalem faceret, Sempro-
nus, episcopus Hierosolymitanus Christianorum, sibi fami-
ris effectus est, ita, ut cum eo ingrederetur ecclesiam sancti
pulchri ad videndum ejus ornatum. Inter collocutiones au-
m quaesivit Hamor ab episcopo de loco, in quo templum,
od a Tito principe Romano cum urbe dirutum fuerat. Qui
xit eum ad aream Arnan, quae jam repleta aliis aedificiis
lgaribus erat, et ostendit ei per aliqua signa vetusti operis
huc exstantia templi Domini locum. Mandavit ergo Hamor,
ndari locum areae, et sumtibus, qui ad hoc sufficere pos-
nt, designatis ad impensam artificibus templum reaedificare
epit. Et cum fundamenta jacta fuissent, mox demergeban-
r, nec structuram erigere poterat. De quo cum Hamor
iraretur, dictum est ei a quodam divinatore, quod, quam-
u crux alta, quae in monte Oliveti ex opposito erat, ibi staret,
ructura non teneret, ea autem remota templum perstaret.
iquidem Christiani in monte Oliveti altam crucem e regione
vitatis erexerant, sub qua crebrius orabant, quorum orationes
leo efficaces erant in virtute crucis, ut infideles nequaquam
ssent suae perfidiae templum erigere, nisi cruce remota et
rationibus cessantibus. Et si Christiani tantae virtutis essent,
od illam crucem a paganis conservassent, numquam tem-
um hoc erectum fuisset; puto enim hanc crucem a sanctis
sitam in signum protectionis civitatis Jerusalem, ne in ea
mpla alieni cultus erigerentur. Audenter enim dico, quod

si templum hoc constructum non fuisset, numquam Christiani Jerusalem et suum templum amisissent; quia tanto zelo Sarraceni hoc templum zelant, ut eo stante Christiani pacem non habeant in Jerusalem; ideo melius esset a fundamentis id evellere, quam Christi nomini consecrare, ut frequentius factum fuit. De cruce praedicta habes intra ...; de templo sequitur. Structuram ergo illam intra modicum tempus perfecit et multis possessionibus dotavit. Et hoc templum stat hodie in loco ultra annos octingentos, et numquam destructum fuit ab aliquo, sed primo Sarracenorum oratorium fuit, postquam autem Christiani dominari in terra sancta iterum coeperunt, ipsum templum Christo dedicaverunt; quod potius debuissent comminuisse et in nihilum redixisse, cum sit ecclesia perditionis Jerusalem. Sed rursum etiam Sarraceni civitatem capientes templum ipsum in usum sui cultus reduxerunt, et ita aliquoties nunc in illorum nunc in istorum manibus templum praedictum pervenit, et hodie Sarraceni ipsum in maximo habent honore, ut patebit. Et ita, postquam templum hoc a paganis est constructum, quamvis saepe in libellulis legerim, a sancta Helena fuisse aedificatum, quod tamen templum hoc (260 A) mihi curiosius inspicienti non videbatur, cum illud omnino sit paganico modo factum, nec formam habeat ecclesiae christianae, nam ipsum principale ostium praebet introitum ab oriente, quod non vidi in ecclesiis Christi.

Templum Domini modernum tale est, ut hic subjicitur.

Templum Domini in area Arnan Jebusaei, in qua Salomon domum Domini aedificavit, ab Hamor Sarraceno, rege Aegypti constructum antiquo illo Salomonis famosissimo impar quidem structura, quod pagani nominant Halachibia, Christiani docti nuncupant Bethel, vulgares et indocti templum Salomonis, est domus inclita et pretiosissima, grandis et rotunda in modum turris magnae et latae; per circuitum vero rotunditatis super terram est alius murus circumiens totum templum, inter quem et templum est grande spatium, et ille murus sustentat testudinem per circuitum ab una parte, alia

pars testudinis reclinatur in murum templi, vel super columnas, de quibus consurgit templi altitudo. Ab intus enim est circulus columnarum marmorearum, supra quarum capita recurvantur arcus per gyrum, et de arcubus est murus per circuitum in altum erectus; murus autem exterior, columnas cingens, habet altitudinem columnarum, a quo, ut dixi, testudo recurvatur super columnas. In muro exteriori per circuitum sunt fenestrae magnae, oblongae, vitreae, sicut in ecclesiis, et spatium inter fenestram et fenestram est tantum, quanta est fenestra, quod spatium est de opere musaico ab extra pretiosissime depictum, ita quod campus picturae rutilat auro, ipsa autem pictura sunt formae arborum, palmarum et olivarum, et figurae Cherubinorum: non enim patiuntur alias imagines vel sculpturas ad eorum muscheas. Pars vero templi altior, quae de columnis ab intus procedit, in altum sursum erigitur, quasi ex illa iam dicta lata circumferentia cresceret. Habet supra per gyrum fenestram ad fenestram cohaerentem, quae fenestrae tamen sunt breviores, parviores inferioribus. In summitate habet tectum cameratum plumbo, quod auro quondam fuit obductum, sicut optime adhuc potest notari, et in culmine tecti stat luna cornuta, sursum cornua habens, sicut super omnes muscheas ponunt. Lunam autem ponunt in summitatibus suarum ecclesiarum et muschearum supinam, in modum naviculae, cujas una ratio est, quia Mahometistae conantur media quadam via incedere, ita, ut nec Christiani, nec Judaei videantur, et tamen ab utrisque participent. Judaei ergo cum nihil singulare super suas synagogas (ponant), nec etiam templum Salomonis legitur in culmine aliquid habuisse, nisi ipsum culmen; Christiani vero crucem cum gallo ex institutione prima habent in culminibus suarum ecclesiarum. Ut ergo Sarraceni ab utrisque differant, crucem refutaverunt et gallum retinuerunt in culmine sine cruce. Et quia etiam cum gallo videbantur christianizare, mutaverunt gallum in lunam cornutam vel supinam: et hoc fuit facile, quia gallus erecto collo et cauda stans speciem habet supinae lunae. Ideo etiam in ecclesiis ubi galli sunt, dicunt ipsi esse lunam. Sic in omnibus ritibus fecerunt quasdam mutationes, ut differant a nobis. Alia ratio est ex parte Machometi, qui totus

lunatus dicitur fuisse et luxuriae deditus, ad quae luna prae aliis sideribus influit, cum sit naturae humiditatum, ita, ut etiam mare redundet vel contrahatur ex lunae motibus. Aliae rationes ex parte legum Machometi assignari possent, ut: Deus indiderat eis lunam supinam habere, quia lex eorum a superis vacua est, sicut luna supina, sine gratia etc. et aversa a sole, semper inanis, tenebrosa et vacua est, et aufert a nobis solis claritatem, dum inter nos et solem venit, estque instabilissima planeta et habet in concentu coeli gravissimum sonum et inter erraticas stellas habet vagum et incertum motum habetque brevissimum circulum, et bestiis nocturnis provenit. Haec omnia legi et ritui conveniunt Machometi, quae nullam rationem habet a superis, sed aversa a sole Christo manet obscura, conversa autem habet lumen, quia in multis et de beata Virgine magnifica confitetur lex Alcorani. Nominant enim Christum Rucholla, quod idem est, quod verbum Dei, vel spiritus Dei, flatus Dei, anima Dei, quae bene et pie interpretata timorosa sunt. Sed et de beata Virgine clara multa fecerunt, ut, quod sit Theothocus, eamque blasphemantes occidunt etc. Insuper lex illa, dum interponitur inter nos et Christum, tollit evangelicam illis claritatem, in certum modum peccant, quia in se intricata est, quod ipsi sectatores non intelligunt, nec rationes intelligunt ponitoris et brevissime durabit. Porro super testudinem, quae circuit inferius et infra superiores fenestras, est per circuitum rotunditatis transitus, super quem stant eorum Muscheti, et horas dierum noctuumque proclamant, et lampades protensas extra certis horis incendunt. Haec omnia ab extra clare et determinate vidi ex nova moschea Soldani, sicut patuit fol. 227 B.

Atrium templi et tota area vel platea vacans undique per circuitum est de candido et polito mamore stratum, et ita mundum, quod staus in monte Oliveti et in atrium respiciens putet templum in aqua tranquilla et albida stare. In parte australi atrii, ubi finita lapidum stratura est, viridarium deliciosum olivis consitum ad nutrimenta lampadum templi (est), quarum ultra septingentae sunt in templo suspensae. Haec omnia ab extrinseco oculis meis vidi, sed quale sit interius, non vidi, sed conjecturam probabilem accepi ex dispositione

xtrinseca templi et ex aliis muscheis, in quibus fui. Ab
ıtus enim nullum habet (B) sanctuarium suarum reliquiarum,
ı quo aut sacramenta aliqua aut reliquiae sint reconditae, cum
ec reliquias nec sacramenta habeant. Legi tamen in qua-
am chronica, quod pedes et manus Machometis ibi sint re-
ositae et reliquum corpus sit a porcis devoratum. In illo
rofano templo nullum est altare, nulla imago nec picta nec
culpta, nulla sunt ibi lignea sedilia, nec scamna, nec stallae,
ed totum pavimentum vario et polito marmore stratum ubique
atet, et parietes sicut extra sic et intus opere graeco sunt
rnati, ita quod totus circuitus templi per parietes est vacuus,
t nihil penitus est intus, nisi quod lampades de sursum
uspensae ex testudine dependent ardentes. Dicunt tamen
uidam, in medio templi rupem super pavimentum e terra
ousurgere ferro undique cancellatum, cui nullus Sarraceno-
um aut infidelium aliquatenus audet vel praesumit appro-
inquare. Veniunt tamen et peregrinantur a longinquis
artibus rupem illam devote visitare et videre cupientes, et
ropter hanc rupem etiam templum ipsum in vulgari locu-
ione rupem sanctam nominant. Multa etiam magnalia super
upem illam dicunt esse facta, inprimis namque Melchisedech
uper eam panem obtulit et vinum, Genes. XIV. Et Jacob
atriarcha ibi dormivit, rupem hanc sub capite habens, et
b ea vidit scalam in somniis, cujus summitas coelum tange-
at, et Angelos descendentes et ascendentes vidit eamque
ane oleo inunxit, Genes. 28. David etiam Angelum super
upem illam stare vidit cum evaginato gladio, ut habetur
. Paralip. XXII. Insuper quum sacerdotes ponebant
uper rupem illam holocausta, mox ignis divinus descendit
t apposita consumsit. Dicunt etiam, quod Jeremias propheta
xcidium videns civitatis et templi in hanc rupem conclusit
rcam Domini, quae se mirabiliter operuit et arcam absorb-
it. Hinc ipsi arbitrantur, arcam eandem adhuc ibi manere
nclusam. Super rupem illam Christus fuit oblatus die XL.,
uum Simeon accepit eum in ulnas suas, Lucae II. Dominus
esus duodecennis sedit super rupem illam in medio doctorum,
ucae II. Et cum XXX esset annorum, super rupem illam
edens frequenter praedicavit. Haec Sarraceni de rupe illa

dicunt, et aliqua jam dicta ad praecedentia non satis cons nantiam habent, ut de Melchisedech fol. 255, de Jacob f 210 A., de Jeremia fol. instantia est fol. 258.

Sanctitas loci illius, non dico templi, multis ex scriptu patet. Nam locum hunc prae omnibus mundi locis Domi elegit, ut supra fol. 257. Ibi majestas Domini in fumo app ruit et nebula domum implevit, itaque sacerdotes in tem manere non poterant, 1. Reg. VIII. Usia ibi thurificare vole non-sacerdos, lepra percussus est 2. Paral. XXVI. Hel dorus, pro ejus exspoliatione missus, dure verbera est, 2. Maccab. III. Nicanor cum manum contra templ temerarie extendisset, statim percussus caput cum manu p didit 1. Maccab. VII. et 2. Maccab. XIV. Antiochus festinans hoc templum spoliare misera morte in montib periit 2. Maccab. IX. Pompejus inperator cum locum hu dehonestasset et equos suos in eum collocasset, qui pri fuerat victoriosus, postea numquam fortunam habuit. loco hoc beata Virgo nutrita fuit; Angelus Domini Zachariae apparuit Gabriel; ibi virga Josephi floruit. templo illius loci ementes et vendentes ejecit Dominus Je aliquoties. Ibi digito in pavimentum scripsit, Joh. V In loco illo multa praedicavit et miracula magna fecit. structo templo in hoc loco non poterant Judaei quidqu aedificare, uti supra fol. 259 A. etc. Sed nec Sarraceni va bant in loco hoc muscheam erigere nisi abjecta cruce, supra patet. Demum muschea erecta videbatur indign Deus, quod in loco sanctissimo exsecrabilis Machometi cul ageretur, induxit populos occidentis ad locum et irasci Sarracenis; muscheam Machometis in templum consecrar Christiani. Et de hoc templo loquitur Bernhardus in concio ad milites templi cap. V., sic inquiens: Est templum Hie solymis, in quo milites pariter habitant, antiquo et fastuos simo illo Salomonis impar quidem structura, sed non infer gloria: siquidem universa illius magnificentia incorruptibilib auro et argento, in quadratura lapidum et varietate lignor continebatur. Hujus autem omnis decor et gloria, venusta ornatus, pia est habitantium religiositas et ordinatissi

iversatio. Illud variis exstitit spectandum coloribus, hoc diver-
virtutibus et sanctis actibus venerandum. Domum quippe Dei
:et sanctificatio, quae non politis marmoribus, quam ornatis
ribus delectatur, et puras diligit mentes potius quam auratas
ietes. Ornata tamen hujus quoque facies templi armis,
1 gemmis et perantiquis coronis aureis, circumpendentibus
)eis paries operitur pro candelabris thuribulis et urceolis;
nus undique frenis et lanceis communitur, quia milites Christi
lem zelo, quo ipse, cum negotiatores flagello expelleret, pro
no Dei ferveant, arbitrantes longe indignius et intolerabi-
s, sancta pollui ab infidelibus, quam a mercatoribus incestari.
domo sacra cum equis et armis commorantur, ut ab ipsa
a caeteris sanctis locis omni infidelitatis spurca et tyrannica
)ie propulsata ipsi in ea die noctuque tam honestis quam
libus officiis occupantur, honorant certatim Dei templum
lulis et sinceris obsequiis, jugiter in ea denuo vota immolantes,
1 quidem veterum ritu pecudum carnes, sed veras hostias,
:ificas, fraternam dilectionem, devotam subjectionem, volun-
iam paupertatem. Haec Hierolymis actitabantur tempore b.
ruhardi, et orbis in devotionem excitabatur. Tepescente autem
) templi zelo militum, mox stulta gens paullo ante expulsa
liit et explosis tepidis et carnalibus crucis cultoribus tem-
1m Christi sacrum iterum exsecrantes muscheam profanam
:erunt. Et hoc heu! sic est. Nam Sarraceni loci sancti-
em et magnalia ibi gesta cognoscentes templum valde
nerantur mirabili diligentia et cultu exteriori illud mundis-
ne conservant abstersione cottidiana intrinsecus et extrin-
cus, (261 A) et omnia sunt splendida et polita, ita, ut sit
lectabile videre. Sed et ipsi Sarraceni non ingrediuntur
c templum, nisi suis baptismatibus purificati, et tunc cum
1turitate et compositis moribus advenlunt, non simul, sed
ilibet solus incedit, etiamsi sit magnus dominus, nec collo-
untur, nec pueros, nec canes secum ducunt, ut nemo patiatur
oratione impedimentum. Mulieres propriam portam habent,
r quam atrium et templum ingrediantur, et propriam absidem
templo, in qua orant sine virorum praesentia, et menstruo-
e in domibus manent, nec quovis modo templo appropinquare
rmittuntur. Singuli autem discalceati atrium intrant et in

atrio ante templum crebras genuflexiones et inclinationes faciunt, et sic ingrediuntur cum gravitate.

Dum rex Soldanus est in Jerusalem et templum ingredi vult, prius pavimentum et templi parietes aqua rosacea lavant, qua et ipse Soldanus baptizatur ante introitum ob templi et regis magnificentiam.

Tantae aestimationis est hoc templum apud Sarracenos, ut eo habito non multum curarent Christianos habere civitatem. Unde anno Domini 1269., dum nostri obsiderent Damiatam, Aegypti civitatem, videns Soldanus quod capienda esset, misit oratores et nuntios solennes in nostrorum exercitum pro pace, petens, ut solverent illius urbis obsidionem, et acciperent Hierosolymam in perpetuam possessionem, demto templo Domini, quod pro se retinere vellet. Insuper obtulit, se suis expensis reaedificare muros Jerusalem, jam per Corradinum, regem Damasci, destructos, et omnes captivos Christianos reddere, et nihil velle retinere eorum, quae ad regnum Jerosolymitanum pertinent, nisi templum Domini in Jerusalem. Hanc conditionem libenter et contanter acceptassent Christiani, Rex Jerusalem Johannes et Franci et Teutonici, sed non placûît Pelagio, Cardinali Legato et Italicis, et orientalibus Christianis, nec acceperunt nuntios Soldani. Verum post paucos dies amiserunt captam Damiaten et omnia loca orientis terrae sanctae, ita, ut non haberent lapidem unum in Jerusalem. Et hoc justo Dei judicio accidit in punitionem avaritiae Italorum, qui Damiatam pro eo, quod erat urbs negotiationibus apta, praeferebant Jerusalem et terrae sanctae, aestimantes, se omnia possessuros. Fuissent quidem Sarraceni contenti, totam Judaeam, Palaestinam et Galilaeam dare Christianis, ut templum in Jerusalem solum possidere potuissent, sed hoc eis denegato totum amisimus, et usque hodie terram et civitatem sanctam et templum possident, in ipsum autem templum nullum intromittunt, qui non est sub lege Machometi, et quicunque Judaeus aut Christianus ingressus fuerit et repertus, mox ipsum suam abnegare fidem cogunt, vel tormentis consumunt. Non obstante autem hac prohibitione multi Christiani se periculo dant et modos excogitant, quibus ingressum habere possint, quia secundum sententiam Ovidii nitimur in

retitum semper cupimusque negata. Aestimant vero inexperti Christiani, quod mirabile sit templum ab intra, cum sit ornatum et pulcherrimum ab extra. Sed in rei veritate nulla ornamenta ab intra sunt, nec altaria, nec picturae, nec imagines, sed habitaculum lucidum, amplum, marmore polito et vario stratum et tabulatum, multis lampadibus ex testudine (B) dependentibus nocte illustratum. Dicunt etiam, in eo semper ardere septingentas lampades. Et in toto illo templo nihil aliud est, nisi in parte ejus septentrionali simulachrum sepulchri Machometi, elevata quaedam tumba marmorea, quae repraesentat sepulchrum Machometi in Mecca, quod in tanta veneratione habent, ut quoque in omnibus muscheis colant ejus simulachrum. De Machometi sepulchro vide Part. II. fol. 40 et fol. 62 reperies multa de Mecha.

Sunt ergo in templo illo nulla ornamentorum spectacula, nec sunt in eo sacerdotum aut clericorum officia aut sacramenta. De quibus vide Parte II. fol. 94 et fol. 100. Sic etiam apud Sarracenos non est salus, nec peccatorum remissio, nec virtus aut veritas; sic et templa eorum omni carent sanctitate, consecratione, ornatu et sacerdotio, officiis et sacramentis. Non obstante autem illius templi vacuitate et inania peregrini Christiani, ut dixi, desiderio flagrant, videre in interiora templi hujus, et interdum aliqui propter hoc periculis mortis se exponunt, et ideo convenienter movetur hic quaestio illa, quam movet Antonius i. c. [?] Parte III. histor. Tit. 24. c. 9 §. 17. Utrum Christianus peccet ingrediendo muscheas Sarracenorum? Et videtur, quod non, quia eorum templa praecipiuntur claudi sub poena mortis et amissione bonorum, C. de Paga. et Sarra. et templis eorum L. 1. et 2., et quia per omnia quod ad prohibitiones Judaeis comparantur, et eodem loco ut profanos et . . . . . p. totum. Pro quo respondet, quod Christianus potest ingredi templum sive Sarracenorum muscheam quadruplici de causa. Scilicet ad Deum laudandum; vel ad Christi evangelium praedicandum; vel ad ipsum templum videndum; vel ad contumeliam ipsi templo inferendum; vel ad consulendum pro ipsius templi conservatione. Quapropter (pro-) fanam ecclesiam non licet Christianum ingredi atque muscheam, ut adoret Deum vel laudet, ne videatur

erroribus eorum consentire, cum etiam Sarraceni De
non laudent nisi cum perfidia et blasphemia Redemtoris
cum praeconio Machometi seductoris, a quibus se Christia
debet omnibus modis abstinere; ideo, ne videatur Machon
fautor esse, debet loca suae laudi deputata, etiamsi sint l
sancta, vitare, nec in eis Dei justo ritu laudes persolv
cum in actionibus humanis loci circumstantia multum att
datur. Ideo Apostolus prohibuit 1. Cor. VIII., ne fideles recu
berent in loco, ubi idolothyta manducabantur, ne frater
videns scandalizaretur, judicans ipsum in idoli veneratio
hoc facere. Sic prohibetur fideli, ne procumbat ad oratio
in loco, ubi idola coluntur, et si hoc facit, peccat mortali
quamvis sua intentio non sit adorare idolum. Ideo cum Hel
Adrianus imperator in loco crucifixionis et resurrectio
Christi aedificasset Veneris templum et Jovis simulacr
dereliquerunt Christiani locum illum sanctissimum prop
profanum templum. Et si quis ingressus fuisset etiam
locum sanctum venerandum, tamquam idololatra habi
fuisset. Sic etiam interdictae sunt Christianis ecclesiae sch
maticorum et haereticorum, ne in eis orent propter scandal
et multo magis templa idolorum, synagogae Judaeorum, n
scheae Sarracenorum nullo modo sunt causa orationis v
tandae. Sic enim gravissime contra fidem ille peccaret,
in templo idolorum adoraret verum Deum. Sic et ille ae
graviter peccat, et magis, qui mameriam vel muscheam
greditur Sarracenorum ad orationem faciendam, quia quam
Sarraceni Mahometistae idololatrae non sint, pejores
men sunt veris idololatris, ut patet P. II. fol. 98
(262 A) Et si Dominus fidelibus prohibuit Matth.
orare in angulis platearum, ne videantur et judicen
ab hominibus sancti et beati, multo magis prohibitum est st
in templo sarracenico et orare, ne videantur ab hominib
et videantur mali et infideles. Ex his patet, quod Christia
non potest intrare in moscheam, ut adoret Christum, s
peccato.

Secundo, an ad praedicandum fidem muscheam lic
intrare? Et videtur, quod non sit licitum, quia sic intr
exponit se mortis periculis, quia secundum Alcoranum t

statim occideretur et ita se ipsum interimeret sine fructu. Sed contra multi fidei zelatores ad templa Sarracenorum ingressi sunt et praedicaverunt cum fructu, nec tamen occisi fuerunt. Ut sanctus Vincentius Ordinis Praedicatorum, qui multa millia Sarracenorum ad fidem convertit. Ideo non sequitur: tu dicis vel facis, quo ab aliis occideris, ergo te ipsum occidis, nam et sancti fidem catholicam confitebantur, cum tamen ex tali professione se a tyrannis occidendos minime dubitarent, quos ut Dei martyres colimus. Sic legimus fecisse fratrem Levinum Ordinis Minorum, qui Sarracenis congregatis in una muschea in illam ingressus est zelo animarum accensus, audacter et constanter clamavit, praedicans, quod eorum cassae forent orationes, et sine fide Christi in aeternum supplicium essent ituri, et quod leges Machometi essent injustae, fraudulentae, phantasticae et falsae. Quo sic praedicante irruerunt in eum Sarraceni et occiderunt. Hunc autem fratrem inter martyres connumerat dominus Antonius in citato loco. Non enim ex ejus superstitione sed ex Spiritus sancti instinctu creditur ingressus fuisse. Si quis etiam zelo indiscreto aut iracundia motus intraret et contra eos clamaret, et occideretur, praesumtuosus magis quam martyr judicaretur. Sic contigit quibusdam graecis Christianis, quorum duo ante paucos annos in Jerusalem ingressi sunt cum magna furia templum, et libris eorum arreptis eos laceraverunt et suppeditaverunt, dicentes, omnia esse conficta et falsa; quos statim comprehenderunt et crudeli tormento consummaverunt per medium eos secantes.

Tertio, an Christianus sine peccato possit muscheam intrare et contumeliam, derisionem et truffam aliquam facere; libros vel fenestras vel lampades destruere, lutum aut stercora ponere. Videtur, quod, salvo judicio meliori, non sit licitum, quia tales maledictiones et irrisiones non videntur ex caritate procedere, sed potius ex ira, displicentia, livore, vel ex superbia, nec honor Dei in talibus factis crescit, sed blasphemia in Christum et inimicitia in fideles concitatur et nulla in eis emendatio sequitur, et ita sine fructu mortis periculo se exponunt. Existimant autem simplices, obsequium se praebere Deo, quum aliquam arrogant truffam

in muscheis Sarracenorum, vel in synagogis Judaeorum. Sed Dei obsequium non est, nam sancta mater ecclesia tolerat synagogas Judaeorum, nec destruit, sicut posset; ideo ecclesiae filii non debent hoc, quod mater tolerat, foedare. Et idem est judicium de muscheis. Ergo contra quidam miles socius peregrinationis meae fecit. Nam in Palaestinae partibus noctem egimus in quodam diversorio, cui conjuncta erat una muschea, ita, quod de testudine domus, in qua eramus, potueramus adscendere super connexum testudinis muscheae. Erat autem in ejus summitate foramen, per quod respicere poteramus in muscheam, sicut et fecimus. Miles autem praefatus nocte surgens (B) ascendit super testudinem muscheae, et per foramen in eam stercorizavit; magnum inter nos risum concitavit, libenter etiam vidimus omnes. Sed quod virtuose fecerit, non video, nec aliquod bonum potuit inde sequi, sed magnum malum. Si enim Sarraceni factum scivissent, vivi extra terram non venissemus. Quamvis enim in muscheis ficte colatur Deus, tamen propter honorem veri Dei aedificatae sunt et possunt consecrari et fieri ecclesiae Christianorum, sicut frequenter fit, quando Christiani a Sarracenis aut Turcis aliquando civitatem capiunt; muscheas non destruunt, sed eas in ecclesias consecrant, et similiter faciunt ipsi de nostris ecclesiis muscheas, et propter istam aptitudinem et non propter ritum manet quaedam reverentia ad gentilium templa, quia nec Apostoli templa destruxerunt, sed idolis amotis ecclesias Christi constituerunt. Saepe legimus fuisse correctos etiam illos, qui idolorum templa dehonestaverunt, sicut patet de Medusa Phorci filia, quae cum speciosissima mulierum esset, habuit inter alia decoris sui spectacula crines non solum flavas, sed aureas, quarum splendore captus Neptunus cum ea concubuit in templo Minervae, ex quo concubitu Pegasus equus natus. Quam ob rem turbata Minerva, ne ignominia templo injecta maneret inulta, crines Medusae mutavit in angues, et sic ex pulchra monstrosa facta est. Et quid Pompejo acciderit, et quantis infortuniis subjectus fuerit, postquam equos suos in Jerusalem in templo stabulavit, nemo est, qui ignorat, nisi is, qui nihil legit. Taceo de Antiochi et Nicanoris infortuniis ex templorum spoliatione eis illatis, et de Heliodori plagis.

Quarto videre restat, an Christianus sine peccato possit muscheam intrare, non ad adorandum, nec ad perditionem, nec ad ignominiam aut truffam faciendam, sed solum ad videndum, tam muscheam quam ritum ejus. Credo, si sine periculo ingredi poterit et sine nota, quod non committat magnum peccatum, quamvis curiosus videatur esse, nisi devotio eum et non curiositas impelleret. Si enim muschea stat in loco aliquo sancto, et Christianus occulte potest et sine nota et periculo habere ingressum et egressum, tum merito potest ingredi et terram deosculari et orationem fundere, sicut fecimus in muschea, quae est supra sepulchrum David, de quo fol. 97. B. Et libenter fecissemus idem in muschea Ebron, quae est super duplicem speluncam, sicut patet Part. II. fol. 8. Si autem non potest haberi ingressus nisi cum periculo vel cum gravibus expensis, non prudenter facit, qui talem locum ingreditur. Novi militem, et hodie in humanis vivit, qui desiderio videndi templum, de quo loquimur, tractus, pactum cum quodam Mamalucco fecit, ut eum indutum habitu sarracenico induceret, quo facto vetus Mamaluccus cum veste indutum socium nostrum induxit usque ad introitum atrii templi, ubi dum essent et iam intrare vellent, tantus terror invasit militem, quod prae tremore vix stare poterat, nec ausus fuit intrare, sed reversus venit ad nos, gaudens se liberatum a proposito. Nec mirum, quod timuit propter vitae periculum, cum de fidelitate sui ductoris certus non fuit. Quamvis etiam ego ipse libenter nova et curiosa videam, (263 A) ad templum tamen illud ingrediendum numquam fui tentatus, suffecit mihi aspectus ejus, quo fateor me persaepe fuisse turbatum et scandalizatum, dum templi illius munditiem, ornatum et compositionem ad nostras comparem ecclesias, quae, pro pudor! quasi stabula bestiarum sunt. Stant enim nostrae ecclesiae immundae, perviae ut diversoria, spurcitiis inquinatae, in nostram maximam confusionem, et in sacramentorum contemtum et vilipendium. Ingens confusio est, videre in Jerusalem ecclesiam resurrectionis Christi stare paene absque decore, tamquam hospitale fumosum et cernere ecclesiam Machometi nitidam et mundam, tamquam regale palatium. O quam dissimilis proportio et aliena comparatio

Christi et Machometi, cum iste sit filius Dei, ille vero primogenitus diabolii; ille Dominus incarnatus, iste diabolus incarnatus; iste pater salvandorum, ille seductor miserorum; ille instruxit, iste destruxit; ille salvavit, iste damnavit; ille redemit, iste peremit. Et tamen Christi templum execratur, profanatur et despicitur; et Machometi templum ornatur, decoratur et extollitur.

Sed quid mirum, si hoc fiat in Jerusalem apud Grossonios, Mauros et Sarracenos, cum etiam fiat apud Christianos catholicos. Respice, quaeso, cum compassione ecclesiam supremam totius mundi, Lateranensem, quae est caput omnium ecclesiarum urbis et orbis, sicut probat Alvarus in suo de planctu ecclesiae lib. 2. ar. 2. c., quod et vide. Qualis decor, quae ejus munditia! Utinam saltem servaretur a ruina. Ibi enim ecclesia Salvatoris et nostra sancta sanctorum cum incomparabili thesauro reliquiarum, et tamen videtur locus quasi derelictus et desolatus, et vix reperiuntur ibi paramenta pro Missae sacrificio. Atria ejus sordent, capellae annexae sunt violatae, altaria profanata, palatia destructa, et religiosi, qui quondam Deo ibi serviverunt, sunt a loco repulsi et alii subrogati, cum quibus cuncta ad ruinam tendunt, et plura jam ceciderunt, non per incursum Turcorum aut Sarracenorum, sed per non-occursum Christianorum. Sic eccelesia S. Petri stat sub defectu magno eorum, quae tantae ecclesiae convenirent. Si ergo res sic se habent in principalioribus mundi ecclesiis, in capitalibus catholicorum, in medio fidelium, quid autem potest esse in aliis ecclesiis in corpore? Ecclesiarum immunditia, abusio et deordinatio in structuris, in vasis, libris, vestibus, palliis, in atriis, coemeteriis, in aedibus. Turpe profecto est cogitare, et dicere verecundum. Reperitur etiam ecclesia, et utinam una et non plures, in qua altare, pallae, et sacristiae mappae, et corporale, et involucrum calicis, albae et humerale, tanta sordent immunditia, quod sacerdos illius ecclesiae ea non possit propter abominationem in sua mensa sustinere, imo non pateretur femorale suum tanto squalore sordescere. Foedantur albae, sudore squalet humerale, et omnia paramenta usque ad putrefactionem immunditiis plena sunt, quas nemo in suo habitaculo sustineret.

O frater humane, utinam videres Jerosolymis, quam venerabilis est illius exsecrabilis Machometi templi aspectus, et delectabilis ejus aditus, ut patet fol. 227. B., quam munda atria et quieta, quam splendida et clara in omnibus munditia, quam devotus ingredientium processus, quam seriosus orationum gestus, cum quanta disciplina mulieres non nisi velatis faciebus ibi se continent, et viri ab eis segregati in silentio orant! Si hoc in silentio videres, grave scandalum (B) vel gravem indignationem sumeres contra fidelium negligentiam et irreverentiam, quae est circa ecclesias nostras. Verum tamen et haec ipsa negligentia in melius interpretari potest, quia cum vera sacramenta habeamus, quorum principales effectus consistunt in mortuorum commendatione et animarum sanatione, ad quam omnis fidelium conatus tendit, ideo minor sollicitudo est circa exteriorum templorum ornamenta. Gentiles vero, qui animae puritatem non quaerunt, cum tanta diligentia exteriorem munditiem sectantur. Si autem Christiani illas immunditias admittunt propter irreverentiam et incuriam, gravis abusio est, sicut patet per Hugonem, qui inter XII claustri abusiones unam ponit, irreverentiam circa altare.

Templum beatae Mariae Virginis in area Arnae.

Ad latus australe Bethel et templi, quod nominant Salomonis, in eadem area Arnae Jebusaei est aliud grande templum et ecclesia perpulchra, ad modum ecclesiarum nostrarum per omnia, quae excedit templum Salomonis magnitudine propter longam ecclesiae navem, et est plumbo tecta, et multis per circuitum fenestris illustrata de die, noctibus vero octingentae in eo ardent lampades, quia est mameria apud Sarracenos sanctissima. Quis autem hanc ecclesiam construxerit et quando constructa sit, plane invenire non potui ab aliquo conscriptum. Apud me tamen indubitatum manet, quod Christiani eam fecerint post ultimam civitatis sanctae recuperationem, tempore latinorum regum Jerusalem, quia forma et aedificii qualitas indicat eam a Christianis constructam. Sicut forma templi, quod nominant Salomonis, manifeste monstrat, quod a paganis est constructum, nec

cadit in sensum prudentis Christiani, quod idem templum ab Helena constructum, sicut solent recitare peregrinis, sicut patet superius fol. 259. Sic nec [etiam?] hoc, de quo loquimur templum, est non nisi per Christianos erectum. Nam dum cepissent civitatem sanctam, voluerunt juxta templum Domini esse etiam ecclesiam beatae Virginis, in cujus honorem eam erexerunt, consecrantes eam ob veneratiouem purificationis ejus in templum et purificationis ejus. Unde quidam nominant eam ecclesiam purificationis Mariae. Alii dicunt eam templum Simeonis. Alii absolute dicunt ecclesiam beatae Virginis. Alii faciunt differentiam inter templum Salomonis, et templum Domini, dicentes, hanc esse templum Domini, aliam vero Salomonis. Alii nominant eam porticum Salomonis. Alii dicunt eam templum Zachariae; illi fidelitatem quasi tenent, quod beata Virgo puella fuerit praesentata Zachariae, patri Johannis Baptistae.

In ea ecclesia domini Templarii sua officia peragebant, sed modo Sarraceni muscheam fecerunt ex ea, et a cultu Christianorum alienata stat, sicut et templum Salomonis. Sub illa ecclesia est structura quaedam subterranea memorabilis et lata, et testudinata, sic quod DC equi commode ibi possent locari. In hoc aedificio fui, sicut supra fol. 228 B. denotavi. Aliud templum prope illa duo jam erigitur expensis moderni Soldani, latum et valde pretiosum, extra atrium et aream Arnae, in quo habentur lampades accensae LXXXVIII. De hac muschea habes supra fol. 227 B.

De ecclesia prima Christianorum in Jerusalem, quae creditur fuisse in monte Syon ante templum dominici sepulchri, in qua incepit miraculum de igne paschali.

(264A) Tota descriptio civitatis sanctae Jerusalem paene dependet a duobus his templis, scil. Bethel, quod nominant Salomonis, et Anastasi, quod est dominicae resurrectionis, ex quibus etiam templis omne civitatis bonum evenit, teste Chrysostomo, qui dicit, quod omne bonum et omne malum ex templo Domini in populum transfunditur, sicut allegatur in summa de planctu ecclesiae Libr. 1. ar. 616. Nam crebra

civitatis Jerusalem destructio et frequens restauratio civitatis, gloria et exaltatio, ignominia et depressio ex templis venit, tam in veteri quam in novo Testamento, usque ad hunc diem.

Hodie Christiani parum curarent, quod Sarraceni dominarentur in Jerusalem, dummodo in templum nostrum dominici sepulchri pateret nobis libere ingressus et egressus sine timore, sine vexationibus et exactionibus. Nec Sarracenis cura esset, quod Christiani essent domini civitatis sanctae, si templum eis dimitteremus. Sed quia in hoc Christiani et Sarraceni convenire non possunt, passa est misera Jerusalem, patitur et patietur obsidiones, dejectiones, dissipationes et inquietudines majores, quam aliqua mundi civitas. Verum bene potest dicere: zelus domus tuae comedit me. Et vere zelus populorum pro templis comedit, devoravit vel comminuit Jerusalem. Et ut altius aliquod ad hoc inducamus, numquam Romani tam crudeliter et truculenter dilacerassent civitatem illam, si Judaei non obstinatissimo zelo pro templo conservando repugnassent, quo zelo romanum exercitum turbabant et odium exterminativum contra sanctam civitatem et templum concitabant. Destructa autem civitate et templo per Romanos servata creditur civitas David in monte Syon pro arce et fortalitio. In eadem etiam civitate David habuerunt fideles ecclesiam tempore Apostolum constructam, in loco coenaculi dominicae coenae, in qua divina peragebant et concilia et electiones celebrabant et de fide ordinabant ante eorum divisionem. Vel et beatissima Virgo Maria creditur habitaculum habuisse. In hac ecclesia sanctus Stephanus archidiaconi officio functus est et postea in ea sepultus post internecionem. Haec ecclesia Syon numquam passa est exterminium, nec sub Tito, nec sub Helio Adriano, nec sub Sarracenis, sed semper a tempore Apostolorum usque hodie mansit, demtis paucis annis, quibus Romani in Judaeos saeviebant, quando Jerusalem ceperunt; tunc etiam fideles praemoniti a Spiritu sancto transmigrarunt a Jerusalem, ne malis Judaeorum involverentur. Sed statim post abscessum Romanorum in montem et ecclesiam Syon reascenderunt. Unde hoc insigne miraculum de igne paschali, de quo supra fol. 131. A.,

creditur in ecclesia Syon inchoatum fuisse, sed quo tempore, non legi, nisi quod anno Domini 192 ante Constantinum Magnum et ante Helenam, ante sanctae crucis inventionem, erat Narcissus episcopus Jerosolymorum. Qui dum in sabbato sancto Paschae ad officium peragendum procederet, nuntiatum est ei per ministros, quod non esset oleum nec in lechito nec in lampadibus. Audiens autem vir sanctus, fidelis, fide ministris imperat haurire aquam sibique deferri. Aquam autem sibi allatam post orationem benedixit et infundi lampadibus praecepit. Tunc repente miro et saeculis inaudito genere virtutis natura aquae in olei pinguedinem versa et coelitus accensa, lampades splendorem solito clariorem reddunt. Hoc miraculum factum tempore paganorum (B) sub Victore imperatore et Severo imperatore, qui fuit ante Constantinum CCXI annis. Post hunc Narcissum fuerunt multi sancti episcopi in Jerusalem, et multitudo plebis Christianorum utique non sine ecclesia, quamvis ecclesia sancti sepulchri nondum esset fabricata. Et ideo tota solennitas erat in monte Syon usque ad aedificationem templi dominici sepulchri. De cujus initio nunc subjungam.

De initio templi dominici sepulchri.

Locus crucifixionis et sepulturae Domini Jesu extra portam civitatis Jerusalem facta fuit, sicut patet Johannis Cap. XVIII. et ad Ebrae. c. XIII. Qui quidem locus ab exordio quasi humani generis celebris habitus est. Dicunt etiam Adam, protoparentem nostrum, in eo fuisse sepultum et inde demto capite in speluncam duplicem, quae est in Ebron, sepultum patriarcham translatum. Ea propter apud pictores inolevit consuetudo: ad Crucifixi pedes Adae caput depingunt, et propter hanc causam filii Adae locum hunc multo tempore venerabantur. Et possibile est, eos fanum ibi propter parentis honorem constituisse, quod mansit usque ad diluvium sub Noë. Post diluvium Sem, filius Noë, qui est Melchisedech, ibi habitans in loco Calvariae occurrit Abrahae cum pane et vino, et benedixit ei. Et postea in eodem loco ad imperium Domini Abraham voluit immolare Isaac. Et serpens aeneus fuit ibi

bellacatus, cui populus immolabat. Imo praecipuum excelsum id erat, quod postea Ezechias abstulit 2. Reg. XVIII. 4. Et propter has causas Judaei miro modo venerabantur locum istum. Insuper et gentiles philosophi hunc locum visitabant, propter mundi medium; hoc ibi esse demonstrabant, ut patet supra fol. 117 B. Dispositio etiam loci illius patet supra fol. 117 B. et fol. 130 A. Mansit autem locus ille honorabilis usque ad tempora Graecorum gentilium, qui in odium Judaeorum oratorium ibi factum dissipaverunt et locum ad malefactorum interfectionem deputaverunt et per hoc abominabilis factus est locus sacer Judaeis. Sed Dominus Jesus adveniens saepe in vita sua locum montis et sepulturae suae visitasse creditur, eum locum sanctum ostendens, quem tandem morte et sepultura et gloriosissima resurrectione consecravit et toti orbi venerabilem fecit. Verum post Domini ascensionem beatissima Virgo Maria, Apostoli et caeteri fideles cottidie locum visitabant et vestigia Domini Jesu deosculabantur, ut patet supra fol. 173. Volunt etiam nonnulli, quod S. Jacobus minor, primus Jerosolymorum episcopus, ab Apostolis ordinatus, sibi sedem et habitaculum in loco resurrectionis Domini sui fecerit ibique divina celebraverit; unum articulum fidei nostrae ad hoc propositum in symbolo posuit, profitens, Dominum passum sub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum et sepultum.

Deinde post sancti Jacobi martyrium anno 42., alii dicunt 45., a passione Domini, peccatis Judaeorum exigentibus, ipsa civitas sancta penitus destructa est, demta civitate David et muro occidentali ex opposito rupis Calvariae et horti dominici sepulchri, quod ideo stare permiserunt, ut custodes regionis habeant praesidium. Post Romanorum discessum regressi sunt Christiani, ut dictum est, in Jerusalem et locum Golgata devotione solita visitaverunt, non tamen ecclesiam vel templum erexerunt ibi propter romanae custodiae timorem, et ne faciem loci mutarent ab ea dispositione, quam habuit tempore crucifixionis et resurrectionis Christi, quam dispositionem nec S. Jacobus mutare voluit, ut memoria ibi factorum clarior haberetur. Et (265 A) utinam numquam templum ibi fuisset constructum et clarior haberetur intellectus Evangelii de

passione et resurrectione Domini. Credo enim, quod Christ non mutassent loci dispositionem, si Adrianus imperator non fecisset.

Hic Caesar anno Domini 119 venit in Jerusalem aliqualiter per Christianos et Judaeos reaedificatam et ite Judaeos interfecit et vendidit et extra territorium expuli novam civitatem Jerusalem exstruxit, vetera dejiciens, q et ampliavit, et fossatum intra civitatem et locum passi Christi et hortum sepulchri complanavit, coaequans te reliquae, et circumduxit murum includens eum locum i ambitum civitatis, quia audiverat locum esse sanctum et a Christianis. Sed quia gentilis erat et idololatra, voluit honorari deos suos, et exstructo grandi templo Calvariae ru inclusit et sepulchri dominici specum. In rupem autem C variae ad locum, ubi fixa fuerat crux sancta, locavit statu Veneris, impudicissimae meretricis, et in specum domi sepulchri posuit idolum scelestissimi Jovis. Unde factum ut locus, qui fuerat prius Christianis celeberrimus, fieret dem exosissimus. Mansit autem locus ille sub ista pr dispositione centum octoginta annis, usque ad tempora C stantini Magni et sanctae Helenae, sicut habet Jeronyr epistola ad Paulinum, quae incipit: Bonus homo. Et hab in secundo volumine L. 3 fol. 210.

Anno Domini 313 converso ad fidem nostram Constant et Helena, ipsa mulier crucis cultrix effecta Jerosolym venit et locum mortis et resurrectionis Domini in profan immundissimo templo reperit, unde zelo Dei accensa i ejecit et templum funditus eruit, scopulum Calvariae et petr sepulchri mundavit et per laboriosas terrae ejectiones in p fundum fodi fecit, ubi pretiosum lignum sanctae crucis aliis passionis Christi insignibus invenit, ut supra fol. 114 115 et 130 relatum fuit. Cumque haec nota fecisset Constantino, statim expensas misit, et Maximio, tunc Jero lymarum episcopo, mandavit, in loco illo sancto cele templum facere ad votum matris suae Helenae. Sicque choatum est opus grande et perfectum, et templum magn erectum cum pretiosissimis ornamentis, ita, quod non ei simile in orbe, et multi judicabant pretiosius hoc templ

esse, quam illud fuerat, quod Titus destruxerat in area Arnae, quae area illo tempore non templum, nec oratorium, sed vulgarium quorundam habitationes continebat, omni honore privata. Ad hoc ergo templum translata fuit sedes antistitis de Syon, et clerus et omnis curia ibi residebat. Sed et mirandum praedictum folio praecedenti ibi renovatum est de igne sacro paschali. Nam dum in solemni die in vigilia paschali omnia essent exstincta lumina per totum templum, clero populoque orantibus ecce subito fulgur de coelo cecidit et cereum paschalem et omnes candelas et lampades accendit. Hoc autem prodigium singulis annis in sabbato sancto paschae accidit in templo illo, et quamdiu apparuit, ecclesia illa ab inimicis fidei nullam injuriam tulit. Erat autem tunc consuetudo, ut omnis ignis per totam Jerosolymam adveniente sancto sabbatho exstingueretur, nec quisquam aliqua arte alium ignem accendere ausus fuit, nisi de templo ministratum. Unde omnis populus in templo et in domibus insistebat orationibus pro coelesti igne, quod pro rectissimo signo propitiationis habebant. Eo autem de coelo lapso omnes lumina accendebant et ad alias ecclesias longe lateque transmittebant, sicut nunc chrysma transmittitur, et ad domos etiam privatas portabant per totum annum nutrientes eum. Quod autem fuerit signum divinae clementiae, patet in (B) vitis patrum de quodam monacho facto probato, a quo multi virtutum exempla acceperunt. Qui acquiescens tentationi sub specie pietatis descendit in Aegyptum et incidit in fornicationem; ex ejus casu multi valde per Aegyptum scandalizati sunt graviter, Tandem autem ad eam reversus ad desertum festinavit et se ipsum ad arctissimam cellulam reclusit, ostium obstruxit, nec quemquam ad se ingredi permisit, sed die noctuque cum lacrymis precabatur Mariam, optime suam recognoscens miseriam. Cumque diutius se diversissime castigasset, appropinquante paschali festivitate spe magna de salute sua ex divina Maria consolatum se invenit, quod delictum ei esset remissum. Die autem paschae ipsa nocte resurrectionis tulit lampadem novam, et oleum ac lychnum imposuit, eamque in cacabum novum locavit et ligneo operculo texit, et se ad orationem devotissimam contulit, dicens: pater misericordiarum

et Deus totius consolationis, qui in hac sanctissima nocte templum tuum, quod est in Jerusalem, coelesti igne illustras ad tuorum fidelium consolationem, ad barbarorum conversionem, ad tuae misericordiae ostensionem, illustra, quaeso, Domine, lucernam meam, et tenebrosum domicilium cellae meae illumina etc. Quumque diutius orasset, cum magna spe accessit levans operculum, sed lampadem accensam non invenit. Et rursum ad orationem lachrimosam se contulit, nec ignem reperit. Tertia autem vice cum orasset, accessit et disiecto operculo lampadem clare ardere vidit, accensum eodem decoro igne, quo lampades in templo dominici sepulchri accendi solebant in Jerusalem.

Porro anno Domini CCCXXIII. mortuo Maximio episcopo Jerosolymorum, Ariani ecclesiam Dei per orbem infestare coeperunt, et ingressi Jerosolymam templum dominici sepulchri in suam potentiam traxerunt, Conradum episcopum Jerosolymorum catholice et rite ordinatum degradarunt, cumque archidiaconum constituerent sicque statum ecclesiae Romanae ibi mutarent, pluribus annis sanctam illam Golgatanam ecclesiam rexerunt, eam sua perfidia inficientes. Illis autem temporibus, quibus Ariani haeretici templum sancti sepulchri possederunt, celebrata fuit Synodus Nicaena. Post quam Constantinus venit Jerosolymam et in tantum auditum praebuit Arianis, ut persuasus ab eis descenderet ad Jordanem et iterato baptisma reciperet ab Arianis, ac si baptismus S. Sylvestri inefficax esset. Hoc reperitur scriptum de Constantino. Sed ego omnino credo esse confictum ab Arianis, ut partem suam tanti imperatoris infamia solidarent. Et potuit esse, ut descenderet cum clero et populo ad Jordanem et propter devotionem lavaretur in eo, sicut semper faciunt peregrini, et ex hoc acceperunt Ariani occasionem dicendi, imperatorem esse rebaptizatum. Quamdiu autem Ariani illam ecclesiam rexerunt, numquam datus est coelestis ignis ad paschalia lumina, sicut sub Catholicis fieri solebat. Hoc etiam certo experimento habetur compertum, quod, quando in romana occidentali ecclesia sunt scissurae et discessiones, quod semper sepulchrum Domini ablatum est Catholicis, et vel haereticis, vel schismaticis, vel Sarracenis traditum.

it ego firmiter credo, si hodie ecclesia occidentalis uniretur, quod sine gladio et bello sepulchrum Domini possidere ossemus. Cum ergo Ariani illam sanctam ecclesiam guberarent, et passim Catholicos ejicerent, nec peregrinos in Domini sepulchrum intrare admitterent, et ab his cottidie homiidia fierent et gravissima litigia inter Arianos et Catholicos, onglobati Sarraceni contra Christianos illos et istos de ecclesia jecerunt, (266 A) et omnes seditiosos sive catholicos sive aereticos de Jerusalem expulerunt, ipsam autem dominici sepulchri ecclesiam . . . . destruxerunt Sarraceni. Sed non diu ansit illa desolatio: nam omnes episcopi catholici orientis um caeteris fidelibus circa annos Domini CCCLXXI adeun-es Jerosolymam expulerunt Sarracenos cum Arianis, et cclesiam dominici sepulchri reformaverunt in structuris, eamue reduxerunt ad veritatem ecclesiae catholicae magno cum abore, quia Ariani potentissimi fuerant facti per orbem, et piscopi, clerici, reges et principes favebant ipsis. Habuit utem haec damnosa haeresis ortum ab Ario, presbytero lexandrino, qui apud Alexandriam insaniens discordiam in rthodoxa fide serere conatus est, separare etiam Filium ab eterna et ineffabili Dei Patris substantia, ut Gratianus 24 d. habet; conabatur. Purgata autem ecclesia Jerosolymitana haeresi illa, mira cepit pullulare sanctitas in clero et plebe toto terrarum orbe per trecentos annos usque ad tempora eraclii imperatoris. Nam inter Constantinum Imperatorem, ui regnavit anno Domini 313. et Heraclium, qui anno 611. egnavit, floruerunt illuminatissimi et clarissimi viri, et cum is perversissimi et periculosissimi haeretici, quorum principalis fuit Arius. Et erat tempus illud sanctum et periculum. Sanctum quidem propter sanctos tunc viventes, nam de aliis taceam, in medio duorum illorum imperatorum oruerunt quatuor egregii ecclesiae doctores: Ambrosius, Augustinus, Jeronymus et Gregorius. Sanctus etiam Nicolaus, ntonius Magnus, Zenon, Veranensis episcopus, Paulus, prius eremita, Paulinus Trevirensis, Eusebius, Hilarius, Athaasius, Macarius, Maria Aegyptiaca. Et multi eremitae tunc ant per deserta Aegypti, Arabiae, Palaestinae, Lybiae. ingulis autem annis confluebant devoti Christiani de universo

mundo ad diem solennem paschae Jerosolymam, multi tamen non propter Jesum tantum, sed ut miraculum ignis coelestis in vigilia paschae cernerent, venerunt, et prodigium in die ascensionis Domini in monte Oliveti, sicut patet supra fol. 131 et fol. 149 A. Divina etiam tunc virtus manifestis prodigiis locum illum magnificare non desiit multiplicibus signis. Unde anno Domini DLXX. monachus Bernhardus, non ille Claraevallensis, sed alius sanctus, vidit ignem saepe dictum de coelo descendere in templum dominici sepulchri, qui multa de eo scribit in suo peregrinario. Magni autem tunc reputabantur Christiani propter ignem illum paschalem. Ostendebatur etiam tunc sancta crux et reliquae reliquiae a sancta Helena ibi reconditae. Unde legitur S. Mariam Aegyptiacam adhuc peccatricem cum aliis in Jerusalem adscendisse ad videndam sanctam crucem, sed admissa non fuit, quousque emendationem vitae vovit, ut patet in ejus Legenda.

Inter praefatos duos imperatores, Constantinum et Heraclium, regni gubernacula suscepit Julianus Apostata anno 363. Hic invidit gloriae Christi et Christianorum, propter quod Judaeos omnes congregavit, et expensis datis Jerosolymam misit, ut in area Arnae templum aedificarent in praejudicium gloriosi templi dominici sepulchri, quod per universum mundum magnificabatur; sed cum quanta confusione ab opere cessare coacti fuerunt patet supra fol. 279. clare.

Depulsa haeresi Ariana ab ecclesia Jerosolymitana, cum jam universi fideles copiose ad sepulchrum Domini defluerent, ac jam pax et sanitas floreret et in his beatissimus Jeronymus Bethlehemi degeret, aliud exortum est in ecclesia Jerosolymitana malum, schisma quoddam pro jurisdictione. Nam sanctus episcopus Salaminis Cypri, Epiphanius, veniens Jerusalem cum in templo sancti sepulchri disputaret contra haeresin Origenis, indignatus episcopus Joannes Jerosolymitanus et omnes clerici ejus silere jusserunt de hac materia sanctum virum; eo autem in suum redeunte locum prohibuit Johannes episcopus, ne pro sacerdotibus haberentur, qui ab Epiphanio fuissent ordinati, et omnes contra sanctos excommunicavit, unde accidit, ut solis haereticis pateret ingressus ad dominicum sepulchrum et ad sanctum osculum crucis. De

his loquitur Jeronymus in libro ad Pammachum contra Johannem Jerosolymorum episcopum schismaticum. Post annorum multorum curricula sancto Gregorio sedem Petri tenente anno Domini DLXXXIV. inventa fuit in Masphat prope Jerusalem tunica Domini inconsutilis in arca marmorea, quae cum jejuniis et fletibus S. episcopus Gregorius Antiochenus, Honorius Jerosolymitanus, Johannes Constantinopolitanus, transtulerunt in Jerusalem ad ecclesiam Golgatanam cum multo vulgi gaudio et devotione.

Anno Domini sexcentesimo nono surrexit in oriente singularis ferus Cosdroë, rex Persarum, qui collecto gentili exercitu Aegyptum, Syriam et Palästinam devastavit seque omnibus modis Romanis (B) legibus opposuit. Post multorum autem civitatum suppressionem ingressus Judaeam sanctam civitatem Jerusalem repletam devotissimis Christianis obsedit et cepit et in ea triginta millia hominum interemit, quorum corpora extra urbem in torrentem Cedron projici mandavit. Quidam autem ingens leo a Deo missus accurrit et cadavera Christianorum tulit eaque in monte martyrum prope Jerusalem sepelivit, ut habetur in ecclesiast. histor. et supra fol. 272 A. Aliquos autem nobiles et captivos inclusit, inter quos etiam Zacharias episcopus Jerosolymitanus tentus fuit. Murum ergo civitatis sanctae cum dissipasset, ingressus est templum dominici sepulchri, ut eo spoliato destrueret. Accepta autem sancta cruce, quam Helena thecis aureis inclusam ibi posuerat, cum ad templi destructionem manum mittere praesumsisset, quaedam divina virtus e sepulchro Domini resplenduit, qua perterritus cum suis a coepta destructione destitit et cum spoliis et sancta cruce et captivis in Persidem rediit. Post haec vastatis ecclesiis in oriente misit filium suum ad partes aquilonis in Syriam, ut et ibi gentes subjugaret et ecclesias vastaret, et transcensis multis regionibus consedit juxta Danubium, contra quem Heraclius imperator processit et vicit, ut habetur de exaltatione sanctae crucis. Eo autem victo et patre occiso et regnis restitutis sanctam crucem et Zachariam, episcopum et omnes captivos et spolia retulit in Jerusalem, et diruta templi et urbis reparavit, et Christianis restituit ordinationes, omnia secundum ecclesiasticum ritum. Steterat

etiam civitas sancta decem annis in desolatione et miseria, sed Heraclius eam reformavit et Constantinopolim rediit et vitiosam vitam ducere coepit.

Eo tempore Machometus, diabolus incarnatus, primogenitus Asmodei, filius Belial, nuntius Satanae, deceptor orbis, confusio mundi, destructor ecclesiae Dei, propheta falsus, praecursor Antichristi et Antichristus, complementum haeresium, corruptor divinarum legum, persecutor fidelium ac totius falsitatis prodigium, vesaniam suam ostentare coepit, ut compleretur lamentabilis prophetia de eo, Apocal. 13. pronuntiata, quia ipse erat bestia illa horribilis et detestabilis, quam Johannes vidit ascendere de terra habentem duo cornua etc. Vide expositionem in Chron. Antonini Part. 1. Tit. VI. cap. 1. §. 10. Illa mala bestia crudeliter saeviente multae christianae regiones et regna in partem suam cadebant. Quod videns Heraclius timuit, ne ingressus Jerosolymam templum dominici sepulchri destrueret et cruci sanctae irreverentiam exhiberet; praevenit Machometum et tulit sanctam crucem et quaeque sancta et pretiosa de templo transtulitque ea Constantinopolim, quia desperabat se posse resistere Machometo. Illa translocatio sanctae crucis facta fuit anno Domini 623.

Mortuo post haec Machometo tertius ejus successor Hamor, filius Cathap, civitatem Jerusalem cepit anno Domini 634. et in ea civitate aedificavit ingentem muscheam pro Sarracenis et Machometistis in loco, ubi steterat templum Salomonis, de quo dixi supra fol. 256. Nam in captione urbis intendebat templum sancti sepulchri mammeriam facere idque pro Sarracenorum cultu aptare, sed dum templum ingrederetur, divina quadam virtute perterritus destitit a proposito, (267 A) et satis benigne se ad Christianos habuit, et hoc propter Sempronii episcopi Christianorum pietatem, et mansueto ejus consilio utebatur in templi novi constructione. Ex his patet, quod templum dominici sepulchri trecentis et quatuor annis stetit ante templum, quod nominant Salomonis. Permisit ergo Hamor ille Christianos in suo templo Deo servire, et Sarracenos coegit in alio templo Machometum laudare. Nondum enim erat populus gentilis Machometi ritibus assuetus,

ideo oportebat eos cogere vi. Successu ergo temporis diversae dissensiones in Jerusalem sunt ortae inter Sarracenos Christianosque, et gravabant Sarraceni Christianos multis, a quibus gravaminibus saepe liberati fuerunt per imperatores. Unde anno 670. Constantinus tertius, licet vir esset pessimus, tamen septies liberavit civitatem sanctam et dominicum sepulchrum ab oppressione Sarracenorum. Et post eum Constantinus IV. multas molestias intulit Sarracenis in Jerusalem et alibi, ubi Christianis infesti erant. Verum tamen dominium super Jerusalem tenuerunt Sarraceni, nec poterant jugum graecum imperatores nostri tollere a civitate sancta. Anno Domini octingentesimo tertio, tenente imperium Carolo Magno et christianissimo, erant Christiani in Jerusalem et in toto oriente in tribulatione magna sub paganorum jugo et ingemiscentes postulabant auxilium a Constantino VI. hujus nominis, imperatore constantinopolitano, et ab Irene, ejus matre. Sed quia Graecorum virtus et potestas debilitata nimis fuerat, auxilium tribulatis suis viribus praestare non poterant. Eo tempore Leo, Papa tertius, Carolum Magnum, Francorum regem, pro suis meritis egregiis Romani imperii dignitate, quae quingentis fere annis a Constantino Magno fuerat amissa et iam nimia vetustate oblitterata, magnifice sublimavit et imperium occidenti restituit.

Carolus autem, Augustus appellatus, imperatorum nomen dignitatemque suscepit et imperavit annis 14, mira gessit in toto terrarum orbe suaeque genti, Germanis, gloriam et honorem attulit. Erat etiam Carolus iste theutonicus, sicut manifeste patet per eam venerabilem declarationem et . . . . . Decretalium, ubi dicitur in textu: Apostolica sedes Romanum imperium in personam magnifici Caroli a Graecis transtulit in Germanos. Et in Appa. 2. idem dicitur. Legitur etiam in chronicis, quod cum ecclesia Romana opprimeretur a Longobardis, petiit Papa auxilium a Constantino et Leone, ejus filio, imperatoribus constantinopolitanis. Et cum nollent patrocinari ecclesiae Romanae, transtulit imperium Romanum in Carolum Magnum, filium Pipini, quem ipse substituerat Ludovico regi Francorum, quem deposuerat.

Translatio autem illa imperii a Graecis in Germanos fa est anno Domini 776. Regnante autem Carolo audita Jerosolymis fama virtutis ejus, unde patriarcha Jerosolyi tanus pro benedictione in signum subjectionis ei misit cla sepulchri dominici et loci Calvariae et portarum civitatis montis cum vexillo, ut habet chronic. Anton. P. II. 1 14. c. 4. §. 2.

Non longe post haec insurrexerunt pagani contra pat archam Jerosolymitanum Johannem eumque de civitate e pulerunt cum suis clericis, qui emigrans Constantinopo venit, imperatorem constantinopolitanum invocavit pro auxil Cumque imperator sollicitus esset de hac re, visio in somi sibi apparuit, per quam instructus fuit, quod non ipse, s Carolus Magnus liberaturus esset Jerusalem, et dominici sepulchrum (B) Christianis restituturus. Imperator ergo Consta tinus misit per sancti sepulchri clericos claves et litte Carolo Magno angustias dominici sepulchri et Christianor continentes, quas ut legit, lachrimatus est. Mox autem c lecto grandi exercitu Teutonicorum et Francorum mare e transduxit et civitatem sanctam de manibus gentium erip et dominicum sepulchrum Christianis resignavit et pac inter Christianos et paganos fecit tantam, quantam numqu legimus habuisse. Non enim paganos occidit, nec eos Jerusalem expulit, sed certis pactis cum Christianis conc davit. Dicitur autem tanta pax inter eos fuisse multis an ut si alicui vianti in via bestia defecisset, depositis sarci in terram missi ad villam proximam pro alia bestia null damnum nec rapinam nec furtum relictae res passae fu sent etc. Pace ergo sic refecta et ecclesia Jerosolymiti ordinata illustrissimus Carolus ad sua regrediens venit C stantinopolin, ubi et magnifice susceptus fuit.

In praemium autem laborum obtulerunt ei munera pret sissima, aurum, argentum et lapides pretiosos et alia c cupiscibilia, quae omnia respuit, dicens, esse indecens, mu accipere pro labore, quem pro solius Dei sui suscepe amore. Adjuratus autem aliquod munus accipere, postul sibi dari reliquias. Unde apertis thecis dederunt sibi spi de corona Domini, clavum unum sanctae crucis et part

non modicam de eadem, deinde sudarium Domini, camisiam beatae Mariae Virginis, fasciam, qua beata Virgo strinxit puerum Jesum, praesepii dominici partem, ferrum lanceae, quo latus Domini transfixum fuit, et brachium S. Simeonis et plura alia accepit vir ille magnificus cum maxima devotione et plurium miraculorum ostensatione, sicut patet in Spec. histor. Libr. XXV. c. 5., eaque in Alemanniam detulit, in civitatem sedis suae Aquisgranum, et in ecclesiam b. Virginis, quam aedificaverat, collocavit, quae ibi hodie in honore habentur et ostenduntur de septennio in septennium; ad quam ostensionem innumera confluit fidelium multitudo, et praecipue Ungari cum turmis magnis fines suos egrediuntur et in Aquis congregantur. Has reliquias ego ipse vidi anno Domini 1468.

Aliquas etiam reliquias retinuit in curia sua easque deputavit pro curia imperii, et has cum imperialibus insigniis pretiosissimis ad locum certum imperii deposuit, unde nunc apud Segodunum, quod est Nüremberga, reposita habentur et annis singulis feria VI. post Quasimodo etc. ostenduntur, concurrente ad hoc maxima hominum multitudine.

Si vero princeps aliquis Nürembergam accedit extra praefatum tempus, eidem ea videnda proferunt. Unde anno Domini 1486 dominica Cantate, dum essent fratres provinciae nostrae capitulariter ibi congregati, exhibuerunt nobis illa insignia videnda, palpanda et deosculanda, inter quae etiam ferrum illud sanctissimae lanceae Domini est, quod cives illi singulis fratribus tractandum propriis manibus pro singulari Ordinis reverentia obtulerunt. Ibi vidimus et capitibus nostris imposuimus pretiosissimam auream gemmatam coronam Caroli et sceptrum aureum, pomum aureum, calcaria aurea et caetera imperialia insignia, quae omnia eadem septimana in Nürembergam reducta fuerant a Francofurdia, ubi gloriosus victoriosusque Dux Austriae Maximilianus, filius magni Friderici III., in Romanorum regem electus fuerat et his insignis sacris investitus.

Ecce, quam longe compellit me evagari per mundum evagatorium nostrum! Jam Jerosolymam revertar, quae post discessum (268 A) Caroli M. aliquibus annis in pace stetit, et occidentales sine omni gravamine ad loca sancta

admittebantur, nec pagani, qui regnum Jerosolymitanum tenebant, advenientes peregrinos infestabant. Non enim restituerat Carolus regnum Christianis, nec illud sibi subjecerat sed tantum pacem inter Christianos et paganos reformaverat, quae diu durabilis non erat. Stante tamen pace cum magnis turmis occidentales loca sancta cottidie perlustrabant et noctibus in ecclesia dominici sepulchri dormiebant, quia nullum hospitium pro Latinis in civitate erat, nondum enim erant hospitalia nec aliqua ecclesia latina, sed ecclesiam sancti sepulchri et alias ecclesias Graeci inofficiabant. Accidit autem illis diebus, quod mercatores de Apulia quasdam peregrinas merces, quas oriens prius non noverat, lucri faciendi causa Alexandriam deferrent, quas credunt fuisse avellanas, sicut patet Parte II. fol. 118 A. Has merces tamquam pretiosas detulerunt ad regem Aegypti, qui et Arabiam, Palaestinam et Judaeam gubernabat. Rex autem allectus novitate merciuin mercatoribus illis in recompensam gratiam, quam peterent, se praestiturum pollicebatur. Petierunt ergo et obtinuerunt, ut in Jerusalem, in quocumque loco voluissent, construere possent habitaculum pro peregrinis Latinorum. Sicque ante januam ecclesiae dominicae resurrectionis aedificaverunt monasterium in honorem beatae Mariae Virginis et abbatem et monachos latinos imposuerunt. Et quia Latini id fecerunt, locum ipsum nominarunt ad Sanctam Mariam de Latina, eratque dicta ecclesia vix ad lapidis jactum sita a dominico sepulchro. Abbas autem et monachi, viri religiosissimi, maxima cum caritate peregrinos ultramarinos recipiebant et humanissime tractabant. Confluente autem multitudine peregrinorum, virorum et mulierum, viri quidem recipiebantur intra monasterium, in domum hospitum, foeminae vero alibi, prout poterant, extra manebant et nonnumquam a Sarracenis molestabantur et defectum patiebantur. Unde monachi illi invocata Maria adjutrice peregrinorum aedificaverunt prope suum monasterium ad murum ecclesiae sancti sepulchri monasterium aliud foeminarum ad sinistrum templum ingredientis, quod ad sanctam Mariam Magdalenam dicebant, et in illo recipiebantur mulieres peregrinae et bene tractabantur. Sicque facta est peregrinorum occidentalium melior conditio in

Jerusalem tempore paganorum, qui tamen eos pluribus aliis ungariis gravabant et loca sancta visitare non sinebant, nisi nax pecunia ab eis emeretur, sicut et hodie est. Et stetit sic es Christianorum ultra centum annos, a Caroli tempore usque id tempora Heinrici I., quo tempore anno Domini 1015 surrexit quidam homo nequam, instrumentum diaboli, flagellum populi christiani, dissipator sancti sepulchri, Calipha dictus, rex Aegypti, qui pacem et concordiam factam per Carolum Magnum inter Christianos et Sarracenos percitus de terra tulit. Hic habuit matrem christianam, et dum rex factus fuisset Sarracenorum, saevire coepit in Christianos, ne videretur matrisare, et ipsos Christianos coepit compellere ad abnegationem fidei et gravissima tributa eis imposuit ac pluribus aliis modis molestavit. Concitabatur autem ejus in Christianos crudelitas, quando objiciebat sibi, quod esset de sanguine christiano, de quo plurimum verecundabatur, et ideo mira crudelitate in eos saeviit, ut facto ostenderet, se non habere guttam sanguinis nec motum affectionis a Christianis (B.) Inter caetera autem perniciosa opera hoc egit: cum exercitu grandi civitatem sanctam ingressus est et coronam Christianorum in terram dejecit, nam ecclesiam dominici sepulchri a Constantino primo et Magno sumtuose aedificatam funditus dejici et destrui mandavit et ecclesiam montis Syon et Bethlehemitanam violavit et mahometicae spurcitiae dedicavit. Et hoc facto incepit conditio fidelium in Jerusalem deteriorari ex moestissimo dolore, quem ex casu ecclesiae acceperant. Prohibuit etiam, ne ulterius Christiani sacras suas festivitates peragerent et ne congregarentur ad divina celebranda. Sicque erant in tribulatione gravissima propter cottidianas vexationes et in moerore tristissimo propter dominici sepulchri et ecclesiae dissipationem.

Ex his patet, quod ecclesia dominici sepulchri, quam Helena construxit, stetit septingentis annis, post quos penitus eversa fuit. Dum iam anno Domini MXLIX. affuit divina clementia consolationem non modicam rebus deperditis offerens. Praedicto enim tyranno rebus humanis erepto dereliquit haeredem meliorem se, et cessavit quassatio, siquidem Daher, filius ejus primus, regno accepto iniit foedus pactum cum

imperatore constantinopolitano et satis pius erat ad Christianos. Quando autem Leo, ejus nominis nonus, sanctus Papa, natione Alemannus, percepit modo in somnibus, impulit constantinopolitanum imperatorem, sepulchrum Domini in Jerusalem a barbaris jam septem et triginta annis dirutum restituere. Unde ad rogatum imperatoris constantinopolitani Daher sarracenicus concessit Christianis, reaedificare templum dominici sepulchri in Jerusalem. Cum magno ergo gaudio ascenderunt Christiani et aedificare super sepulchrum Domini novam ecclesiam inceperunt ad instar prioris, ad cujus restaurationem imperator Constantinus largiter expensas contribuit. Sicque templum sepulchri dominici, quod hodie est, aedificatum fuit anno praenominato et ante terrae sanctae recuperationem XXV., quae facta fuit per Gethfridum, sicut sequentia declarabunt. Et sicut Judaei et populus Israel duo tantum habuerunt templa sibi succedentia, scilicet Salomonis et Esdrae vel Zorobabel, sic et Christiani duo habuerunt templa, scilicet templum Helenae et illud, quod hodie stat. Primum stetit DCC annis, secundum vero, quod hodie est, stat iam annis CCCCL, cum simus nunc in anno 1488. Templo autem reaedificato cum Christiani more suae devotionis visitarent, non sinebant eos pacifice per loca sancta transire Sarraceni, sed pecunia multabant vel verberibus vexabant, et odium magnum et indignatio inter utrosque fuit. Dominabantur etiam tunc Sarraceni illi regioni et in advenas Christianos fremebant, unde tota christianitas peregrinorum querimoniis commota in ipsos fremebat Sarracenos et eorum jugum, quo nimis diu et graviter premebantur, excutere a se exoptabat. Nam a tempore Hamor, principis Sarracenorum, qui tempore Heraclii imperatoris Aegypti gubernacula suscepit, usque ad tempora Gothfridi, primi regis Latinorum in Jerusalem, qui fuit tempore Heinrici tertii, civitas sancta jugo subdita Sarracenorum fuit, per annos circiter quadringentos nonaginta. Licet enim Heraclius imperator et Constantinus III. et Carolus M. civitatem sanctam et dominicum sepulchrum liberaverint a tanto, numquam tamen a toto, sed semper mansit imperium gentilium in Christianos, quod praefati imperatores alleviaverunt, sed non tulerunt, sed per pacta pacem reformaverunt (269 A)

inter eos, sicque erant liberationes imperfectae, quae non potuerunt durare, quia faciliter rumpuntur pacta et juramenta, praecipue inter eos, qui ad eandem sectam induci non possunt, sicut sunt Christiani et Sarraceni, inter quos est etiam naturalis inimicitia et odium disparis naturae, conditionis, moris et sectae.

Tractatus

De totali liberatione Jerusalem et dominici sepulchri per occidentales populos.

Sepulchri dominici et civitatis Jerusalem et totius terrae sanctae redemtio et liberatio totalis facta est sub Heinrico, hujus nominis tertio, imperatore theutonico, Bavaro, et Urbano Papa, hujus nominis II., quamvis antecessores eorundem in conciliis et aliis diaetis et congregationibus principum et episcoporum de hoc saepe consilia habuissent et factum ipsum inchoassent, sed sine profectu. Unde tempore Heinrici II. hujus nominis imperatoris, et Victoris II. Papae, Alemanni, in concilio apud Turonem Galliae civitatem celebrato, anno Domini 1055., ordinatum fuit de terrae sanctae liberatione. Porro eo tempore Othus, magni ingenii maximaeque rerum gerendarum scientiae, ad pacem quidem et bellum perutilis, Angleriae comes Mediolanique princeps, insignis erat. Hic ab omnibus, qui Turonensi Synodo advenerant, ejus virtute cognita capitaneus exercitus Domini contra Turcos et Sarracenos ad liberationem sancti sepulchri Domini in Jerusalem electus fuit. Qui pontifici caeterisque regibus uno annuit animo, Jerosolymamque cum reliquis in bellum profectus est. Dumque circa eandem cum reliquis Christicolis hiemaret urbem, multa quidem incommoda et damna Sarracenis intulit et civitatem sanctam angustavit, eam tamen capere nullatenus valuit. Interea eo obsidente, Volucer quidam nomine, Arabs, paganus trans Jordanem princeps, eo viso, ut erat animo audax, ipsum Othum per interpretem ad singulares congressus invitavit, quae res ab eo facillime exorta est, ac sic denique sextam post diem ambo ad duellum processerunt equestres

armati. Othus autem septem in scuto serta gestabat insculpta, quia septem fortissimos pugnatores unica gladii fulminatione prostraverat; Volux vero aliter armabatur, nam ex ejus cono vipera aenea surgebat, miris involuta atque implicata spiris, quae infantem exornatum ad usque costas devorasset, humeri autem et brachia exstabant, et bipatenti ore paene vociferare videbatur. His itaque insignibus ambo in campum processerunt in agro fullonis ante civitatem sanctam Jerusalem, et primo quidem occursu Othus Volucem principem ex equo praecipitem dedit et statim clava elevata illi adeo cerebrum confregit, ut per solum universum spargeretur. Quo mortuo Othus illi galeam exuit et ejus universa spolia secum tulit sicque obsidione soluta in Europam remeavit propter sui exercitus exiguitatem; cumque Mediolanum venisset, insigne illud Christo et templo obtulit atque sibi successoribusque suis eam viperam pro insigni portandam perpetuo transmisit, quam usque in hodiernum diem Mediolanenses duces et reliqui Vicecomites gestare cernuntur, suamque monetam imagine viperae signant, quae moneta usualis et cara hodie per Alemanniam dispersa reipublicae plurimum utilis habetur, nominantque grossiones, plaphardos antiquos, minores spagurlinas, medias vero trigeras.

Reversus igitur praefatus Dux Othus summo pontifici et universis occidentis principibus intimavit, Jerosolymam et terram sanctam capi non posse, nisi immani et grandi ac robustissimo exercitu transmisso.

Deinde anno 1063 collectus est magnus exercitus Theutonicorum ad peregrinandum in terram sanctam ad dominicum sepulchrum. Nam archiepiscopus Moguntinus Sifridus et episcopus Trevirensis Wilhelmus et episcopus Babenbergensis Guntherus et Otho episcopus Ratisponensis cum multis nobilibus et comitatu terresti itinere usque Jerusalem properarunt, Pontum Euxinum transire volentes; cumque venissent in Bulgariam, valde fuerunt vexati ab illis aquilonaribus gentibus et cum multis anxietatibus usque in Asiam provecti Syriam finitimam attigerunt. Comperto autem provinciae praeside adventu Christianorum collectis copiis Turcorum contra episcopos nostros venerunt. Multitudine autem nostri arctati

in vetustum quoddam castellum transfugerunt et obturatis rupturis antiqui muri praesidium fecerunt, Turci autem moliebantur capere praesidium, sed non potuerunt, et duobus continuis diebus et noctibus insultum faciebant; porro die tertia proclamata ad horam pace ad resumendum vires nostri petierunt a Turcis, ut ad eos venirent eorum capitanaei et rectores ad tractandam concordiam. Ingressi ergo sunt potentissimi eorum VI viri turci ad nostros, et nostri recluso ostio longum habuerunt simul colloquium et diversissimos Turcos invenerunt. Nam episcopi nostri omnia sua eis dare pollicebantur et multa plura promiserunt, tantum ut salva vita remeare possent, sed nulla fuit pietas, nec aliud volebant nisi mortem et extremum servitium illorum dominorum. Interea, videntes nostri extremum suum periculum, emiserunt occulte famulos, quibus nota erat regio, ut ad Ammirandum et Capitaneum de Rama currerent et ut pecunias multas promitterent, quae quantocius paganis istis numerarentur. Emissis autem nuntiis petebant nostri ab illis barbaris veniam et promittebant pecunias, illi autem non nisi eorum personas habere volebant, vel ad mortem, vel ad vilia mancipia, nec aliud poterant habere responsum. Verum nostri ex desperatione exacerbati insurrexerunt contra Sarracenos ad se ingressos, eosque in vincula conjecerunt. Hoc audito exercitus moliebaiur destruere murum et missilibus, jaculis ac machinis invalidare, nostri autem in periculosioribus locis eorum potentes et capitaneos ligatos apposueruut (BB) super murum sicque insultum mitigarunt. Invocato autem Deo creberrimis orationibns, ecce, adjutorium advenit. Nam Ammirandus de Rama, Sarracenus, collectis copiis Sarracenorum od locum venit et Turcos fugavit de obsidione, quos nostri de praesidio erumpentes insecuti, spoliis direptis et multis captis, patibulis suspenderunt. Postea etiam captos capitaneos diris cruciatibus percusserunt. Haec autem liberatio episcoporum facta fuit in vigilia paschae, sabbato sancto. Decreverant etiam in exitu eorum de Alemannia, quod in locis sanctis in Jerusalem vellent esse per dies passionis Domini et resurrectionis, sed obsidio ista intervenit. Igitur praedictus Sarracenus peregrinos illos salvos perduxit in Jerusalem et remuneratus ab eis ad propria rediit.

Quum autem peregrini episcopi redeuntes marino itinere in Alemanniam revenerunt, terrenum dimiserunt iter, ne iterum Turcis praeda fierent. Nam Turci Asiam minorem possidentes usque in Syriam dominantur; deinde incipit Soldani dominium, et saepe inter se Turci ac Sarraceni discordant, quod etiam illis temporibus fuisse opinor.

Anno Domini MLXX. archiepiscopus Trevirensis Theodoricus iter Jerosolytanum est aggressus per mare, sed tempestate maris invalescente confracta navi cum omnibus suis servis periit.

Post haec inceperunt Sarraceni et Turci non solum Jerusalem et terram sanctam acrius infestare et undique Christianorum terras invadere, verum ea tempestate imperium constantinopolitanum adeo per Turcos imminutum est, ut vix Thraciam, Galliciam, Pontum, Thessaliam, Macedoniam et Achajam obtinere possent; e quibus provinciis nunc Turci, nunc Sarraceni aliique cottidie sibi subtrahebant et ad amaritudinem vitam Christianorum secum habitantium deducebant, praecipue tamen in Jerusalem et in terra sancta male tractabantur Christiani. Nam anno Domini MLXXXII. Boreades sive Turci armata manu Palaestinam ingressi igne et ferro regionem vastabant, sed et civitatem sanctam Jerusalem diripiebant et Christianos ibi repertos miserabiliter trucidabant et dominicum sepulchrum multis turpitudinibus dehonestabant. Interim dominus imperator constantinopolitanus legatos ad romani imperii imperatorem Heinricum III. misit et ad principes occidentis rem gestam intimavit et ad succursum terrae sanctae invitavit. Pontificante igitur Urbano hujus nominis II. Papa et Heinrico III. imperante erat in Galliis quidam eremita, Petrus nomine, prudentissimus, incomparabilis sanctitatis vir. Hic haud dubie instinctu Spiritus motus dimissa quiete solitudinis ad sanctam evagationem se contulit surgensque cum aliis multis peregrinis mari transmisso ad terram sanctam in dominicum sepulchrum pervenit et loca sanctissima deosculans magnam sui spiritus devotionem et fervorem sensit. Videns autem loca illa sanctissima conculcari irreverenter ab infidelibus et venerabilem Simeonem patriarcham loci et suum clerum sperni et despici, aliosque Christianos opprimi et vexari

egrinos, vehementer doluit, et commota sunt viscera ejus
er re tam iniqua. Instante igitur festivitate paschali cum
s peregrinis templum dominici sepulchri ingressus est ad
ebrandum vigilias sanctissimae noctis, ut autem quietius et
ntius divinis possit insistere laudibus, retraxit se ad secre-
em templi angelum, et ibi sobria mente turbato spiritu
a multis lacrymis oravit, dicens: Usque quo Domine Deus
cta tua conculcantur, sacerdotes tui spernuntur, fideles tui
rimuntur et peregrini tui deridentur et vexantur? Attende
mine, et fac, et libera terram, quam dedisti patribus meis,
civitatem hanc, quam doctrinis et miraculis tu semper
strasti pretiosoque sanguine et cruce sanctificasti, ac glo-
sissima resurrectione toti mundo celeberrimam esse demon-
asti. Haec autem et similia vir sanctus dicens fatigatis
mbris paululum indulgere volens in pavimentum resedit et
ut ad parietem reclinavit sicque dormitare coepit corpore,
l animo vigilantissimo attentus mansit in oratione Domini.
ecce vidit, quod Dominus Jesus de suo sepulchro splen-
us processit ad eumque respiciens dixit: Surge Petre et
tinus Romam proficiscere, dic Urbano romano pontifici, hoc
it Dominus: Sicut olim ex oriente illustravi occidentem,
nunc ex occidente illustrabo orientem et civitatem Jerusalem
pter nomen meum magnum, et sepulchrum meum sanctum
identalibus dabo, ut mihi serviant et incredulis me mani-
tent et loca sancta redemtionis humani generis venerentur.
his dictis visio disparuit. Petrus autem, illi non incredulus
culo, reversus in Europam curiam romanam intravit et
lacter adiens Papam Urbanum II. ei legationem sibi injunc-
a simpliciter enarravit. Aperuit autem Dominus pontifici
sum, et intellexit, rem esse a Deo, statimque concilium
nerale apud montem clarum Alverniae convocavit anno
mini MXCIV. et expeditionem in Sarracenos pro Jero-
yma recuperanda persuasit et trecenta hominum millia cruce
navit et signatum exercitum beatissimae Virgini Mariae
licavit statuitque, ut horae de beata Maria Virgine a cle-
is cottidie exsolverentur, quatenus protectrix exercitus sui fie-
. Petro autem eremitae credidit bullas papales misitque
n ad reges et principes occidentis, ut in succursum terrae

sanctae properarent juxta mandatum Domini Dei Petro revelatum.

Progressus (270 A) ergo Petrus ad reges et principes, et terrarum capitaneos et praefectos et tamquam angelus Domini ab omnibus susceptus fuit et benignissime auditus, et continuo cuncti parabant se ad obediendum praecepto Domini et Papae. Magnum profecto hoc erat mandatum, audire hominem pauperem, ignobilem, ignotum, illiteratum, nullo viso aut ostenso miraculo, nec audito sermone rhetorico, sed fidem adhibere simplicibus verbis, quibus Papa et omnes doctissimi cardinales et universus clerus et religiosi obtemperabant et imperator mundi dominus cum omnibus regibus, praefectis et comitibus fidem dabant sine probationibus et sine testibus simpliciter prolatis. Certe melioris conditionis erat populus iste, quam populus Israel, qui ad credendum Moysi etiam visis inauditis et stupendis miraculis vix induci potuit. Cumque illi rumores per Europam volarent, concurrerunt omnes spiritu vehementissimo propulsi, ab Hispania, a Provincia, ab Aquitania, a Britannia, a Scotia, ab Anglia, de Normannia, a Francia, a Lotharingia et Burgundia et Germania, ab Alemannia sive Theutonia septemtrionali ac occidentali, maritima et mediterranea, potentissimis reguis, ab Lombardia, ab Italia, ab Apulia, a Dalmatia, ab Hungaria et Illyrico, ab universis insulis Oceani et Mediterranei et Ponti Euxini marium, et a Graecia Europica, quae ad latus nostrum sita est Hellesponti, continens Thraciam, Macedoniam, Epirum, Achajam et Peloponnesum, quae tum temporis tota erat christiana, nunc vero est turcica usque ad Illyricum, Ungariam, Pannoniam et Dalmatiam. De his omnibus regionibus congregabantur et passim concurrebant quasi leones ad praedam, nec erat uspiam in tot provinciis, quot habet occidens, domus otiosa, vel una, dum hinc pater familias, hinc filius, illinc tota domus ad migrandum se praepararet, cum singultibus et suspiriis dividebantur ab invicem complectentes et supremum sibi dicentes Ave, Ave, Vale. Excessit tamen medicina modum (morbum), quia plus quam debuit in quibusdam voluntas eundi Jerosolymam subrepsit: nam et multi eremitae et reclusi monachi et virgines conclusae et maritati toro adstricti et moniales

tis vinculis suae obedientiae sine concessu et licentia sua
ustra exsilierunt et agminibus armatorum se immiscuerunt.
i dum cruce signari petiverunt et ab episcopis signatoribus
tiles judicarentur et ad regressum hortarentur, quidam in
ce corporis sui stigmata crucis sibi divinitus impressa osten-
unt, alii eadem se habere jactabant, etiam mulierculae et
ulae. Alii per candens ferrum sibi cruenter aduendo cru-
n impresserunt et fervor et zelus admirabilis in toto genere
ristianorum erat. Cunctis et singulis agminibus duces et
ıitanei a principibus et episcopis praeficiebantur, toti tamen
ɜrcitui et omnibus agminibus praefectus fuit auctoritate
ɜstolica dux et generalis capitaneus insignis et invictissi-
s vir, dominus Gothfridus, Gallaciae comes et dux Lo-
ıringiae, qui tamquam alter Machabaeus cum fratribus suis
amicis nobilibus bellum Domini agendum suscepit habebatque
suo agmine multos strenuosissimos bellatores, nobiles, ba-
ıes, comites et milites, quorum omnium curam in spiritualibus
ɜcepit vir eximius Haymarus Padiensis episcopus. Discur-
ıat autem praefatus Petrus per regiones et grandem et
tem congregavit exercitum ad quadraginta millia armato-
n, quos secum ducebat. Sic et alii viri praestantes plebibus
ne visi ad se homines attrahebant, et toto triennio pro-
ıtio illa parabatur, antequam moverent se agmina. Verum
ıgregabantur reges, duces, comites, barones, milites,
litares, potentes quoque et tyranni, et comitatum rectores,
biles et ignobiles, divites et pauperes, cives et villani, liberi
servi, saeculares et ecclesiastici, sacerdotes et monachi,
scopi, abbates, cardinales, religiosi et religiosae, senes et
ɜenes, vetulae, puellae, viduae et maritatae, (B) et in tantum
ɜvit numerus exercitus Dei viventis, quod Guilielmus dicit,
mquam tot gentes coire in unam sententiam visae fuerint
opinionem hominum vincebat numerus, nam quadam aesti-
tione dicebantur sexagesies centum millia hominum praepa-
orum ad bellum [?] cruce signatorum. Inter quos, ut dixi,
inebat dux invictissimus Gothfridus, omnium agminum capi-
eus generalis, sub quo diversi capitanei diversis agminibus
t praepositi. Quibus ergo paratis anno Domini 1097 ince-
unt se movere agmina de locis congregationum suarum.

Sed quia tantam multitudinem nec mare solum, nec terra sola capere poterat, diviserunt multitudinem in agmina, et agmina in legiones, et legiones in exercitus, et exercitus in turmas et singulis praeposuerunt cum capitaneis centuriones et decuriones, et ita sparsim contra mare ad diversas portus procedebant, plurimi pedites et equites per Ungariam in Dalmatiam et Graeciam intrabant. Aliqui autem Euxinum Pontum et palus Maeotum cernentes per Colchidem regionem in Capadociam ascenderunt, sicque longissima itinera quaerere multitudo compellebatur.

Quanta autem pericula populo Dei acciderint ex defectu necessariorum, ex intemperantia, ex discordiis inter se exortis, ex peste, ex occursu hostium, non facile narrari potest. Si cui tamen placet de his legere, videat in Vincentio Bellovacensi in Speculo Histor. Lib. 26. Cap. 92., et in Chron. Ant. tit. 16. part. II. c. 13., et in Fortalitio fidei de 97. bello Christianorum cum Sarracenis, et in Chron. Martin. de Heinrico 3. et in Nic. de Lyra super Apoc. Cap. 16 et sequentibus.

Tolerabile autem fuisset, si quod passi fuissent Christiani ab inimicis et ab infidelibus, sed mala, quae sibi ipsis inferebant, et impedimenta Ungarorum et Graecorum, et strages, quas in bellatores faciebant, dura nimis et intolerabilia erant. Nam, ut de multis unum referam, erat quidam sacerdos theutonicus, nomine Gondecalcus, vir fortis et audax, magis ad proeliandum quam ad celebrandum dispositus: hic ex Alemannia de plebe collegit exercitum quindecim millium armatorum, qui, cum in Ungariam venissent, et quasdam villas propter suas necessitates rebus spoliassent, consurrexit contra eos rex Hungariae et immanissimam stragem in eos exercuit, non distinguens inter innocentes et noxios, et ita exercitum illum contrivit, quod non unus homo intravit ad propositum certamen, pauci autem, qui gladium Ungarorum evaserunt, cum dolore in Alemanniam reversi sunt. Quantas injurias imperator constantinopolitanus populo Dei intulerit, longa narratione vix posset exprimi. Contigit Christianis in hac expeditione sicut Romanis olim in expeditione Carthaginensi, qui maximo collecto exercitu in Africam profecti sunt contra Carthaginem

pugnaturi, sed ad quendam fluvium venientes erupit contra egiones ingens bestia, serpens crudelissimus, quae multos ecidit, et in tantum per unicam bestiam fuerunt infestati, ut otius belli apparatum contra eam cogerentur dirigere. Multis rgo pereuntibus tandem victa fuit bestia et lapidibus pro-trata, cujus corium LXX pedes fuit, quod Romam ductum unctis admirationem intulit et terrorem. Igitur cum magnificus vir Gothfridus cum suis copiis usque ad Constantinopolim devenisset, caetera agmina ibi exspectare decrevit, quia iam in finibus infidelium Turcorum erant nec ingressi Hellespontum procedere valebant nisi manu armata per terras Turcorum. Cum ergo legiones convenissent, factus est unus Dei viventis exercitus et recensito legionum numero inventi sunt peditum sexcenta millia, equitum vero loricatorum centum millia. Multi tamen continue sequebantur et se legionibus adjungebant. Hi ergo omnes Constantinopolim relinquentes navibus ascensis Hellespontum, hoc est, sancti Georii brachium, transierunt de Thracia in Bithyniam. Est enim Hellespontus strictum brachium a canali, per quod mare mediterraneum decurrit contra aquilonem in Pontum Euxinum. Itaque hoc negotium habens potest uno die tribus aut quatuor vicibus de Thracia in Bithyniam, de Constantinopoli in Chalcedoniam et e contra venire. Cum autem in Bithyniam Asiae minoris provinciam venissent, relictis omnibus villis et oppidis ad Nicaeam urbem populosissimam descenderunt, quam obsidentes obsederunt (271 A) eam atque ceperunt anno Domini 1097. die 20. Junii. Evasit autem magister eorum, Solymannus Turcus, dominus Nicaeae, cum multis aliis, qui currentes per provinciam collegerunt exercitum contra nostros. Ordinata autem Nicaea movit se exercitus de loco et de Bithynia in Pamphiliam descenderunt cum multis laboribus, et ibi occurrit eis obviam Solymannus cum ingenti paganorum exercitu, et coëuntes Deo propitio nostri paganos fugaverunt et tria millia electorum armatorum prostraverunt, de nostris autem ex quasi inermi populo ceciderunt ad sex millia. Deinde ex provincia Pamphiliae in regionem Ciliciae descenderunt, Tarsum Ciliciae civitatem vetustissimam et nobilissimam fugatis hostibus ceperunt cum aliis civitatibus ejusdem regionis. De quo vide Part. II. fol.

138. Inde autem moventes exercitum ex Cilicia per multas diaetas in Coelesyriam venerunt ad gloriosam civitatem Antiochiam, quae quondam tertiam post Romam dignitatem grandem sortita omnium provinciarum, quas tractus continet orientalis, princeps et moderatrix erat. Haec priscis temporibus dicebatur Riblatha, 2. Reg. 25. et 6., Jerem. 39. et 6., et in ea occisi fuerunt filii Sedechiae regis Jerusalem in oculis suis, et regi oculi eruti etc. Hanc post mortem Alexandri Magni Macedonis Antiochus muris et turribus munitam sedem regni sui fecit eamque ex suo nomine Antiochiam vocavit. In hac Apostolorum princeps, Petrus, septem annis episcopus sedit, doctrinis et miraculis illustris. In ea primus fidelium habitus est conventus, in quo etiam Christianorum nomen dedicatum est; prius enim, qui Christi sectabantur doctrinam, Nazaraei vel discipuli dicebantur, postmodum a Christo deducto nomine auctoritate illius synodi universi fideles dicti sunt Christiani, sicut patet Actor. II. Ejus vero civitatis patriarcha XX provincias in sua jurisdictione habere dicitur.

Sita autem est ipsa in provincia Coelesyriae habetque commodissimam et amoenissimam positionem. Est ea fontibus et rivis paene tota irrigua, intra ambitum autem civitatis clauduntur duo montes nimiae altitudinis, in quorum alterius vertice, qui videtur eminentior, situm est praesidium munitissimum, qui duo montes valle profundissima sed angusta separantur, per quam torrens dimissus per medium influit civitatem. Longitudinem autem civitatis quidam duo, quidam tria milliaria italica habere asserunt, et a mari distat decem vel XII milliaribus. Hujus egregiae urbis jamdudum Turci sibi usurparunt dominium, quam tamen ipse Machometus dum viveret, accedere ausus non fuit. Verum in suo Alcorano ponit quatuor civitates, duas benedictas et sanctas, scilicet Jerusalem et Mecham, et duas maledictas, scilicet Antiochiam et Romam.

In ejus obsidione dominabatur ibi quidam Turcus magnus, dictus Evexianus de Perside. Venientes itaque nostri hanc munitissimam civitatem octo continuis obsederunt mensibus, in qua obsidione noster exercitus sane cruciabatur et frequenti civium inopinata eruptione molestabatur, et multa

ustinuit ante eam incommoda. Unde omnis vulgus clamabat, it solveretur obsidio, et nisi quidam capitaneus fuisset, qui bstitit, ne solutio fieret, cum ignominia facta fuisset. Ille nim capitaneus occulte practicabat civitatis proditionem sibi ieri, sicut et facta fuit. Capta est autem urbs ista anno)omini 1098, et ingressi urbem occurrentes occiderunt et ılagam maximam in ea fecerunt. Porro alimenta in ea ıon erant, quia propter longam obsidionem consumserant mnia. Auri et argenti et omnium desiderabilium (B) infiniam copiam repererunt. Die autem tertia post ejus captionem Corbonach quidam, princeps potentissimus Persarum, advocatus ab Antiochenis in adjutorium venit cum maximis copiis et undique civitatem vallavit. Sic populus Christianus, qui paucis ante diebus eam obsederat et obsessam sibi vindicaverat, violenter versa vice, sicut rerum solet esse vicissitudo, obsidionem sustinens supra modum gravi inedia molestabatur et inclusis nec egredi nec ingredi alicui licuit, et facta fuit conditio nostrorum longe deterior. Tantus autem erat defectus victualium in urbe, ut populus cogeretur ad turpia et inhumana declinare, non erat in escis etiam apud delicatos differentia, nec erat mundorum ab immundis legalis distinctio. Quid plura. Camelos, asinos, equos, mulos et immunda quaelibet, quoties dabatur ex his habere, pro summis reputabant deliciis, et pro hujusmodi habendis, quod intueri miserabile est, transibant demissis vultibus, mendicando per vicos et plateas, robusti et nobiles inter plebeios. Nec aliqua continet historia tantos principes, tantum exercitum, tantum defectum, et tam patienter tulisse molestias. Dum igitur sic afflligeretur populus Christi, vidit Dominus afflictionem illorum et consolationem jucundam immisit. Erat in exercitu quidam vir simplex, valde devotus sancto Andreae Apostolo, cui dormienti aperuit beatus Andreas dicens, inimicos illos fugari non posse nisi cum lancea, qua perforatum fuit latus Domini Jesu in cruce, et certis indiciis ostendit Apostolus suo devoto locum in ecclesia beati Petri, ubi lancea illa sancta sub terra jacuit. Mane surrexit homo et episcopis atque principibus visionem enarravit; ad locum ergo praemonstratum processerunt et aliquantulum in altum effossa terra lanceam repererunt,

quam cum ingenti laetitia dum circumferrent, multi deridebant et dubitabant, quidam autem miles in media platea ignem XIII pedum fecit et accepta lancea per ignem eam portavit nihil laesus, ex quo exercitus Domini valde roboratus fuit. Exorta etiam fuerat dissensio in civitate propter tribulationes, et multi principes occulte cogitabant et tractabant, quomodo possent saltem salva vita evadere; sed post lanceae sacrae inventionem novis juramentis se simul confoederavere et jurabant per Dominum, ab invicem non recedere, nisi urbem sanctam pristinae restituerint libertati. Habito ergo consilio prudentum et potentium diem statuerunt, quo congredi vellent et cum inimicis dimicare. Die ergo XXV. suae obsidionis nocte praecedente non erat requies, sed omnes se parabant ad bellandum mane et accincti armis in ecclesiis Missas audiebant in crepusculo et confitebantur peccata sua et communicabantur sumentes corpus Domini. Ex qua communione tanta populo infusa est gratia, ut qui heri et nudius tertius quasi segnes et inutiles vix [pedem supra] limen attollere poterant, nunc in publicum prodeuntes sibi invicem palmam in acie promittebant. Episcopi vero et alii sacerdotes sacris induti vestibus populum ad proelium benedicebant. Ordinatis autem aciebus et portis reseratis, cum iam populus exiret loco, ros dulcissimus descendit et exercitum nostrum perfudit, quo tam homines quam bestiae nostrorum confortati sunt. Gradatim ergo nostri contra hostes processerunt cum lancea Domini et Deo auxiliante post gravissimam congressionem et pugnam confractis cornibus adversariorum dissolutae sunt acies infidelium et cunctae legiones eorum in fugam versae sunt, quas usque ad solis occasum persecuti sunt caedentes et interficientes. Consummato ergo proelio nostri ad castra hostium redierunt, ubi tantum rerum necessariarium repererunt opulentiam, tantas orientalium (272 A) divitiarum copias, ut iam auri, argenti, gemmarum et pretiosarum vestium neque numerus esset nec mensura; etiam armentorum et victualium tanta reperta est abundantia, ut iam non scirent, quod eligerent etc. illi, qui prius summa laboraverant inopia; potiti autem sunt hac victoria anno Domini 1098.

Post hoc disposuerunt se ad procedendum contra Jerusalem: in primis ergo calendis Septembris aggressi sunt iter, et transcensis multis regionibus multisque civitatibus expugnatis per oram maris in Syriam venerunt et ad Tripolin civitatem magnam et munitissimam super mare sitam accesserunt, ut eam expugnarent. Tripolitani autem nostris obviam in bellum exierunt, sed statim divinitus territi terga vertentes in civitatem redierunt. Cum autem aliquamdiu civitatem obsedissent, coepit populus noster murmurare prae labore et anhelatione ad Jerusalem. Erat etiam differentia illa inter eos, quod nobiles et principes et potentes omnem locum subjugare intendebant usque Jerosolymam, plebeji autem et vulgus Jerosolymam primo subjugandam esse opinabantur et ex ea per circuitum terram oppugnandam. Principes ergo populo satisfacere volentes solverunt a Tripoli obsidionem et per oram maris descendentes tertia die ad Berytum civitatem magnam maritimam venerunt. Berytus olim Romana erat colonia, ut Jeronymus de vita et obitu Paullae dicit. Nunc autem est Soldani, in eo est portus negotiatorum, Sarracenorum et Christianorum. Inde ad Sidonem civitatem venientes et Tyrum transeuntes in ora maris eas civitates magnas et munitas ad repugnandum paratas invenerunt. Consequenter autem procedentes in planitiem Ptolemaidis civitatis magnae et fortissimae maritimae processerunt. Siluit autem omnis Palaestina maritima in conspectu exercitus nostri et in timore grandi stabant. Uterius venerunt juxta montem Carmeli, descrentes Galilaeam ad laevam, et pertranseuntes Caesaream Palaestinae ad mare sitam non longe a Caesarea in campo castra metati sunt; ibi dum essent, columbam desuper exercitum volantem accipiter unus graviter percussam dejecit, circa quam repertae sunt litterae, quas deferebat, talis sententiae: Rex Acharon duci Caesareae salutem: generatio canina, gens contentiosa venit, contra quam per te et alios legem tuam defende, idem annuntia aliis civitatibus. Haec epistola ad manus nostrorum principum devenerat. Sunt etiam columbae in orientalibus regionibus regum nuntiae, ut patet Part. II. fol. 85.

Deinde moverunt castra, et tertia die non longe a Joppe venerunt, juxta quam in campo consederunt. Compertum

autem habentes, quod in vicino erat Ramula civitas, nobilis et bona, praemiserunt dominum Comitem Flandrensem cum quingentis equitibus, qui urbem reperientes vacuam nullo obsistente ingressi sunt omnes civitatem; incolae enim urbis audito nostrorum adventu timore perterriti omnia in civitate relinquentes ad montana Judaeae transfugerant, ut vitam salvare possent; nostri autem hoc audito in ipsam civitatem ipsas copias traxerunt et triduo ibi manserunt, habentes sufficientiam victualium, quae ibi repererunt.

Qualiter Jerusalem capta fuit per nostros populos.

Jerusalem civitas sancta hoc modo capta fuit a nostris. Cum enim habitatores Jerusalem de Christianorum adventu facti essent certiores atque scientes pro certo, quod omnis, quae dicebatur advenire multitudo, speciale et praecipuum propositum habeat civitatem illam obtinendi, unam, quanta poterat sollicitudine, communierunt, victum et arma diversi generis conquisiverunt, portas, turres et moenia refecerunt innovantes omnia et collapsa vetustate erexerunt et electissimorum bellatorum (B) praesidium posuerunt in Jerusalem, XL millia armatorum ad repugnandum Christianis paratos. Ipsam etiam urbem vallis et fossatis circumduxerunt. Omnes denique piscinas vallis aquis evacuaverunt et munitionem super fontem Siloae posuerunt, ne populus aquas inveniret. Communi insuper consilio decreverunt, omnes fideles secum in Jerusalem commorantes interficere et ecclesiam resurrectionis Domini funditus dejicere et dominicum sepulchrum ab ea radicitus evellere rupemque Calvariae eradere de terra, ne occasione illorum adorationis gratia populus christianus deinceps accederet destructis his. Sed tandem prudentiori consilio cognoverunt, quod per haec majora populorum nostrorum contra se conflarent odia, idcirco omnia stare permiserunt illaesa. Christianos autem omnes utriusque sexus, senes et juvenes, qui in Jerusalem secum habitabant, spoliaverunt omnibus bonis usque ad pellem et contumeliis affectos nudos de civitate cum patriarcha expulerunt. Expulsi autem in exercitum nostrorum descenderunt, et omnem civitatis sanctae munitionem

t dispositionem retulerunt. Haec ut nostri audiverunt, festinato castra moverunt et de Rama in montana Judaeae ascenderunt, et cum iam sanctam urbem conspicerent, pro qua ot labores et pericula pertulerant, prae gaudio fusis lachrimis Deum glorificaverunt et cum jubilo et cantu civitati approinquabant. Et dum in agrum fullonis venissent, qui est campus grandis ab occidentali civitatis parte, diviserunt legiones et totam urbem circumdederunt et in monte Oliveti tentoria fixerunt et in monte offensionis et in Gyon eamque urbem sanctam et dilectam quasi inimicam vallaverunt. Multa autem aedificaverant Sarraceni pro munitione urbis extra muros, quae omnia in una hora destructa sunt a nostris. Haec obsidio facta est anno Domini 1099. die VII. mensis Junii, et duravit XXXV dies, usque ad XI. diem Julii. Porro quid de Judaeis in civitate sancta morantibus egerint Sarraceni, non invenio scriptum, credo autem eos connumeratos inter Sarracenos et cum eis mansisse usque ad interitum. Hae enim duae gentes licet sibi invicem invideant, tamen contra Christianos semper concordant, sicut patet in chronicis. Nam tempore Justiniani imperatoris, qui fuit anno Domini DXXIV., conglobati Judaei et Sarraceni sunt in terra sancta contra Christianos, stragem magnam ac crudelem fecerunt in eos conabanturque eos penitus delere, sed praefatus imperator succurrit et horribili plaga Judaeos et Sarracenos protravit.

Quinta ergo die, postquam exercitus noster ad urbem pervenit, ad impugnationem omnes unanimiter accinguntur et de muris non parva nocumenta acceperunt nostri. Erat enim civitas, ut dixi, bene munita et in omnibus provisa, quae ad resistendum erant necessaria. Verum illa vice conatus nostrorum effractus est et multi vulnerati in castra reportati sunt. Similiter aliis diebus nostri conabantur et moliebantur destruere murum et nihil reportarunt nisi cadavera suorum fratrum et vulneratos de muris. Insuper necessariorum defectio, panis et aquae, et praecipue aquarum carentia incipiebat nostris fieri intolerabilis, et quia major pars plebis infirmabatur ex ariditate et siti. Quotiens autem civitatem oppugnare attentabant nostri, totiens tam validam manum senserunt

repugnantem, quod spem quasi nullam nostri amplius hab
bant in suis viribus et clare intelligebant, se vincere urbe
illam non posse sine adjutorio divino vel sine miraculo a
quo. Quapropter praedicatum est in omnibus legionibus,
singuli a toto corde se ad Dominum converterent et oran
singulis diebus nudis pedibus urbem circumirent, quod
fecerunt, non solum sacerdotes et plebeji, sed princi
et capitanei, inter quos semper primus erat magnificus Go
fridus, totius exercitus praelatus et capitaneus. Octavo au
die illius humiliationis, qui est XI. Julii, omnes uno an
urbem aggrediuntur et a mane usque ad meridiem graviss
certabant et multi de nostris occumbebant, nec proficie
lassati: ergo tantis laboribus remissius agere coeperunt
paulatim populus fractus laboribus ac (273 A) inedia c
bebatur et conari cessabat. Quod cernentes hostes
muris et turribus clamabant et deridentes nostros insultal
et exercitibus Dei viventis maledicebant et super muros
tabant et saltabant prae gaudio et continuis clamoribus
probrabant invitantes nostros ad redeundum. Sed non
mansit gaudium illud vanum, erat enim signum futurae rui
quia ante ruinam exaltabatur cor, sicut dicitur Prover
XVI. In ea enim re stultos se esse monstrabant, quod tar
exercitium in amaritudine constitutum irritabant, cum dic
Prov. 17.: Non irrites vel irrideas hominem in amaritu
animae suae, est enim, qui humiliat et exaltat, circumspe
Deus; et Prov. XX.: Iram concitati spiritus quis ferre pot
Nec legerunt doctrinam illius magis philosophi inter seq
sapientes mundi computati, qui dicit, nequaquam homi
infelicem irridendum.

Cum ergo nostri improperia exprobrationem audirent,
siones, maledictiones et blasphemias acciperent, stabant
duo extrema quasi dubiosi, nam injurias illatas sine ult
sequenti sinere nullo modo valebant, sed qua parte civit
exprobrantium obtinere possent, paene desperabant. Eis
in confusione stantibus ecce mox divina virtus affuit,
fidelium rebus jam desperatis intulit consolationem. Nam
monte Oliveti miles quidam armis accinctus fulgentibus t
bili insidens equo in nostrum exercitum descendit et sig

dedit legionibus cum fulgurante hasta, ut redirent et insultum denuo iterarent, et ita dato signo nusquam comparuit: nec dubium, quod Michael princeps christiani exercitus fuerit, vel ut Legenda Lomb. dicit, sanctus Georius miles erat, resuscitatus in adjutorium exercitus christiani, sicut olim Mercurius contra Julianum Apostatam et ejus exercitum fuit resuscitatus, ut ecclesiastica habet historia. Quo signo viso noster exhilaratus est exercitus et majori animo ad impugnationem rediit urbis tanto fervore animorum, ut qui fessi et laboribus fracti ac vulneribus laesi et debiles prius operam subtraxerant, nunc receptis animis ultro se offerentes instabant animosius. Tantaque excitata est in castris nostrorum laetitia, ut jam quasi certi de victoria infra unius horae spatium vallo complanato et effracto antemurali ad moenia machinas propinquius duxerunt, sub quibus se continerent, ne lapidibus de muris jactatis tangi possent, et de quibus ipsi ad murum accedere possent. Illo enim tempore nondum inventum fuerat terribile bombardarum tormentum, quod quidam, ut dicitur, theutonicus adiinvenit circa annum Christi 1360., sed solum machinas ad jactandum saxa grandia habebant. Fecerant autem nostri bellatores grandem sportam et altam, quasi castellum, et eam terra et lapidibus repleverant, et quicumque retro eam stabat, securus erat a missilibus de muris extantibus et stabat sporta vel praesidium illud super rotas et ductilis erat. Hoc ergo praesidium paene usque ad murum admoverunt. Porro hostes procerae magnitudinis arbores ad murum suspenderant, ut machinarum ictus eliderent, quarum duas nostri, qui erant in praedicto praesidio vel castello praecisis funibus, quibus erant ligatae, dejecerunt ad terram. Quo cognito dux Gothfridus qui in ea parte urbem impugnabat, sursum in castellum dictas trabes ferri praecepit, quibus ex una parte in machina et altera super murum locatis vicem pontis praebuit. Ponte igitur sic ordinato primus omnium vir illustris dux Gothfridus cum fratre suo Eustachio ingressus est urbem, post quos multi alii secuti sunt, et stabant super murum extensis vexillis cruce signatis tubisque concrepantes ad advocandum legiones. Quod hostes videntes muros et turres deseruerunt, et omnes armati (B) eorum ad atrium templi, quod dicitur

Salomonis, transfugerunt. Nostri autem, qui super muros stabant, in vicum proximum descenderunt et ad portam septentrionalem cucurrerunt et effractis seris et repagulis remotis portam patefecerunt et exspectantem foris multitudinem intromiserunt, qui per vicos discurrentes strictis gladiis aetati non parcentes aut sexui in ore gladii perstringebant omnia. Porro virtus bellica hostium tota in templo et atrio erat parata se defendere a nostris; instructa autem acie nostrorum ad templi impugnationem magno cum robore accesserunt et quinquies a Sarracenis repulsi fuerunt nostri. Quinto autem conserto bello tandem cornu eorum dextrum confregerunt, quo dissipato tanta in eos caede debacchati sunt, ut in sanguine occisorum equitarent in nonnullis locis atrii usque ad genua equorum. Numquam fuit visus tantus simul sanguis humanus, nam praeter eos, quos occiderant nostri per domos, vicos et civitatis plateas, in solo templo et atrio decem millia infidelium prostrati et gladio jugulati sunt. Inter quos mille gladiis confossus interiit Caliphas barbarus rex Jerusalem, quem nostri repererunt sub murorum ruina latitantem. Sic ergo capta est civitas sancta anno 1099. die 15. Julii, feria sexta, hora 9., anno tertio, ex quo Christianorum populus tantae peregrinationis animos assumserat.

Subjugata autem civitate populus fidelium depositis armis in spiritu humilitatis cum lacrimis dimisso templo cruore inquinato ad templum Christi sanguine confertum dominici sepulchri processionaliter properabat, episcopis et sacerdotibus in sacris vestibus praecedentibus. Ingressi autem templum dominicae resurrectionis cum ingenti laetitia cuncti in suis linguis et notis cantabant carmina paschalia et omnia loca sancta templi devotissima processione visitabant, et quod mirabile est dictu et devotum ac delicabile auditu, in omnibus his affuerunt manifeste et patenter milites et peregrini armati, qui dudum cum gladiis infidelium pretiosam mortem susceperant, quos maior pars de exercitu vidit, et juramentis affirmabat, quod dum murum civitatis ascenderunt, stabant supra murum milites defuncti apud Antiochiam et alibi, armati et laeti, et adscendentibus scalas manus porrigebant eosque animabant, nec aestimabatur, quod vivi hae

victoria potiti fuissent, si non affuisset adjutorium et consolatio defunctorum in bellis prioribus. Sicut etiam ad preces sancti Basilii beata Virgo resuscitavit Mercurium, fortissimum militem, a Juliano Apostata martyrizatum, ut ipsum Julianum interficeret, sicut et fecit, sic resuscitati sunt strenuissimi a Sarracenis interfecti, ut debitam de iis vindictam sumerent, unde manifeste visi sunt pugnare cum pugnantibus et infideles trucidare et loca sancta cum vivis circumeundo visitare et lateraliter cum eis, quos socios in vita habuerant, incedere. In quo manifeste dabatur intelligi, quia etsi vita decesserant corporali, ad aeternam tamen vocati beatitudinem non sint fraudati desiderio suo, sed quod pio expetierant studio, pleno sunt effectu consecuti. Finita ergo processione urbem et templum mundaverunt, ejicientes maledictorum cadavera extra muros et sanguinem noxium abstergentes, undique erigentes coquinas per urbem et dispensatores necessariorum disponentes, et ita transierunt octo dies.

De hac clarissima victoria habentur multae historiae heroico confectae sermone a disertissimis et eloquentissimis oratoribus, Italicis, Graecis, et Gallicis, qui eam suis adscribunt gentibus. Et quia nulla memoria fit ab eis Theutonicorum, quorum tamen robore Gothfridus omnia haec peregit, unde Aeneas Sylvius, poeta laureatus, in oratione ad principes Alemanniae et ad nobiles Sueviae facta Francfordiae pro occursu Turcorum sic dicit: Scio, inquit, Gothfridum, qui fuit Lotharingiae dux, cum solis transrhenanis Theutonibus et Suevis et aliquibus Gallis et paucis Italis terra marique regna percurrisse et sepulchrum Domini a jugo Sarracenorum liberasse.

Catalogus latinorum regum Jerusalem et regni Jerosolymorum principum apud Christianos.

(274 A) Christiani itaque occidentales anno dominicae incarnationis 1099. die quinta decima Julii ceperunt civitatem sanctam Jerusalem, eripientes eam de manu et potentia gentilium, et veris haeredibus eam assignaverunt, filiis regni, fonte baptismatis renatis, Christicolis, a quibus iam alienata

stetit in manibus gentilium per annos circiter quadringentos sexaginta vel CCCCXC. Octavo igitur die liberationis civitatis Jerusalem convenerunt principes victores, ut aliquem de suo collegio eligerent, qui regioni praeesset et regiam sollicitudinem impenderet provinciae acquisitae, invocataque Spiritus sancti gratia consonantes ad invicem saepe dictum dominum Gothfridum Lotharingiae ducem unanimiter elegerunt in regem, et a militibus humeris in regiam delatus rex Jerusalem decernitur, regnavitque anno uno.

Hic Gothfridus fuit de regno Francorum, provincia Remensi, civitate Bolonia, comes Gallariae. Ejus pater fuit dominus Eustachius, mater vero, Yda dicta, soror ducis Lotharingiae. Qui Dux cum esset sine liberis, hunc nepotem suum Gothfridum in suum filium adoptavit, verum eodem defuncto illi in ducatu Lotharingiae successit, eratque dux ille praeclarissimus, vir religiosus, clemens, pius, justus, serius in verbo et stabilis, saeculi contemnens vanitates, quod in illa aetate praesertim in militari professione rarum est. Fuit praeterea in orationibus jugis, in operibus pietatis assiduus, erat etiam affabiliter insignis et liberaliter gratiosus, fuit etiam corpore pulcher et magnus, robustus, facie venusti, capillo et barba flavus, in usu armorum et exercitio militari omnium judicio quasi singularis, ejus opera semper fuerunt magnifica et admiratione digna. Unde quadam vice sicut alter Samson aut David, aggressus leonem furentem interfecit, ut dicitur in Fasciculo temporum. Promotus autem in regem Jerusalem regni titulum licet non abnuerat, coronam tamen auream rejecit, dicens, indignum esse, hominem christianum illic regio et aureo diademate uti, ubi Christus rex regum spineam coronam pro humani generis redemtione pertulit, unde quidam minus humiliter sentientes eum in catalogo regum hierosolymorum latinorum non connumerant. Mihi autem non solum rex sed regum optimus, lumen et speculum videtur aliorum; non enim consecrationis munus sprevisse credendus est, sed pompam saeculi, perituram humiliter declinasse coronam, ut immarcessibilem alibi consequeretur. Postquam igitur Deo devotus princeps regnum obtinuit, sicut vir religiosus erat, statim regni sui Domino coepit offerre primitias, nam

protinus in ecclesia dominici sepulchri et templo Domini canonicos instituit regulares eisque ampla beneficia assignavit. Adduxerat etiam secum vir Deo amabilis monachos disciplinatos de claustris, qui toto itinere horis diurnis pariter et nocturnis divina illi ministrabant officia. Misit etiam in Italiam et Franciam pro viris clericis et religiosis, quibus parochias divisit, et ecclesias ac monasteria construxit.

In illis diebus inventa est in parte ecclesiae sanctae resurrectionis portio una dominicae crucis, quam ob metum (B) gentilium fideles occultaverant, quae res magnam fidelium attulit consolationem et toti ecclesiae gloriationem. Sane, cum usque ad illos dies Jerosolymitana vacasset ecclesia, de communi omnium voluntate dominum Daybertum, virum venerabilem, Pisanum archiepiscopum, qui post captionem civitatis in terram sanctam cum multis de Italia navigio venerat, in sedem collocaverunt patriarchalem. Ordinatis itaque ecclesiis processit piissimus rex Gothfridus ad sacri regni Jerosolymitani ampliationem et assumtis fratribus suis et universo bellatorum exercitu in manu forti egressus e civitate sancta descendit in Palaestinam contra Clementem Babyloniorum regem, qui cum grandi infidelium exercitu armatorum Ascalonem civitatem inhabitabat ad insidiandum Christianis. Rex ergo Gothfridus, oppugnata civitate, ipsam cepit, et ipsum Clementem cum XXX millibus interfecit tantumque auri et argenti ibi deprehendit, quantum umquam alio loco deprehenderat, indeque cum fratribus suis mira felicitate victoriae usus et Joppen et Ramulam urbes obsedit expugnavitque, atque alias similes urbes.

Tandem autem reversus Jerosolymam rex gravissima febre correptus in lectulum incidit extremae aegritudinis; qui sentiens mortem sibi imminere assumto salutis nostrae viatico, tamquam verus Christi confessor, viam universae carnis ingressus est sicque consummatus in brevi explevit tempora multa. Sepeliverunt autem eum fratres sui in ecclesiam dominici sepulchri, in pede rupis Calvariae, cum ingenti omnium Christianorum planctu et honore etc. De isto Gothfrido intelliguntur et exponuntur quidam textus ad litteram in Apocalypsi Cap. 17. et 18. ut habet Nicolaus de Lyra, et

Anth. in Chron. Parte I. Tit. 6. Cap. I. §. 14. 15. Multae narrantur de eo virtutes, de quibus transeo.

Secundus rex.

Mortuo Gothfrido, primo Jerosolymorum Latinorum rege, anno Domini millesimo centesimo successit in regnum dominus Balduinus, frater suus, comes Edessanus, vir strenuus et liberalibus disciplinis convenienter imbutus. Fuit autem naso aquilo, gravis in incessu et in verbis serus, chlamidem semper portans in humeris, ita ut ignotis magis episcopus quam saecularis princeps videretur. Ad ejus coronationem cum multi advenissent principes, eduxit eos extra Jerusalem in Bethlehem et in loco dominicae nativitatis coronam regni cum ingenti animi laetitia accepit.

De hujus regis magnificentia, animositate et virtute et de proeliis multisque victoriis contra infideles paucis dicere non sufficit. Hic aliquotiens Turcos devicit, Sarracenos prostravit et ter Aegyptios humiliavit, occiso Calipha eorum rege in triremi. In diebus ipsius factus fuit ingens terrae motus, ita ut civitas sancta totalem ruinam minaretur, ejus tamen augurium optimum praestabat eventum, nam post terrae motum multas civitates paganorum cepit et multa millia prostravit et regnum Jerosolymitanum valde auxit. Hic Ptolemaidem civitatem potentissimam devicit, et ultra Jordanem castrum munitissimum in Petra deserti instauravit eumque etiam montem regalem apellavit. De quo supra fol. 244 sermo habitus est.

Ejus tempore mortalitas Syriam afflixit et populus latinus quasi totaliter mortuus (275 A) periit. Videns autem rex urbem sanctam Jerusalem habitationibus vacuam, adeo, ut non esset in civitate populus, qui saltim ad protegendum civitatis introitum sufficeret, anxius cogitabat, quo modo fidelibus populis eam posset implere. Tandem didicit, quod trans Jordanem et in Arabia multi fideles in villis habitarent, qui sub gravibus conditionibus infidelibus serviebant et hostibus fidei sub tributo. Hos evocans rex cum uxoribus et liberis et universa familia in Jerusalem recepit, sicque jugum grave eis abstulit. Insuper infidelium pueros emit et baptizari fecit et eos in Jerusalem habitare constituit.

Porro anno Domini MCXVIII. virtuosus rex, ut Aegyptiis refunderet pro his, quae in regno saepius commiserunt, cum ingentibus copiis descendit in Aegyptum, urbemque antiquissimam, Farannam nomine, violenter obsessam expugnavit, praedamque militibus divisit. Sita est haec civitas in littore maris non longe ab ostio Nili et antiquitus dicebatur Tamnis. In hac civitate cum rex consisteret parans se ad interiora Aegypti penetrare, graviter infirmatus est. Quare indicto legionibus reditu lectica vectus est, ubi morbo superatus migravit ad Dominum; inde Jerosolymam reportatus dominica in ramis palmarum sepultus est juxta fratrem Gothfridum sub Calvariae loco regia magnificentia. Regnavit autem XVIII (annis) in Jerusalem, nec post se reliquit sui seminis superstitem.

Tertius rex Jerusalem.

Post mortem itaque secundi regis Jerusalem, Balduini, hujus nominis I., successit in regnum secundus Balduinus, tertius Latinorum rex ex nostris in Jerusalem, anno Domini MCXVIII. et XIII annis regnavit, fuitque amborum praecedentium regum consanguineus, dictus Balduinus de Burgow, natione Francus, de provincia Remensi, filius Hugonis comitis de Rechest, eratque forma conspicuus, corpore procerus, facie venusta, capillo raro et plano, canis mixto, barbam habens raram usque ad pectus dimissam, ad usum armorum habilis, rei militaris multam habens experientiam, erat praeterea clemens, religiosus ac timens Deum, et adeo in oratione jugis, ut callos haberet in manibus et genubus prae genuflexionibus ac afflixionum frequentia. His et aliis bonis conditionibus non obstantibus multis principibus ejus promotio in regnum valde displicuit. Quare comitem Bolaniensem, dominum Eustachium, fratrem Balduini primi defuncti regis, per nuntios solennes invitaverunt, ut ad regnum, quod sibi haereditario jure debebatur, veniret. Sicque licet invitum et renitentem usque in Apuliam traxerunt, ubi audiens Eustachius, quod medio tempore Balduinus de Burgo rex esset in Jerusalem ordinatus, ad propria retrocedere disposuit, et asserentibus, quod contra jus factum fuerat, nullo modo stare posse,

respondisse fertur: Absit hoc a me, ut per me in re
Domini ingrediatur scandalum, per cujus sanguinem m
pacem recepit et pro cujus tranquillitate viri virtutum e
mortalis memoriae domini fratres mei egregias animas
intulerunt. Quare compositis sarcinis ad propria reversu
ergo Balduinus confirmatus in regno anno secundo
sui (B) Gazm, Turcorum minoris Asiae ducem,
magnis copiis Jerosolymam petentem bello superatu
jecit in carcerem. Sequenti anno regem Damasci ex imp
Jerosolymam cum exercitu hostili animo petentem fudit
vitque duobus hostium millibus caesis ac mille captis, t
tantum de suis amissis.

Porro anno quinto regni sui cum rex contra
regem Parthorum, infestantem comitatum Edessanum, p
sisset et die quadam cum domestico comitatu ab
Turbessel egressus esset et incaute dissoluto agmin
ageret, secutus Balach praedictus positis insidiis dictum
Jerusalem cepit una cum proceribus suis et secum c
duxit in quoddam castrum ultra Euphratem, in quo eo
culis alligavit et duobus annis detinuit. Interea p
Aegyptius audita regis Jerosolymitani captivitate cu
nita suorum multitudine marino itinere Ascalonem pe
ut inde ascenderet Jerosolymam. Quod postquam d
Eustachius Grimer, cui regni gubernaculum commissum
in regis absentia audivit, ipse una cum regni prin
congregata universi regni militia contra hostes proce
paravit, pauci contra multos, nihil autem spei nisi De
bentes: exemplo Ninevitarum utrique sexui jejunium in
pueris etiam lactantibus, infantibus; universo quoque
pabula negantur. Dum autem exercitus Domini de
sancta exiret, praecessit in acie patriarcha Jerosoly
ferens pro vexillo dominicam crucem, et abbas olim
censis dominicam lanceam portavit, quae nuper inventa
ut dictum est fol. 271., et episcopus Bethlehemitanus in pi
beatae Virginis tulit. Et ita fide armati nostri contra
pergunt, atque juxta locum, qui Ybellim vocatur, eos re
tes, illorum spreta multitudine in eos animosius irruun

ilio divino invocato gladiis instantes illos in fugam ver-
t, quos nostri insecuti magna ac horribili caede proster-
t, adeo, ut de eis septem millia absque captivis, qui fue-
t infiniti, ea die occidisse referantur. Insuper aliam stragem
ndem nostri intulere infidelibus in mari; classem etiam
gyptiorum fugientem audita caede suorum nostri insecuti
i repererunt, et tanta in eo proelio caedes facta est, ut
carere videatur: nam mare adjacens de praecipitatis cor-
ibus ad duo milliaria in circuitu colorem sanguineum con-
isse dicitur.

Post haec, dum adhuc rex in captivitate esset, ceperunt
tri inexpugnabilem urbem Tyrum, maximo in ea fuso
guine Sarracenorum. Est autem Tyrus civitas antiquissima,
Severus Romanorum imperator ob egregiam in rempubli-
i Romanorum fidem jus Italicum dedit, quod Romani prin-
es non nisi paucissimis et bene meritis concedebant. Quanta
m huius civitatis antiquissimis temporibus gloria fuerit,
solum gentiles scriptores, verum etiam sacra prophetarum
cula perhibent testimonium, ut patet Esaiae c. 23., Ezech.
et 27.

Ex hac civitate fuit Sichaeus et ejus uxor Dido, quae
abilem civitatem Carthaginem aedificavit. In hoc regnavit
am, Salomonis cooperator in templi aedificatione. Capta
m Tyro rex Jerusalem pretio redemtus est et Jerosoly-
n rediit ac Christianorum rempublicam jam labentem red-
gravit Antiochiamque Jerosolymitano (276 A) regno
nxit, Ascalonitarum regem Jerosolymitanos infestantem
o repulit proelio et Balduinum, Damasci regulum, idem
ientem tribus proeliis fudit, multis passim pecudis more
sis. Post haec dedit Deus quietem regi, nec ausus fuit
squam ei resistere; pace ergo habita ad augmentandum
num cultum processit, monachos et religiosos diversorum
inum de partibus Christianorum advocavit et multa mona-
ia tam pro viris quam pro foeminis instituit et in Tyro
versitatem vel generale studium ordinavit, ad quod multi
olares de transmarinis partibus transierunt. Sub eo tres
giones inchoatae sunt in sancta civitate Jerusalem. Prima
Hospitaliariorum, quamvis etiam ante resuperationem terrae

sanctae fuerint Hospitalarii in Jerusalem, tamen non erat ordo. Legitur etiam, ut superius fol. 268 dixi, quod ante Gothfridum de consensu Soldani Christiani latini aedificaverint prope ecclesiam dominici sepulchri propter peregrinos monasterium virorum, in quo hospitio recipiebantur viri peregrini, postea propter frequentem adventum foeminarum peregrinarum aedificatum est aliud monasterium, in quo manebant foeminae peregrinae. Postea vero confluente multitudine, cum non possent dicta monasteria ad receptionem tantae multitudinis sufficere, fecerunt abbas et monachi quoddam hospitale prope eam capellam in honorem beati Johannis Eleemosynarii, qui fuerat patriarcha Alexandrinus, vir summae pietatis, et in illo hospitali manebant peregrini, et de utroque monasterio ministrabantur eis necessaria per monachos et moniales, quos puto fuisse ordinis S. Benedicti, quia fuerunt Latini in utroque monasterio, nec adhuc inchoatus fuit ordo Hospitaliariorum. Procedenti autem tempore, cum terra sancta recuperata fuisset et rex tertius Latinorum, Balduinus, pacem terrae dedisset, confluxerunt in magna copia peregrini ad Jerusalem, unde abbas monasterii pro virorum servitio deputavit quendam nobilem virum, qui se ad hoc voluntarie mancipaverat, Gerhardum nomine. Abbatissa vero pro servitio foeminarum quandam nobilem Romanam instituit. Hae duae personae Deo devotae praedicto abbati obedientiam fovebant, secundum modum vivendi hospitaliter sc. viventium congruum, eis ab abbate de consensu patriarchae Jerosolymitani praefixum. Eratque vestitus eorum in officio divino mantellum nigrum cum alba cruce, et augmentati sunt in tantum, ut per mundum grandia monasteria constituerentur, quia religiosissimi erant nec malum fieri sinebant. Duplici autem nomine appellari coeperunt: quidam eos nominabant Hospitalarios, quia magisterium hospitalis habebant; alii eos nominabant Johannitas, propter sanctum Johannem Eleemosynarium, cui hospitale Jerosolymitanum dedicatum erat, et hoc nomen usque hodie retinent, et ob majorem reverentiam suam S. Johannem Baptistam in patronum susceperunt, postquam insulam Rhodum possederunt, sicut et regulam beati Augustini profiteri coeperunt post eorum expulsionem a Jerusalem, quia, dum erant

in Jerusalem, non Johannem Baptistam patronum habebant nec regulam beati Augustini sciebant, sed sub directione abbatis et patriarchae vivebant. Sic ergo ordo Johannitarum incepit anno Domini 1118. in Jerusalem sub Gelasio Papa sed ad statum regularem deductus est anno Domini 1308. sub Clemente V. in insula Rhodi.

Sunt et alii post hos dicti Hospitalarii, qui non sic nuncupantur ab hospitali Jerosolymitano, sed ab aliis magnis hospitalibus, quibus serviunt, nomen et ordinem sortiuntur et diversimode vivunt.

(B) Secundus ordo, qui sub illo rege Balduino initium sumsit in Jerusalem, ex primo ordine crevit. Nam post hospitalis ordinationem et abundantem provisionem, cum peregrini in maximo numero cottidie de universo mundo confluerent, quidam latrunculi per vias absconditi peregrinos spoliabant et nonnumquam necabant et magnas caedes faciebant. Quod videntes quidam zelosi milites in manum patriarchae Jerosolymitani devoverunt, se viam publicam defensuros, et cum hoc professi sunt, perpetuo se velle vivere in castitate, obedientia et sine proprio, nec erant in principio nisi decem, quibus rex in palatio suo juxta templum concessit habitandum. Novem autem annis post eorum institutionem in habitu fuerunt saeculari, tandem nono anno concilio in Francia apud Trecas celebrato anno Domini 1128. instituta est eis regula et habitus albus assignatus cum cruce rubea de mandato Honorii Papae. Et quia prope templum habitationem habuerunt, Templarii dicti sunt, vel milites templi, quibus beatus Benedictus regulam composuit et frequenter eis epistolas scripsit. Sicut autem principium eorum fuit sanctum, virtutibus plenum, ita in posterum degeneravit a prioribus, postquam impinguati et dilatati sunt per mundum. Unde tempore Clementis V., cum a nostris scitum fuisset, illos ad Sarracenos defecisse et in multa vitia propter rerum abundantiam prolapsos fuisse, qui a Christianis comprehensi fuerunt, interfecti sunt, et non modo in Asia, sed etiam in Galliis, cum ignominiose nimium viverent, a Philippo, Francorum rege, concedente summo pontifice Romano exterminati sunt, eorumque bona opulentissima partim Johannitis, praedictis Rhodiis militibus,

et partim novis religiosis tributa sunt, et partim occupata per principes saeculares. Verum hodie constat, quod fratres Praedicatores plures possident notabiles Conventus, qui fuerunt domus Templariorum, sicut est Conventus Viennensis, Argentoratensis, Eslingensis, Wormatiensis et caeteri. Hos tamen Templarios quidam excusant, dicentes, quod rex ad eorum deletionem anhelaverit, ut bona eorum haberet, sicut patet in Chronic. Anton. Parte III. Tit. 21. C. 1. §. 3.

Tertius ordo post duos praecedentes non diu initium sumsit in Jerusalem, qui dicitur Sanctae Mariae Theutonicorum, cujus tale legitur fuisse principium. Cum inter populos fidelium maxime Theutonici sint devoti locis sanctis et in numero magno cottidie in Jerusalem venirent, taedio affecti Hospitalarii, qui erant de Francia, minus de Theutonicorum provisione curabant. Quidam autem Theutonicus cum uxore sua domicilium suum transtulit in Jerusalem ibique habitabat. Videns autem suorum Lantzmannorum miseriam et defectum, fecit maximam domum suam hospitale parvum cum capella beatae Virginis de licentia et consensu domini patriarchae Jerosolymitani pro receptione peregrinorum theutonicorum. In illo ergo loco devoverunt se quidam, servituros pauperibus et peregrinis ministraturos, et in dies crescebant ita, ut ultra modum ditarentur, unde Coelestinus Papa hujus nominis III. habitum album cum cruce nigra et regulam tradidit. Sunt autem quidam medii inter ambos praecedentes ordines, nam cum Hospitalariis sive Johannitis servierunt peregrinis et pauperibus et cum Templariis puguaverunt cum Sarracenis et infidelibus. Unde post terrae sanctae amissionem jussu Papae in Scythiam Europae descenderunt et Bruthenos, gentem adhuc idololatriae deditam, converterunt et ipsam Brussiam, Liveniam et alias terras in oceano germanico multis laboribus converterunt ad Christum.

His igitur ordinibus institutis et (277 A) aliis perfectis pius rex Jerusalem Balduinus in gravem incidit aegritudinem, videnque sibi mortis imminere diem de proprio palatio egressus supplex et humilis regio fastu deposito in conspectum Domini in palatio patriarchae, quia locus dominicae resurrectioni erat vicinior, se transferri praecepit ibique vocatis filia

genero pueroque Balduino jam bimilo coram praesentibus gni principibus curam eis regni tradidit, ipse autem verus ofessor habitum religionis assumens vitam regularem prossus, si vixerit, ei, qui pater spirituum est, spiritum redit anno regni sui XIII. sub monte Calvariae sepultus.

De quarto rege Jerusalem.

Quartus Latinorum Rex Jerusalem, Fulco nomine, gener aedicti Balduini, Andegauensis, Ceromanensis et Thuronensis mes. Adeptus est autem regnum anno Domini MCXXXI. tatis suae anno LX. et XI annis regnavit in Jerusalem. c cum duobus filiis suis multa proelia gessit non solum m infidelibus, sed cum imperatore Constantinopolitano et is principibus christianis, qui insidiabantur regno ejus. Ejus npore Aegyptii sub variis ducibus Christianos Jerusalem ientes infestabant et pluribus locis per eorum urbes irrumbant; propterea redintegratum fuit bellum, in quo nostri nnullas urbes ceperunt, et aliquas sibi tributarias fecerunt etc. er caetera hujus regis virtutis opera Turcos agrum Persim incolentes persaepe fudit, et non solum fudit, sed etiam tria millia eorum unico impetu interfecit totidemque cepit numque plurimum ampliavit.

Ejus tempore Turci Edessinum comitatum ingressi, quem ristiani gravissimis bellis acquisiverant, conabantur Christias ejicere. Comes autem Edessenus, grandaevus et infirmus, ndavit filio suo, ut assumtis secum militaribus copiis stibus viriliter occurreret, ille vero tamquam timidus se cusabat, asserens periculosum, cum tam paucis multitudini ntae occurrere, quare pater iratus sibi lecticam vectigalem lgariter ein Rossbar, parari mandavit, cui impositus cum , quas collegerat copiis, ad fugandum Turcos de terra sua rrexit. Ejus adventu cognitis Turci ejus animositatem fordantes ad propria fugientes reversi sunt. Eadem hora in o, de quo inimicos fugaverat, comes lecticam in terra poni sit et erectis in coelum oculis cum gemitu et suspiriis atias egit, quod in diebus suis novissimis eum Dominus nta gratia visitasset, quod in ipsis mortis vestibulis constius hostibus christianae fidei fuerit formidabilis. Et his dictis

in campo inter armatos spiritum reddidit. Porro anno Domini MCXLII. accidit res toti Christianitati valde damnosa. Nam cum dominus Fulco, rex Jerusalem, ad Ptolemaidem sive Achonensem urbem moram traheret ac extra urbem causa solatii perrexisset, casu accidit, ut lepusculus canibus excitatus fugeret, quem fugientem clamor universi exercitus insequitur, rex autem equo insidens et inconsulte festinans accurrit, sed equus in praeceps agitur corruensque in terram regem dedit praecipitem, adeo, ut sella caput regis totaliter conquassaretur, ita ut cerebrum tam per nares quam per aures emitteret; igitur cum universorum gemitu ad civitatem relatus triduo sine sensu adhuc palpitans vitam protraxit, quarta vero die spiritum exhalavit. Ejus corpus duxerunt in Jerusalem et in loco calvariae sepeliverunt, ubi priores reges Latinorum sepulti fuerant, ubi et eorum monumenta hodie patent et marmore polita fulgent.

Quintus rex Jerusalem.

(B) Defuncto Fulcone quarto rege Jerusalem successit ei filius in regno, nomine Balduinus, hujus nominis tertius rex et ordine quintus, qui fuit adolescens optimae indolis, omnes pueriles vitiosos devitans mores, et sanctum regnum optime gubernabat. Postquam autem factus est vir, fuit corpore procerus tantaque formae praeibat eminentia, ut iguaris etiam eximia quadam in eo refulgente dignitate certum de se et de regia majestate daret indicium. Affabilis erat et misericors multum, alieni minime cupidus, nec subjectorum more prodigi opulentiis insidiabatur, litteraturae mediocris erat et historias antiquorum regum et bellorum libenter legebat, et in dubiis bellis valde providus erat. Coepit autem regnare anno Domini MCXLII. et annis XXIV regnavit in Jerusalem.

Sub hoc rege Turci, Aegyptii et Sarraceni ac Arabes contra fideles insurrexerunt, inter quos Sagninus, vir sceleratus, Turcorum potentissimus, Edessam, quae olim dicebatur Rages Medorum, latinis populis refertam obsedit et cepit et mira crudelitate omnes peremit. Rex autem Balduinus adunato exercitu eripere Edessam properat, sed repulsus

reversus est Jerusalem caesis et amissis ex suis non paucis. Fiunt haec nota Romano Pontifici Eugenio III., qui viros religiosos ad diversas occidentis partes direxit ad denuntiandum Christianorum orientalium pressuras, inter quos vir immortalis memoriae beatus Bernhardus abbas ad exsecutionem eligitur, qui tanto fervore praedicavit, ut tam nobilium quam plebis favor gratuitis exhortationibus ejus spontaneum praeberet assensum et iter versus Jerusalem compromiserunt. Illustres praeterea viri, dominus Conradus II., genere Suevus, Romanorum imperator, et dominus Ludovicus, rex Francorum, cum multis utriusque populi principibus iter in orientem arripiunt, erantque gravissimi exercitus. Unde in imperatoris exercitu solo erant equitum loricatorum ad septuaginta millia, absque peditum copiis, quorum non minor numerus fuerat in comitatu regis Francorum Ludovici. Quibus si fuisset propitia Domini gratia, non solum Soldanum Iconii et Asiae minoris, qui potentissimus erat, verum universas orientis provincias nomini christiano faciliter subjugassent. Sed eorum occulto divino judicio sprevit famulatum Deus nec acceptum habuit munus, quod indiguis fortasse manibus offerebatur. Unde Dominus tradidit eos in manus infidelium Turcorum et Sarracenorum, et vexati in via ab eis, prostrati, imminuti, cum multa infelicitate venerunt Jerosolymam. Convenientes igitur in unum tres isti potentissimi, imperator Romanorum Conradus, rex Franciae Ludovicus et rex Jerusalem Balduinus II., universi eorum principes, comites, barones et milites tractare coeperunt, quod optimum et magis expediens videretur ad christiani nominis gloriam et regni Jerosolymitani incrementum. Sed nec huic consilio favor divinae miserationis affuit, unde a Damasco civitate, quam capere conabantur, cum ignominia magna recesserunt, et reversi Jerosolymam Ascalonem obsidere deliberabant, sed post multa verba ille etiam conceptus abortum passus est. Videntes autem, imperator scilicet et Franciae rex, Dominum non esse cum eis, parato navigio ad propria rediere. Ab ea igitur die coepit Latinorum orientalium manifeste deterior fieri conditio. Nam quorum sola nomina prius hostibus fidei erant formidini, (278 A) et nunc provinciam tantorum principum sine damno despexerant, unde in tantam

praesumtionem elati sunt, ut jam de caetero nec eorum vires haberent suspectas nec nostris instare acerbius vererentur.

Post abscessum ergo Christianorum occidentalium exercituum confortavit Dominus Balduinum regem Jerusalem, unde Ascalonem diu a Christianis obsessam vi cepit et Gazam, antiquissimam urbem, penitus derelictam reaedificavit et fratribus Templariis ad inhabitandum dedit. Tanti quoque animi et magnitudinis fuit, ut Turcorum satrapas strage magna percussos a se fugaret quinque millibus interfectis. Deinde Noradinum, Damascenorum militiae principem, Jerosolymorum agros infestantem, magna clade affectum usque in Damasci vicinia persecutus fuit. Multa etiam gravia bella gessit alia et captivitatem aliquando vix evasit.

In diebus suis ortum est proelium seu discordia periculosa in Jerusalem inter dominum patriarcham Jerosolymitanum et Raymundum magistrum domus hospitalis sancti Johannis, qui una cum fratribus suis tam domino patriarchae, quam caeteris ecclesiarum praelatis multas super patriarchali jure inferre coeperunt molestias. Nam sive a domino patriarcha sive ab episcopis et praelatis ecclesiarum ob scelera sua excommunicatos et ab ecclesia separatos ad celebrationem divinorum passim recipiebant, aegrotis viaticum et extremam unctionem dabant et mortuis in excommunicatione sepulturam multaque alia contra immunitatem ecclesiarum faciebant. Cumque dominus patriarcha super hujusmodi temeritate saepius conquereretur et reclamaret, sicut tenebatur, cives usque ad eam temeritatem venerunt, ut armis correptis contra patriarcham in ecclesiam sancti sepulchri irruerent. Et hoc fuit initium omnium malorum et futurae perditionis civitatis et terrae. Causae mali hujus Romana ecclesia materiam praebuit in eo, quod hospitale semper domino patriarchae subjectum exemtavit, sic et Templarios exemit et dominis Theutonicis privilegia dedit, exemtis autem et privilegiatis illis parva erat et quasi nulla jurisdictio patriarchae et episcoporum, et ita facta est regni divisio et per consequens destructio, juxta illud Lucae XI., 17.: Omne regnum in se divisum desolabitur.

Igitur dominus Balduinus rex quibusdam negotiis arduis quirentibus descendit a Jerusalem in Antiochiam, in qua istens in gravem incidit infirmitatem; qui mortem sibi sen- ens imminere periculumque Berytum se deportari fecit. Ibi istens regni sui praelatos, sicut et principes, ad se evocari cit, quibus in provincia sua constitutis fidem suam pie ac ligiose articulatim aperiens, pontificibus peccata cum multa ntritione confiteus, aerumnis solutus ergastulo animam coelis tulit anno Domini MCLXVI. die 21. Februarii. Ejus corpus ansportatum in Jerusalem et inter suos praedecessores in clesia dominici sepulchri sepultum est. Dicitur autem, quod quadam medicina sibi venenum fuerit propinatum, quia re- duum, quod regi sumere mandatum fuerat, pane infuso iidam catello traditum statim mortua est. Tantam autem istitiam in nullo regno pro morte alicujus principis exstitisse, illa historia tradit. Fertur nihilominus, et hostes fidei de orte ejus doluisse, ita, ut quibusdam suggerentibus Noradino, amascenorum regi, ut, cum christiani duces in multis essent ccupati, fines nostros ingrederetur, dicitur respondisse: Com- atiendum est et humane indulgendum justo eorum dolori), quod principem amiserunt, qualem reliquus hodie non abet orbis.

De sexto rege Jerusalem.

Domino Balduino rege Jerosolymitano defuncto successit i in eadem civitate sancta Latinorum rex VI. Almaricus, ater defuncti regis, anno Domini MCLXIII., et regnavit XII nnis in Jerusalem. Fuit autem hic Almaricus vir experien- a saeculari praeditus, prudens admodum et in agendis rcumspectus, modicae tamen litteraturae, sed ingenii vivaci- ite, memoriae beneficio satis commode instructus. Fuit liam, quod negari non potest, pecuniae cupidus, supra uam regiam deceret dignitatem, sed in regni necessariis nec xpensis parcebat nec proprii corporis fatigatione revocabatur. uitque in rebus bellicis strenuus, nam praecedenti anno regni ii Gorgontem Aegyptiorum ducem in proelio edita ingenti iede divinitus superavit, quo superato Alexandriam obsedit, uam Syracanus, Turcorum praefectus, Soldano per fraudem

subtraxerat. Alexandrini autem, cum nullo pacto Christianis subjici vellent, Almarico se hac conditione commisere, ut pulso tyranno in Soldani potestatem per suas manus reducerentur. Almaricus itaque accepit a supradicto Soldano quadraginta aureorum millia et expulit Syracanum ab Aegypto et Alexandriam Soldano restituit. Et fuit foedus pacis firmatum inter regem Aegypti et regem Jerusalem, et si foedus illud servatum fuisset, nemo regnum Jerosolymitanum umquam molestasset. Sed serpens antiquus, qui seminat inter fratres discordiam, Almaricum et Soldanum dissolvit. Percepit enim rex Almaricus, quod Soldanus occultum tractatum haberet cum Syracano, tyranno Turcorum, quem nuper ab Aegypto fugaverat, unde collecto exercitu descendit per desertum in Aegyptum et captis aliquibus Aegypti oppidis Chayrum urbem regiam potentissimamque obsedit. Soldanus autem regis animum pecuniarum cupidum promissionibus enervavit infinitam pecuniam ei tradens. Nam, ut dicunt aliqui, aureorum vigesies centena millia, quod vix Aegypti regnum persolvere posset, promisit, in promtu tamen ei dedit centum millia aureorum, ut a se recederet. Accepta autem pecunia solvit obsidionem a Chayro et circa hortum balsami castra constituit et ordinatis agminibus in propria redlit et tam Aegypti quam Damasci reges inimicos habuit.

Post haec imperator Graecorum de Constantinopoli cogitavit, Aegyptum suo imperio jungere, et classem magnam, in qua centum quinquaginta erant rostratae naves et onerariae LXII, misit in Syriam et dominum Almaricum regem Jerusalem in adjutorium advocavit. Descenderunt ergo cum copiis terrestri et marino itinere in Aegyptum et Damiatam obsederunt, sed nihil proficere poterant et ita non parvo nocumento accepto ad propria redierunt.

Surrexit etiam rex novus in Aegypto fortunatissimus, Saladinus dictus, saepe in sequentibus nominandus, et omnem progeniem Caliphae et regum gladio transverberavit et tam Aegypti quam Syriae regna possedit, nec quievit in diebus suis, quousque quantocius orientis dominium usurparet. Erat enim vir acris ingenii, in armis strenuus, consilio altus, liberalis supra modum, maxime in viros militares, in quos omnia

effundebat. Fuit praeterea clemens in devictos et in verbo valde stabilis et in omnibus clarissimus, cui nihil aliud ad suam laudem defuit, nisi christiani nominis caracter, et quia eo insignitus non erat, contra Christum et christianum populum se erigebat, et fuit factum flagellum Christianorum in oriente, ipse (279 A) etiam expugnavit Christianos, expulit Latinos, terram sanctam debellavit et Jerosolymam cepit et dominicum sepulchrum sibi subjecit et ornatum ecclesiae orientalis tulit et coronam ac gloriam fidelium Christi in ignominiam vertit, ut sequentia monstrabunt.

Hoc autem notabile legitur in quadam chronica de hoc Saladino. Dum enim moriturus esset, mandavit, in sui funeris trophaeum tale ante corpus suum deferri spectaculum: pannum videlicet vilem et nigrum, in lancea suspensum, cui praecederet praeco, clamans: Saladinus, Asiae dominator, ex tanto regno tantisque opibus moriens nil aliud secum defert nisi hunc vilem panniculum.

Igitur Almaricus, rex Jerusalem, videns Saladinum, Aegypti et Syriae regem, prudentem et cautulosum et ad alia loca obtinenda adspirantem, misit solemnes nuntios ad principes occidentis, ut insinuarent omnibus regni Jerosolymitani importabiles necessitates et Christianorum in ibi afflictiones et casuum imminentium pericula. Nuntii ergo illi feliciter ad partes occidentales venerunt et praedicantes regni Jerosolymitani pericula nihil profecerunt, nec fuit auditus in principibus nec in praelatis ecclesiae.

Porro Saladinus quotidianas irruptiones fecit in regnum Jerosolymitanum et hostium incessanter angebatur minis et gravibus molestiis fatigabatur regnum, unde anno Domini 1171. anxiatus rex Almaricus alios solennes nuntios misit in occidentem, ipse etiam per se in propria persona cum classe X galearum ad imperatorem Constantinopolitanum accessit, ei necessitates regni Jerosolymitani proponens et negotio peracto rediit in Jerusalem. Tandem rex Jerusalem Almaricus, cum aliquibus mensibus febre fatigatus decubuisset, mortuus est anno ab incarnatione Domini 1175., regni ejus anno 12. et aetatis suae 33. Sepultus est autem inter praedecessores suos, secus fratrem, in eadem linea ante locum Calvariae.

Septimus rex Jerusalem.

Almarico VI. rege Latinorum Jerosolymis defuncto successit illi in regno Balduinus ejus nominis quartus, ipsius filius. Erat autem annorum XIII, tempore quo pater ejus obiit et sexannis regnavit in Jerusalem. Hic vivente patre, cum esset annorum novem, deprehensus est in morbum elephanticum incurrisse. Quidam enim scribunt, eum ab infantia lepra fuisse infectum, et licet gravatus infirmitatibus esset, regnum tamen constantissime ac prudentissime gubernavit. Nam Saladinum fortissimum ac industrium virum duobus devicit proeliis, uno saltem apud Ascalonem, altero apud Tyberiadem. De quibus proeliis longa habetur historia contexta.

Porro anno Domini 1178. Saladinus cum suis copiis iterum regnum Jerosolymitanum ingressus est, quod postquam regi innotuit, suis convocatis contra inimicos fidei processit, in quo congressu multi de nostris gladio corruerunt, et dominus Addo, magister templi, captus fuit et in carcere obiit et multi alii capti fuerunt, rex vero cum paucis vix evasit. Hac victoria elatus Saladinus infinita damna eo anno regno intulit. Tandem autem quibusdam intercedentibus inter Christianos et Saladinum treugae factae sunt ad biennium. Rex ergo Jerusalem Balduinus invalescente infirmitate uxorem ducere noluit et nec filios nec filias habuit, sed duas sorores, quarum maior natu vocabatur Sibylla, quam tacitus regni haeredem fecit eamque Gwilhelmo cognomento Longaspata, filio marchionis Montis ferrati, uxorem dedit. Hic Gwilhelmus jussu regis Balduini multa contra infideles viriliter gessit eratque vir nobilissimus, adeo, quod in nobilitate parem non habuit. Nam mater regis Francorum, Philippi, germana ipsius fuit, mater vero ipsius (B) Gwilhelmi soror fuit domini imperatoris Conradi, sed post tres menses consummati matrimonii dictus Gwilhelmus decessit, uxore praegnante dimissa, quae dum tempus partus advenit, filium edidit, quem Balduinum nominavit. Dominam autem Sibyllam, iam dictam sororem suam, rex tradidit nobili juveni, Guidoni Lusignano, parvulo filio, nepoti suo, consulturus, quem ipsi Guidoni ac Raymundo, comiti Tripolitano, in tutelam dedit hac lege, ut dum Balduinus

parvulus in provincia esset, regnum ambo gubernarent et post pueritiae annos, ipsum regnum nepoti traderent. Sed ut hoc sine impedimento fieret, puerum ipsum coram omnibus regni militibus in regem inungi fecit super regnum Jerosolymitanum. Et ille est nonus rex Jerusalem, inunctus ante mortem octavi regis, patrui sui. Non multis autem diebus evolutis dictus Balduinus puer rex Jerusalem nonus defunctus est et ex industria ejus defunctio multis diebus est per matrem ejus occultata, quia videbatur ei, quod antiquus leprosus rex Balduinus morti esset etiam propinquus et eo mortuo et puero vir ejus Guido succederet in regno, sicut et accidit. Non enim multo post Balduinus octavus [septimus] rex Jerusalem obiit et in sepulchris regum in loco Calvariae sepultus est. Nepos vero ejus Balduinus puer, rex nonus, sepultus est in ecclesia dominici sepulchri, extra tamen capellam loci Calvariae, in quo alii reges sepeliri consueverant, quia videbatur non fuisse rex, cum infans esset.

Octavus rex Jerusalem.

Mortuis Balduino, hujus nominis IV., rege Jerusalem VII., et nepote suo Balduino V., rege civitatis sanctae, successit in regnum Guido Lusignanus, Sibyllae Balduini leprosi sororis maritus et sororius quarti Balduini, et regnavit duobus annis in Jerusalem. Hic cum difficultate ad regnum pervenit et in magnis angustiis regnavit et cum maximo diffortunio regimen finivit et regno Jerosolymitano lamentabilem finem dedit. Nam mortuis duobus praefatis Balduinis regibus, comes Tripolitanus, tutor pueri Balduini defuncti, ad regnum aspirabat et multi principes et comites in ejus parte consentiebant, et domino Guidoni, marito Sibyllae, qui haeres regni erat, insidiabantur. Domina autem Sibylla, ut vir suus Guido inungeretur et coronaretur in regem Jerusalem, largitionibus ac blanditiis a patriarcha Jerosolymitano et magistro templi et proceribus obtinuit. Hoc autem Raymundus praeses Tripolitanus graviter tulit, unde inter ipsos, Guidonem scilicet et Raymundum, maximae ortae sunt dissensiones, in quibus Raymundus, Saladino Turco amicus occulte factus et confoederatus maximum detrimentum Guidoni et reliquis Christianis

acquisivit. In tantum etiam facinus invidia Raymundum deduxit, ut Christi fidem abnegaret et circumcisionem susciperet ac ritum Machometi profiteretur, licet occulte.

Anno Domini 1187. Saladinus propter nostrorum discordias vires adeptus congregata multitudine infinita suorum regnum sanctum hostiliter invasit et multas terras Christianis abstulit. Cumque rex Guido undique ab infidelibus arctaretur, de principum suorum consilio dominum patriarcham Jerosolymitanum una cum magistro templi et priore hospitalis misit ad principes occidentis, quod illis denuntiarent, in quanta calamitate esset populus christianus in oriente. Hic primum ad regem Francorum Philippum venerunt, cui claves sepulchri dominici et templi et civitatis sanctae detulerunt, (280 A) supplicantes, ut terrae sanctae perituraе succurrere dignaretur. Rex ergo piissimus congregatis omnibus praelatis Parisiis concilium celebravit et strenuosissimos milites suis expensis in terram sanctam misit. Interea Saladinus congregata infinita multitudine Turcorum et Sarracenorum ex omni oriente terram Christianorum ingressus Galilaeam provinciam infestabat et Tyberiadem obsidebat. Contra quem rex Jerusalem Guido coadunato magno exercitu progressus est, sed, hea! nostri contriti sunt proditione nequissimi viri, comitis Tripolitani. Nam cum jam congressio facienda esset, comes ille erecto suo vexillo de acie fugit et ordinem nostri exercitus confudit, eumque quique regis Jerusalem inimici et viri dolosi secuti sunt, sicque fit ante fugam et in fuga nostrorum strages horribilis, in quo quidem discrimine Acconensis episcopus, qui ante exercitum Domini crucem dominicam ferebat, graviter vulneratus est, qui mortis sentiens imminere discrimen, cum se super equum non posset erigere, crucem dominicam alteri tradidit, qui eam regi Guidoni portavit. Ad postremum, cum rex usque ad belli finem strenue cum sua cruce dimicasset, undique invadentibus hostibus, suis pro majori parte occisis, et ipse fugere non posset circumdatus inimicis, una cum pretioso ligno vivificae crucis capitur, nec fuit proelium tote tempore Latinorum in oriente, in quo tantus sanguis Christianorum fuit effusus, sicut illo die. Nam eo die totius Christianitatis concidere vires in oriente. Maxime autem Hospitaliariorum

; Templariorum virtus enituit. In eo etiam funestissimo roelio omnes nobiles et viri fortes ceciderunt, demtis paucis, ui capti sunt cum rege et magistro templi. Dicit Vincentius i Spec. Histor. L. 30 C. 43., quod ab eo die captivitatis sanctae ucis infantes, qui postea nati sunt, non nisi 20 vel 21 dentes abeant, cum antea 30 vel 33 habere solebant. Saladinus item post victoriam fortunam suam secutus victorem exertum ad expugnandas Christianorum urbes atque castella lduxit et maritima loca occupavit et primo omnium Ptoleaidem; deinde Berytum et omnia alia loca munitissima ad oditionem compulit, nec aliquam gravavit, quae sub ejus tione et tributo manere voluisset, nec fuit ab Accon usque l Ascalonem aliqua civitas, quae ausa fuisset resistere, utste de suis defensoribus destitutae. Ascalonitae autem, eo uod inexpugnabilem credebant eorum civitatem, impetum aladini paulisper retardantes urbem illi tradere noluerunt, serentes, nulla ratione se civitatem resignare velle onec scirent pro certo, si Jerosolymitani cives eorum rbem sic resignarent. Quo audito Saladinus civitate obsione vallata diebus X continuis aggressionibus impugnavit, ed nihil efficere potuit, erat enim Ascalon civitas munitissima, uam Gothfridus primus rex Jerusalem cepit, sicut dictum est ol. 274. Cujus memoria habetur in antiquissimis sacrae scripurae libris, ut patet.

Quomodo capta est Jerusalem civitas ab infidelibus et quibus meritis.

Saladinus autem videns, quod domare Ascalonem non osset nisi capta Jerosolyma civitate sancta, obsidionem Ascalonis solvit et cum omni apparatu bellico in multitudine gravi montana ascendit Judaeae, ut Jerusalem in eis sitam xercitu vallaret et caperet. Jerosolymitae autem cives et ui de vicinis locis undique hostium metu illuc confluxerant, udita strage suorum et vivificae crucis amissione et regis aptione et Saladini appropinquatione omni se supplicandi enere humiliabant. Agebantur ab omnibus Christianis ibiem (B) habitantibus solenniter litaniae et confessiones et

jejunia, sed et parvula aetas his spiritualibus exercitiis insistebat. Sed ira Dei in patulo vehemens erat, nec mirum, nam nimis et clerus et populus in luxus varios se effuderat, totaque terra illa facinoribus et flagitiis sordescebat, insuper et qui religionis praeferebant habitum, regularis temperantiae turpiter fines excesserant, pauci erant, quos vel avaritiae vel luxuriae morbus non inficeret. In ministris templi sacer zelus et contentio erat admodum et litigium pro ambitione, nam milites templi et hospitalium ministri contra patriarchas et episcopos decertabant et exemtiones quaerebant suamque falcem in messem alienam mittebant, qui tamen in principio institutionis eorum subesse gaudebant. Simoniacam pravitatem committere pro nihilo ducebant et dominicum sepulchrum et locum resurrectionis personis indignissimis per simoniam introductis cottidie replebant. Propter quod munus gratissimi ignis scilicet coelestis in nocte sacratissimae paschae a divina clementia datus in principio tempore Gothfridi regis et Balduini I. et Balduini II., retardavit descendere ad accensionem luminum ultimorum regum temporibus. De quo igne vide supra. Et si clerus his malis infectus fuit, quomodo Spiritus potuit esse sanctus?

Facta etiam fuerat Jerusalem Aegyptus et Sodoma, similibus transgressionibus polluta, nam tota urbs erat plena hospitiis privatis, et de omni natione, quae sub coelo est, erant hospites a suis terris propter facinora exules, vel propter mulieres, quas secum traxerant, in suis terris apparere et manere non volentes, vel propter debita, quae domi solvere nequibant, exsules in Jerusalem, hospitalitati intenti, lucris insistebant, vel quod propter excommunicationes manere in solo proprio non poterant, Jerosolymis manebant, et nonnulli lucrandi causa de occidente in orientem domicilium transferebant. Et milites sepulchri dominici et templi custodes multi erant, et in tanta multitudine pauci erant, nisi scelerati, impii, raptores, sacrilegi, homicidae, perjuri, adulteri, ut dicit Bernhardus in Sermone ad milites templi, Cap. 5. Sicque civitas sancta facta fuit refugium malefactorum et plena erat hospitiis inhonestis, in quibus luxuriae, crapulae et ludis operam dabant peregrini, postquam loca sancta visitaverant.

Ad hoc etiam devenerat malum, quod in hospitali S. Johannis nemo vel pauci manebant, quia nulla [cura vel] minima ab hospitalariibus fovebantur peregrini, cum tamen hoc hospitale opulentissimum fuerit; nec in hospitali Theutonicorum sanctae Mariae pietas erat, et ideo boni et honesti peregrini cogebantur adire hospitia, quorum patroni erant fures, raptores, dolosi, expulsi et turpitudinum patroni.

Praeter haec fuit per Christianos avaros quietudo civitatis sanctae perturbata, quia plena negotiationibus fuit facta de omni lingua, et ubi multa est negotiatio, ibi et abundans injustitia, unde ad litteram poterat Dominus supplicantibus pro civitate dicere illud Jerem. V.: Circuite vias Jerusalem et aspicite et considerate et quaerite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium et quaerentem fidem, et propitius ero eis etc. Propter haec ergo Dominus ad iracundiam concitatus terram, quam tulerant de manibus impiorum, rursum permisit eandem eorum dominio occupari. Veniens igitur Saladinus Jerusalem urbem grandi exercitu obsedit eamque ab occidentali parte vallavit atque continuis aggressionibus obsessos vexare coepit, sed civibus pro viribus resistentibus ab aquilonari parte diu noctuque civitatem impugnavit, cumque muros machinis debilitasset, timentes cives, cum ex nullo loco praestolaretur auxilium, ne hostes violenta irruptione urbem occuparent, placuit instanti et inevitabili periculo cedere et sub certis conditionibus se reddere Saladino, ut scilicet redemtionis accepto pretio libere eos, qui exire voluerint, abire permittat. Saladinus ergo, sicut natura homo pius erat, misertus populo condescendit petitioni et omnibus, nullo demto, vitam donavit, hac conditione, quod qui manere sub suo tributo vellet, salvus maneret, qui (2S1A) autem emigrare vellet, si virilis sexus esset, aetatis plus quam decem annorum, solveret decem aureos puros ducatos, si vero minoris aetatis, solveret duos ducatos, mulieres vero darent quinque ducatos. Et haec conditio utrique parti placuit. Sed quia multa millia in civitate erant pauperes, qui nec decem denarios habebant, hos omnes absolvit Saladinus a debito.

Facta est autem haec civitatis sanctae deditio die secunda Octobris, qui erat decimus quartus obsidionis, anno Domini 1187. feria sexta, anno LXXXIX., postquam Christianorum fuerat.

Praeconizatum est ergo per urbem, ut omnes, qui in urbe erant Christiani, post tres dies ex urbe migrarent vel se servituti Saladini pagani subjicerent, quod jam dudum per Papam fuit gravissimis censuris inhibitum, ne in tali casu Christianus manere praesumeret, qui autem maneret, excommunicatus, anathematisatus et penitus ab ecclesia abscissus esset. Ad hanc lugubrem vocem praeconis tantus clamor plangentium ortus est in Jerusalem, ut usque ad aliqua milliaria audiretur lamentatio Christianorum. Dicitur etiam, quod ipse Saladinus et sui crudeles principes emolliti et perterriti ejulatibus et lamentis Christianorum humana compassione ad fletum moti fuerint et quod omni petenti promissam pecuniam remiserit. Praecepit insuper Saladinus suis exercitibus, ne quis urbem intraret ante diem statutum exitus Christianorum. Igitur die statuta Christiani cum universa supellectili exeuntes intolerabili clamore et lamento coelum replebant et terram turbabant, cunctos autem praecessit Heraclius patriarcha Jerosolymitanus cum cruce, cum clero et monachis et religiosis utriusque sexus, cum virginibus, quae conclusae fuerant, qui omnes magno facto agmine patriarcham sequebantur portantes imagines et cruces, reliquias et monstrantias, quae conculcata fuissent ab infidelibus. Post hos sequebantur nobiles et bellatores, demissis capitibus, verecundi et tristes, et consequenter vulgus promiscui sexus, cum impatientia portantes parvulos suos, qui cum pecudibus ejulabant et flebant.

Divisi sunt autem Christiani ante civitatem, et pars Alexandriam, pars Tyrum, et pars Antiochiam emigravit, et ad alios maris portus descenderunt isti, ad alios illi, quia quidam erant Siculi, et illi petebant Alexandrinum portum, alii Itali et Theutonici, et illi Tyrum petebant vel Tripolim, et ad hunc Tripolitanum portum major pars descendit, sed quod migrantibus apud Tripolim contigerit, vix sine lacrimis et nullo modo sine compassione enarrari potest. Cum enim expulsi Jerusalem tristes appropinquassent civitati Tripolitanae,

visa civitate parumper consolati fuissent pro eo, quia in ea omnes fideles erant, a quibus consolationem accipere ex eorum debita compassione sperabant, et jam credebant manus Sarracenorum evasisse: in sacrilegos et ipsis Sarracenis deteriores inciderunt. Nam comes Tripolitanus, Raymundus, occultus a fide apostata, sicut supra folio 179. diximus, cum suis satellitibus, filiis iniquitatis, migrantibus occurrens, qui iam ipsis compati debuerant tamquam fratribus, illos ut crudelis hostis invasit, nam quidquid secum ex eorum substantia detulerant, et illud, quod ipsi Sarraceni humanitatis gratia dimiserant, violenter ab eis abstulit, multis conviciis irrogatis. In tanta autem calamitate constituti, multi, quia iam nauclerum habere non poterant nec redire possent, cum Sarracenis manserunt, contra dictum superne; multi fidem abnegaverunt; multi inedia consumti perierunt; multi prae dolore se necaverunt. De quadam etiam muliere legitur, quod in Jerusalem inclita et dives fuerat, et cum aliis Latinis de Jerusalem abscesserat, et filium suum parvulum in humeris usque ad mare juxta Tripolim portaverat transducendum; sed cum ibi ab illis malis Christianis totaliter exspoliata esset bonis suis, nec ad nutriendum filium (BB) quidquam haberet, furore foemineo acta proprium filium in mare projecit.

Cum ergo Christiani omnes de Jerusalem emigrassent, ingressi sunt Sarraceni civitatem sanctam, et in improperium et opprobrium nominis christiani in ipsis ecclesiis stabulaverunt jumenta, turpia et nefanda operantes ibidem et sacra templa foedantes, et imagines omnes Dei et Sanctorum ab ipsis deleverunt inventoque crucifixi Domini nostri simulacro per derisionem in publicum vicum portaverunt, sputis et saxis petito cum omni foeditate polluerunt. Insuper sacras virgines et matronas, quae ex nimia spe in confidentia adjutorii coelestis reclusae manserant, eduxerunt stuprandas et adolescentulas tradiderunt prostituendas. Contigit autem circa hoc memorabile factum, quod recitatum est supra fol. 230., quamvis quidam dicant, esse factum in ultima captione civitatis Acconensis.

In ipsa autem furia effractis vectibus et valvis ecclesiae dominicae resurrectionis ingressi sunt et altaria profanaverunt

et vitreas fenestras destruxerunt sculptâsque lapideas imagines avulserunt de parietibus. Demum in turrim et campanile ascenderunt et campanas malleis confregerunt, et in vituperium Christianorum sic confractas tenuerunt multo tempore, sicut vidit dominus Antoninus, ut habetur in Chronico Part. II. Tit. 17. c. 9. §. 18. Ego vero fragmenta campanarum non vidi, sed trabes et juga, in quibus campanae suspensae fuerant. Noluit autem Saladinus, ut cum tumultu et violentia ecclesia dominici sepulchri subverteretur, propter pretiosas marmoreas columnas et politas tabulaturas, quas tollere integras pacificato negotio deliberaverat, sicque successive templum illud solvere cogitabat.

Denique ecclesiis Christianorum profanatis accesserunt ad templum, quod nominant Salomonis, et omnia Christianorum altaria ejecerunt et imagines abraserunt, et eo purgato vel potius profanato pavimentum et parietes aqua rosacea laverunt et multis perfuderunt odoribus, miram enim venerationem et templo illo et loco exhibent. His lotionibus peractis, quae sunt eorum consecrationes, intravit Saladinus cum suis principibus et ritu mahometico victimas obtulit.

Porro Suriani et caeterarum sectarum homines, scilicet Maronitae, Jacobitae, Georgiani, Armeniani, Nestoriani, Abessini sive Indiani, et caeteri orientales Christiani, schismatici et haeretici, ad Saladinum accesserunt, et juramenta ei praestantes et tributa se locari in loco Latinorum petierunt, quod libens fecit, ut civitas haberet habitatores. Insuper ecclesiam dominici sepulchri, quam audierant in proximo destruendam, auro et argento copiosissimo Saladino dato redemerunt, ne destrueretur. Accepto ergo auro Christianis orientalibus dimisit eam sub hac duplici conditione, primo, ut nullus occidentalis Christianus intromitteretur absque solutione tributi statuti, quod sibi ponitandum ordinavit et ad hoc exactores posuit; secundo, ut nulla amplius campana in turri suspenderetur, sed cum tabulis ligneis signarent ad Officia. Sic ergo ab illo die usque ad praesens non est campana audita in Jerusalem jam per trecentos annos.

Sic ergo capta Jerosolyma posito in eo praesidio Saladinus cum universo suo exercitu ad obsidendum denuo redit

Ascalonem, quam cum aliquibus diebus impugnasset, ea conditione cives tradere ei civitatem parati erant, si regem Jerusalem Guidonem et Magistrum templi, quos in bello ceperat, Christianis restitueret. Quae pacta Saladinus libenter amplectens recepta civitate, ut in pactis promiserat, regem Jerusalem cum Magistro templi (382 A) et omnem illorum domesticam familiam liberos abire permisit. Hac autem urbe sic obtenta Saladinus ad alias urbes et castra Christianorum se convertit et in brevi temporis spatio omnia subjugavit demtis aliquibus maritimis civitatibus, Tripoli scilicet et Tyro. Comes etiam Tripolitanus, Raymundus, proditor pessimus, nocte praecedenti, quando in die tradenda per eum fuit civitas Saladino, mortuus in lecto repertus fuit, et signa abnegationis fidei et stigmata circumcisionis suae et proditionis litterae omnibus sunt ostensa. Rex ergo Jerusalem Guido, perdita civitate suae sedis ad Tripolim se contulit, ibique cum suis principibus consedit. Est autem Tripolis civitas maritima in regione Phoenicis sita, fortis et antiquissima, negotiationibus apta.

De statu civitatis sanctae Jerusalem post ejus captionem, et de regibus ejus tutelaribus et diversis translocationibus tituli regni Jerosolymitani etc., et de commotione totius occidentis et succursu terrae sanctae.

Postquam igitur fuit sancta civitas Domino ita permittente in manibus Sarracenorum resignata et totum fere Jerosolymitanum regnum perditum et populus christianus multipliciter afflictus et confusibiliter de regno ejectus et Papa Urbanus III. hoc primum audivisset, prae nimio dolore et tristitia statim in lectum decidit et mortuus est in Ferraria, ubi tunc erat. Ibi etiam sinistri rumores et lamentabiles casus universa occidentis regna concusserunt omnesque reges et principes ad vindicandum Christianorum sanguinem se accinxerunt. Anno ergo Domini 1188. convocatum fuit generale concilium Parisiis, in quo ammirabilis et incredibilis multitudo militum ac peditum in subsidium terrae sanctae crucem accepit.

Eodem anno illustrissimus imperator Romanorum, Fridericus primus, crucem cum suis principibus et nobilibus de Alemannia assumsit, et rex Francorum Philippus et Heinricus rex Anglorum et caeteri reges omnes, archiepiscopi et episcopi et praelati ecclesiae Dei cum infinitis populis cruce signati sunt. Et erat illa commotio adeo universalis, ut totus mundus in hoc propositum coiisse videretur. Fit ergo mirabilis congregatio equitum et peditum et per terram et maria impetu ferventissimo vehuntur contra infideles. Eo autem tempore erat in Calabria abbas Joachim, maximae doctrinae et excellentis ingenii vir: hunc accersitum reges et principes in terrae sanctae expeditione existentes interrogabant de effectu illius profectionis. Quibus ille dixit, quod mare quidem transirent, sed in recuperatione terrae sanctae parum proficerent, et nondum adesse tempus, quo Jerusalem a Christianis possideri posset. Et sicut insignis vir ille dixit, ita accidit. Ingressi enim Syriam, nihil ceperunt nisi Ptolemaidem, quae Acca dicitur, toto biennio. Capta est autem Acon anno Domini 1194. non ruptione murorum, sed sub his conditionibus, ut salvis personis Sarraceni exirent, et lignum crucis, quod in bello ceperat Saladinus, sicut supra folio 280. patet, Christianis restituere promitteret et ducenta millia ducatorum solverent. Sed quia pacta regibus promissa de sancta cruce restituenda et de captivis Christianis reddendis non observavit Saladinus, rex Richardus una die quinque millia decollari mandavit.

His diebus decesserunt duae filiae regis Guidonis, quas ex Sibylla, primogenita Almarici regis susceperat, et post modicum mater ista, domina Sibylla, etiam decessit (B) ex hac vita, nec superfuit aliquis de vera stirpe regia regum Jerusalem, nisi domina Elizabeth, uxor Eufredi de Corono. Habuit enim Almaricus sextus rex Jerusalem unum filium Balduinum, ab infantia leprosum, et duas filias, Sibyllam et Elizabetham. Mortuo autem Almarico regnavit leprosus, qui quia generare non potuit, haerede ex se caruit et fecit Sibyllam seniorem sororem suam haeredem regni, cujus maritus, secundus Guido pro ea regnavit, Elizabeth autem ejus soror domino Eufredo nupsit. Post perditam autem terram sanctam

et Jerusalem, Sibylla regina et haeres regni Jerosolymitani obiit nullo derelicto ex se de Guidone haerede. Audiens autem Elizabeth soror Sibyllae mortem ejus, reginam et haeredem regni Jerosolymitani se esse divulgabat et virum suum Eufredum esse regem loco sui, sicut fuerat Guido loco sororis, ubique pronuntiabat.

Eufredus ergo apud Acon occidentis principes invocabat et aliquos ad se inclinabat dicens, uxori suae regnum deberi, tum ex praecepto patris Almarici regis, tum etiam ex testamento fratris Balduini leprosi regis. E contrario rex Guido se juste et solenniter unctum Jerosolymis et coronatum asserebat, et se numquam a regni solio debere deponi, dum nihil depositione dignum in regno commiserit. De hoc ergo negotio concertabant illi duo, Guido ac Eufredus, et quilibet aliquorum principum favorem sibi acquirere studebat, et erat inter principes major quaestio et cura, quis esset rex Jerusalem, quam quomodo recuperanda Jerusalem esset.

Porro dominus Heinricus comes Campaniae et multi alii sentiebant, regnum ad Elizabetham transiisse per mortem sororis, et ideo favore praedicti comitis factum fuit, ut Eufredus portus vectigalia et delinquentium commissa reciperet et alia, quae regi Jerusalem debebantur, ita, ut solo nomine Guido remaneret rex, omni exspoliatus jurisdictione, quare rex merito querebatur, quod contra omnem justitiam honore spoliaretur regni. Et ob hanc (causam) convocatis his, qui cum a principio secuti fuerant, exercitum congregavit et fortunae casibus se committere statuit, et una cum eis confligere cum Sarracenis deliberavit. Hoc videntes principes majores timebant, si cum tam paucis contra Sarracenos procederet et occumberet, quod tota multitudo congregata in Dei servitio dissolveretur. Unde factum est, ut ad omnia rex Guido ut primus restitueretur. Sed marchio Montisferrati, Conradus, cui videbatur, quod regnum ad dictam dominam Elizabetham jure haereditario devolutum (esset), regni cupiditate ductus rem nefariam operatus est, matre sua Calomaria, uxore supra dicti Almarici, qui adhuc vivebat, consentiente: praedictam enim Elizabetham a viro suo Eufredo rapuit et de facto uxorem duxit. Quod enorme et detestabile factum omnibus peregrinis

displicuit, dissimulaverunt tamen, ideo, quod nisi eo volente victualia a Tyro venire non poterant.

Ipse praeterea tamquam vir astutus quosdam de majoribus donis et muneribus ad se inclinaverat pro auxilio sibi praestando in hoc negotio. Post occupaverat etiam Tyrum civitatem ille Conradus marchio et potens erat et nominatus; quia Saladinum cum exercitu suo a Tyri obsidione repulerat, ideo eum offendere nemo audebat. Interea cum exercitus Domini ad obsidionem Jerusalem disponeretur, duo isti potentissimi reges, Philippus rex Francorum et Richardus rex Anglorum, junctos scilicet exercitus habebant (283 A). Audiens autem Saladinus adventum tanti exercitus, cogitavit reddere Christianis Jerusalem et nuntios ad reges misit ad concordanda negotia. Hoc auditis duobus regibus, ambos, ut verum dicam, diabolus possedit, et uterque toto nisu alterum praeire, alteri superior fieri conabatur, ut rex Jerusalem fieri posset. Et facta fuit exercitus divisio, et effusa est inter principes contentio de sacro principatu Jerosolymitano. Verum cum sic de principatu contenderunt, Philippus rex Franciae indignatus relicto negotio cum omni suo exercitu in Europam reversus est. Ex quo etiam rex Franciae semper astitit regibus Jerusalem eosque in regno retinuit et conservavit, (et) dignum aestimabat, ut jam regia stirpe exstincta ad eum regni illius titulus pertineret. Sed cum videret, hoc salva pace non posse fieri, cum ira recessit. Audiens autem Saladinus exercitum Christianorum diminutum per recessum regis Franciae, ab intentione restituendi Christianis Jerusalem destitit et ipsam civitatem sanctam munivit, et praesidium militum in ea collocavit. Interea Richardus rex Angliae in Syria mansit et strenue prosecutus est bellum contra Sarracenos.

Porro anno Domini MCXCVII. perseverante Richardo in Syria Guido Lusignanus rex Jerusalem superioribus annis a Saladino pulsus, hominis virtutem et magnanimitatem videns, obtulit ei titulos et jura regni Jerosolymorum, ut ipse sibi Cyprum insulam, quam Richardus Graecis abstulerat, possidendam daret. Hoc autem Richardus Angliae rex libentissime fecit et ipsum Guidonem regem Cypri fecit, ipse vero

rex Jerusalem et Angliae factus duas coronas sibi imposuit. Ea propter Anglici reges sibi eum titulum adhuc usurpant. Sed et Guido post abscessum regis Richardi regni Jerosolymitani titulum resumsit dicens, regni sedem a Jerusalem in Cyprum translatam. Sed principes, qui adhuc loca in Syria possidebant, eum pro rege Jerusalem non cognoscebant scientes, eum vere regnum perdidisse, et regis titulos amisisse. Auctus igitur Richardus et animosior factus ex titulo desiderati regni ascendere et obsidere Jerosolymam instituit, sed superveniente hieme et dilabentibus passim maritimis copiis sententiam mutavit et cum Saladino pace composita in patriam redire disposuit et curam christiani exercitus et regni jura Heinrico, comiti Campaniae, suo nepoti commendavit, et ita rem infectam reliquit, super desolatos afflictionem cumulans recessit: aestimabat enim regem Franciae suum aemulum et timebat terrae suae invasionem in sua absentia. Recedens per mare rex Richardus, Deo ita volente, tempestate saevissima orta, naufragium passus est, sed evadens cum paucis valde secrete per Austriam transitum faciens a Sapuldo ejusdem regionis duce captus est, atque omnibus bonis spoliatus imperatori Heinrico, filio Friderici, qui in praecedenti expeditione Jerosolymitana discesserat, traditus est, et per annum et dimidium tentus datis ducentis millibus marcarum argenti dimissus est et rediit in Angliam. Puto autem hanc tribulationem ei supervenisse pro eo, quod regnum sanctum Jerosolymitanum ambivit et eo adepto in tribulatione et vexatione dereliquit et fugit. Praefatus autem Campaniae comes, cui rex Anglorum curam exercitus christiani commendaverat, vir pius et prudens, considerans, post recessum illorum duorum regum, Franciae et Galliae, terram desolatam mansisse, ibidem remanere in Dei servitio statuit. Cujus pium animum considerantes Magister hospitalis et templi una cum caeteris peregrinis eum in regem Jerosolymorum elegerunt, cui et dominam Elizabetham, filiam Almarici regis Jerusalem in conjugium tradiderunt, quia maritus (B) ejus, marchio Tyrensis, mortuus erat, et etiam dominus Eufredus, primus ejus maritus.

Post duos autem annos regni ejus, dum in superiori coenaculo palatii sui fenestrae se innitendo aspodiaret, miserabili

praecipitio collisus exspiravit et ita regnum Jeroselymitanum iterum rege caruit. Hoc contigit anno Domini 1197. Deinde in anno sequenti innumeri per mare fideles in Accon venerunt, in redemtionem Jerusalem parati; sed quia non erat rectio nec rex in terra sancta, dilapsus est exercitus et sine profectu ad propria redierunt multis in vanum consumtis pecuniis.

Post hoc anno Domini MCCII. die XXX. Martii terrae motus factus est tantus in Syria, quantus non visus fuerat et civitas Aconensis prostrata est cum palatiis et multis appositis. Sic et in aliis civitatibus contigit.

Dein anno Domini 1215. celebrata fuit synodus maxima Romae apud Lateranum ab Innocentio III. hujus nominis Papa, in quo concilio dicuntur fuisse MCCC episcopi, inter quos fuit dominus Fulco, episcopus Tholosanus, vir insignis, secum habens sanctum Dominicum, cum quo Innocentium Papam adiit et confirmationem Ordinis, qui dicitur Praedicatorum, petivit; cumque papa primitus difficilem se exhiberet, vidit in somniis, quod Lateranensis ecclesia, quia suis compaginibus resoluta, gravem subito minaretur ruinam, sed vir Dei Dominicus occurrit et totam illam fabricam casuram sustentabat. Sicque mane sancto Dominico accersito propositum commendavit et petionem suam hilariter acceptavit; anno autem sequenti confirmationem Ordinis obtinuit ab Honorio III.

Porro praeter ecclesiasticos viros episcopos fuerunt in dicto concilio Patriarchae, Jerosolymitanus et Constantinopolitanus, multi Graeci et Romani imperii legati, regum quoque Jerusalem, Franciae, Hispaniae, Angliae et Cypri oratores. Et quamvis in eo concilio editae fuerint multae salubres constitutiones, principalis tamen tractatus fuit de recuperatione terrae sanctae et Jerusalem, et subsidio ad hujus modi opus et de praedicationibus crucis et signationibus et agminum et exercituum capitaneis. Unde a tempore illius concilii beatus Dominicus nutrivit barbam, ut cum militibus ad pugnam procederet contra Sarracenos infideles, sicut iam multo tempore praedicando pugnaverat contra haereticos Albigenses, factusque est post hoc concilium mirabilis populorum occidentalium pro liberatione Jerusalem et terrae sanctae concursus. Eodem etiam tempore pueri parvi de regno Francorum et Theutonicorum

usque ad numerum XX. millium crucem acceperunt dicentes, se velle ire in subsidium terrae sanctae, qui turmatim ad diversos maris portus divisi accesserunt et inanes ac vacui redierunt. Ferebant autem, quod vetulus de monte, qui Arsachidas a pueritia nutrire consueverat, duos clericos cismarinos longo tempore in carcere detinuerat, qui cum essent homines valde litterati et eos comperisset in nigromantia instructissimos, asseruit, se numquam illos dimissurum, nisi pueros Francorum et Alemannorum illi adducere affirmarent. Ab his ergo affirmantur praedicti pueri diabolica illusione et falsis visionibus ac promissionibus inducti, ut crucem acciperent, quia nonnisi per innocentes pueros Deus terram sanctam et Jerusalem recuperare decrevisset. Et cum ad portus maris venissent, multi de eis a piratis submersi sunt, multi Sarracenis venditi et aliis exteris, multi prae inedia mortui, et aliqui ad parentes reversi. Qualis delusio puerorum aevo nostro accidit anno Domini 1454. peregrinari volentibus ad sanctum Michaelem. Quae peregrinatio quam utilis fuerit, inutilis finis ejus patefecit.

(284 A) Anno Domini 1217. post concilium Lateranense signati sunt cruce innumeri contra haereticos Albigenses, sicut Simon comes Montisfortis, in cuius comitatu erat sanctus pater noster Dominicus et Guido, filius praefati comitis, et Ludwicus, filius regis Francorum. Aliqui vero et major pars cruce signati sunt in subsidium terrae sanctae et recuperationem Jerusalem. Eo enim anno exspiravit treugarum tempus inter Christianos et Sarracenos, unde exercitus Christianorum, qui post Lateranense consilium crucem acceperant, transito mari in Ptolemaidem vel Acon venerunt. Erat autem copiosus exercitus cum tribus regibus, scilicet Jerusalem et Hungariae et Cypri. Affuit etiam dux Austriae et Pannoniae, magnaque militia regni theutonici; rex autem Jerosolymorum tunc erat Johannes nomine, qui ex duce Viennensium in Francia electus fuerat rex Jerusalem prioribus annis, vir utique strenuus in armis et devotus, ex stirpe progenitus illius clarissimi viri Gothfredi, primi regis Jerosolymorum, cui Conradi quaedam marchionis filia desponsatur, et ambo apud Tyrum coronantur. Assumtis itaque armis se ad bellum contra crucis hostes

potenter parare coeperunt, et cum iam procedendum esset, patriarcha Jerosolymitanus cum magna humilitate cleri et populi tollens reverenter vivificae crucis lignum profectus est in castra Domini. Fuerat enim ea pars crucis sanctae divisa, quae reperta in templo fuerat tempore gloriosi Gothfredi primi regis Jerusalem, et una pars manebat semper in templo, altera ducebatur in castra ad bella, et illam cepit Saladinus cum Guidone ultimo rege Jerusalem, ut superius dictum est, et postquam perdita fuit, acceperunt Christiani reliquam sanctae crucis partem et in ea bellabant.

Itaque cum tali vexillo aciebus ordinatis processerunt contra locum, in quo dicebatur Sarracenorum multitudo esse, et eo animo ibant, ut pugnarent cum infidelibus. Sed illi, ut eorum adventum per exploratores cognoverunt, formidantes fugerunt, nostri vero absque contradictione ingressi sunt in Galilaeam provinciam multa damna hostibus inferentes et cenati sunt castrum montis Thabor capere, sed multo labore habito consiliis quorundam obsidio castri soluta fuit et reversus est exercitus domum in Acon, quia hiems erat et tempus bellandi praeterierat. Transacta hieme iterum exercitus Christianorum arma sumere contra Sarracenos coepit, sed peccatis nostris exigentibus exercitus noster quadrifarie divisus est: nam rex Hungariae cum magno Christianorum damno navibus aptatis ad propria revertebatur et magnam partem peregrinorum cum galeis et apparatu bellico secum traxit nec patriarchae revocationem attendit. Quapropter in eum et in omnes sequentes eum sententiam excommunicationis promulgavit. Quaedam vero peregrinorum portio, aut timore aut deliciis deliniti, nullo modo urbem Aconensem egredi volebat. Rex vero Jerusalem et dux Austriae cum suis baronibus et Theutonicorum magna parte et militia sancti Johannis quoddam castrum in Caesarea Palaestinae firmaverunt, nec averti potuerunt, quamvis saepe nuntiaretur eis hostium adventus. Templarii vero una cum domo et militia hospitalitatis Theutonicorum castrum filii Dei olim destructum reaedificare aggressi sunt, cujus dum fundamenta jacerentur, murus quidam antiquus et spissus apparuit, quem instrumentis ferreis effodientes quasdam monetas aureas in magna copia repererunt, cujus inscriptio et figurae modernis

ignotae erant, quas conflantes militibus stipendia solverunt. Hujus castri situs talis est: promontorium amplum et latum mari imminet, munitum naturaliter scopulis ad aquilonem et occidentem et austrum usque, orientem versus turris est firma, a templariis primis aedificata (B) pro tuitione peregrinorum. Hujus castelli aedificatio ad hoc utilis fuit, quod conventus Templariorum eductus de peccatrice et omni spurcitia plena civitate Acon in hujus castri praesidio resideret usque ad reparationem murorum Jerusalem.

Anno Domini 1218. praedicabatur continue crux in occidente contra orientales, unde visae fuerunt cruces in coelo mirabiles in territorio Coloniensi et Trevirensi et commotio grandis por totam Alemanniam facta fuit propter haec et alia miracula ad transfretandum. Congregati igitur Theutonici in maximo numero applicuerunt cum navibus Ptolemaidem sive Acon in Martio. Post ascensionem autem Domini seperatis cogonibus et rostratis galeis armatis, Johannes praefatus rex Jerusalem cum patriarcha et peregrinis et duce Austriae tribus domibus et copiosa multitudine Christianorum inierunt consilium super exemtione tractatus concilii Lateranensis, in quo conclusum fuit de militia Christiana intromittenda in terram Aegypti. Nam in eodem concilio probatum fuit per expertos, non esse possibile, quod Christiani pacifice Syriae et terrae sanctae possent dominari, nisi Aegyptus eis esset convicta. Et hoc rei probavit eventus, quia, quam cito Syria Damasci confoederata fuit Aegypto sub Almarico rege Jerusalem, statim in magno periculo stetit regnum Jerosolymitanum, ante quam confoederationem nemo sancto regno poterat nocere. Ideo sancti patres in praefato concilio decreverunt, prius Aegyptum domandam et postea ad terram sanctam et alias orientis terras properandum. Instructis ergo classibus mense Majo post dominicam ascensionem praefatus rex Jerusalem Johannes cum duce Austriae et multitudine fidelium prospero vento ad portum Damiatae urbis pervenerunt. Porro Damiata civitas erat maritima, quae alio nomine dicitur Pachneumurus, et munitissima metropolis Aegypti, dives et populosa, mercationiis repleta.

Dum autem in portu Damiatae nostri applicuissent et triduo in mari exspectassent sequentes quosdam capitaneos, ante

eorum adventum descenderunt nostri in terram et invitis paganis a parte maris obsederunt urbem. De die autem in diem augmentabatur exercitus Dei viventis, ita ut Soldanus, qui ex alia parte tentoria fixerat, fugeret cum suis et nostri transito fluvio totam civitatem circumdarent et vehementer arctarent et inter littus maris et fluvium Nili tentoria figerent. Hoc autem mirabile fecit Dominus, quod in ipso adventu aqua fluminis convicta mari dulcis hauriebatur, nec ascendit aqua multum, sicut consueverat, quasi populo Dei siccus locus conservaretur, sed post excrescentes aquas castra fidelium occuparunt, et cum hoc pestis grassabatur in nostro exercitu.

Dum igitur Christiani sic perseverarent in obsidione Damiatae, Corradirius magni Soldani filius congregato suorum exercitu in Syriam venit ad Jerusalem eamque civitatem sanctam funditus intus forisque destruxit praeter templum dominicum et turrim David. Et hoc ideo fecit, ne Christiani post captionem Damiatae aliquam munitionem mediterraneam haberent et tenerent in regno Jerosolymitano; desperabant enim, capta Damiata regnum Jerosolymitanum posse defendi. Porro in destructione Jerusalem deliberabant pagani, an vellent ecclesiam dominici sepulchri etiam destruere, sed nemo ausus fuit manus apponere, commoti sunt tamen per literas, quas miserunt in exercitum nostrorum apud Damiatam, quod nisi obsidionem citius solverent, ecclesiam resurrectionis funditus destruere vellent. Deinde destructa Jerosolyma quaedam Christianorum castra occupavit, cepit et destruxit, quae nuper fuerant aedificata. Interea civitate (285 A) Damiata longa obsidione ferro, fame et pestilentia afflicta, contra Soldanum et majores, qui civitati praeerant, vulgus murmurabat dicentes, se incommoda obsidionis tolerare non posse, quos Soldanus specificans eos a deditione retrahebat, mandavitque suis, qui intus erant, intrinsecus portas obstrui, ne cives, qui fame et peste laborabant, ad Christianos transirent et civitatis miserias nuntiarent. Et non solum intus fame laborabant, verum etiam in Sarracenorum castris, quae non longe a nostris distabant, famis acerbitas invaluerat; Nilus enim fluvius, qui post festum Johannis Baptistae solet inundare usque ad exaltationem sanctae crucis et Aegypti

irrigare planitiem, eo anno more suo non ascendit ad signum, quod solent ponere Aegyptii, sed magnam partem terrae discoopertam et siccam reliquit, quod non arari nec seminari valuit illo anno. Quare Soldanus futuram timens caritatem, una cum Corradirio fratre suo, sub his pactis pacem obtulit Christianis, ut scilicet crucem, quae olim capta fuerat in victoria Saladini cum civitate sancta Jerusalem et omnibus captivis, qui per Aegyptum et regnum Damasci vivi poterant reperiri, insuper et sumtus ad reparandos muros Jerusalem redderet eis, et totum regnum Jerosolymitanum, quod antea Christiani tenuerant, restitueret ex integro, et Praecurchum et montem regalem, quae sunt duo castra urbi Jerusalem vicina, per quae mercatores Sarracenorum et peregrinorum Meccam tendentes transire solent. Hoc Soldanus totum volebat agere, dummodo Christiani ab impugnatione Damiatae desisterent et soluta obsidione in Syriam copias suas reducerent.

Haec pacta acceptanda esse omnino et Christianis valde utilia censebat rex Johannes Jerusalem et omnes nobiles et dux Austriae et omnes capitanei Theutonicorum, sed Pelagius legatus ipse et patriarcha, episcopi et archiepiscpi, Templarii et Hospitalarii, Veneti et Genuenses et caeteri Itali his pactis se opponebant et facta fuit grandis divisio in exercitu nostro. Principes enim saeculares cum vulgo quam libenter pacem accepissent cum civitate sancta Jerusalem et toto regno et obsidionem solvissent et hoc bonum et salutare fuisset, sed e contrario legatus et ecclesiastici praelati cum italicis mercatoribus clamabant, capiendam Damiatam, aestimantes, civitate ea subacta faciliter tam Jerosolymam quam alia subjicienda. Sed qui nimis emungit, elicit sanguinem. Sic et illis contigit, quia negotium hoc male prosperatum fuit in fine. Cupiditas enim ecclesiasticorum et insatiabilis avaritia mercatorum, quibus hic agebantur, in bonum finem recte deducere non poterant. Verum quia Damiata, superba maris dominatrix et Christianorum spoliatrix, stabat premenda, idcirco haec omnia sunt divinitus permissa. Cum ergo Saladinus iam de pace desperasset, clam de nocte magnam multitudinem peditum misit in civitatem, de quibus multi a nostris capti sunt et occisi. Quidam autem milites ex mandato legati ad portam

civitatis nocte missi sunt ad explorandas custodias, qui protecti clipeis ad portam accesserunt. Cum autem neminem circa portam nec supra viderent, appositis ad murum scalis et advocatis sociis murum ascendunt, quo facto intra urbem descendentes portam aperuerunt atque intromissis sociis occurrentes Sarracenos occidunt, ad quorum tumultum reliquus excitatus exercitus raptis armis absque pugna et Christianorum damno in oculis Soldani civitatem ceperunt. Capta est autem anno Domini 1219 nonas Novembris. Soldanus autem videns urbem occupatam a Christianis, concussus terrore castra sua combussit et recessit. Christianis autem Damiatam intrantibus occurrit intolerabilis foetor ex cadaveribus mortuorum, quae prae multitudine (B) sepeliri non poterant. Erat autem aspicere miserabile, homines scilicet et mulieres et parvulos prae fame tabidos, quibus et domus et plateae plenae erant, nam nec mortuos vivi sepelire poterant, sed mortui vivos suo foetore occidebant. Mortui autem sunt in civitate infra XX menses, quibus civitas fuit obsessa, tum fame tum pestilentia ultra LXX millia paganorum. Reperti sunt autem in civitate ad tria millia armatorum, ex quibus quadringentos nobiliores et ditiores utriusque sexus pro redemtione captivorum nostrorum inter Sarracenos servati sunt. Alii Christianis venditi, parvuli autem baptizati, pauca autem victualia sunt in civitate reperta, sed aurum et argentum, lapides pretiosi, panni aurei et serici et aliae divitiae infinitae, quae omnia sub anathemate terribili ad medium sunt delata, atque per ministerium proborum virorum inter exercitum sunt divisa, adeo aequaliter, ut omnes, etiam mulierculae, pauperes et pueri de eis secundum ratam participaverint.

Subacta civitate et ordinata aliam civitatem, Thaunis, fortissimam ceperunt, quia eam totaliter vacuam repererunt.

Anno Domini 1221. suadente diabolo inter Pelagium legatum et Johannem regem Jerusalem gravis controversia orta est. Nam legatus elatus factus, sui clericatus ordinem obliviscens universorum exercituum usurpabat dominium et bellorum ordinationem faciebat et captionem Damiatae urbis sibi adscribi et attribui volebat. Rex autem indignum putabat, ut in ejus provincia militares res per sacerdotes administrarentur;

ed quia vir prudens erat, cedere magis quam contendere olebat et assignatis aliquibus caussis sui recessus assum- sque paucis servis exercitum dereliquit et in Syriam profec- is est. Interea cottidie augebatur exercitus et magna ultitudo navium venit Damiatam de occidente. Pelagius ergo ngregatis majoribus judicabat, contra Soldanum esse proce- endum, qui castra sua posuerat super Nilum, itinere unius ei a Damiata. Militaris autem magister legato contradicebat, ec tamen poterat, ut se movere vellet absque rege. Unde gatus videns, quod sine praesentia regis negotium proce- ere non valebat, solennes ad eum misit nuntios, deprecans, t comparendo exercitui christiano et se filium ecclesiae Ro- anae demonstraret et rediret ad exercitum, qui tanto cum desi- erio affectabat redire. Rex ergo prudens collecto exercitu ex yria descendit et, ut audivit legati propositum de aggrediendo, ellum omnino dissuadebat dicens, quod, si eo tempore popu- is christianus procederet, nec per terram nec per aquam opulo a Damiata poterit subveniri, maxime cum tempus in- taret, quo Nilus fluvius inundaret. Legatus autem moleste imis ferens ea, quae a domino rege prudenter et consulte icebantur, excommunicabat omnes generaliter illius ne- otii turbatores. Videns autem rex animum legati ab eo roposito removeri non posse, licet invitissime faceret, obtulit e pro obedientia ecclesiae ad bellum contra Soldanum pro- edere. Sed sicut regi visum fuerat, sic accidit et populus hristianus seductus in tantum miseriam devenit propter famem t Nili inundantiam et Soldani instantiam, quod coacti fuerunt ucere pacem cum Soldano et reddere Damiatam et cum con- sione recedere ab Aegypto et redire in Syriam.

Sunt ergo datae treugae octo annis inter Christianos et arracenos et nostri derelicta Damiata recesserunt cum igno- inia unusquisque in locum suum. Ecce, quam utile fuiss- t, si primam compositionem acceptassent, quam rex Jeru- alem et omnes Gallici et Theutonici libentissimi fecissent, ed superbia ista maledicta legati regnum Jerosolymita- um perdidit et Damiatam Sarracenis restituit et populum 286 A) dispersit et perdidit. Mirum est, quod iste Pelagius, el potius perditionis pelagus, non fuit in mille frusta discerptus.

Si enim tunc Jerosolymam accepissemus cum istis conditionibus, quibus eam Soldanus tradere voluit, hodie in manu nostra esset et sanctum sepulchrum liberum.

Anno Domini 1223. rex Jerusalem Johannes, dolens ex amissione Damiatae et plus ex amissione totius regni Jerosolymitani, quod habitum in manu renuerunt accipere, composito statu, prout poterat, civitatum in Syria, transfretavit ad partes occidentales a Romana ecclesia et principibus Christianorum petiturus auxilium. Veniens autem ad Papam Gregorium, hujus nominis nonum, invenit eum satis afflictum et molestatum a Frederico II. imperatore. Rex ergo Jerusalem ambos, Papam et imperatorem, concordavit et ad confirmandam reconciliationem ipse Gregorius dedit Friderico in uxorem filiam unicam saepe dicti Johannis regis Jerusalem et imperator promisit ipse, in propria persona transfretare in Syriam ad recuperandam terram sanctam. Nuptiis ergo in urbe solennissime celebratis rogavit rex Jerusalem imperatorem, ut exercitus suos medio tempore aptaret, quousque ab occidente remaneret. Et profectus rex in Hispaniam limina S. Jacobi apostoli visitavit et ibi filiam regis Galiciae uxorem duxit et transfretavit in Angliam, ubi a rege et a baronibus multa donaria in subsidium terrae sanctae accepit. Eodem tempore Philippus rex Franciae ad extremum vitae veniens inter caetera condens testamentum regi Jerosolymitano Johanni centum millia thalerorum Parisiensium in subsidium terrae sanctae legavit et totidem Templariis et totidem Hospitalariis.

Successit autem Philippo in regno Ludovicus filius ejus, qui Rhemis coronatus, in qua coronatione interfuit Johannes rex Jerusalem. Aliquibus autem annis transactis, cum jam per Papam Gregorium esset praeparata classis ex multis nationibus hominum, dirigenda in Syriam contra hostes crucis, requisivit imperatorem super promissione facta de transfretando in subsidium terrae sanctae, qui cum grandi exercitu junctus est exercitui Papae et ex Brundusio Apuliae per mare iter assumserunt imperator et legatus Papae.

Sed dum paululum per mare processissent jussit imperator reverti classem suam in Apuliam, cum qua reversus scandalum magnum et damnum Christianitati fecit, propter quod

Papa indignatus contra eum ut perjurum et proditorem iterum eum excommunicavit. Causam autem reversionis hanc fuisse dicunt, quia audivit, quod in sua absentia Papa Johanni regi Jerusalem dare voluit Siciliam et Apuliam contra Fridericum. Alii dicunt, quod ideo intermisit, quia Soldanus nuntios cum litteris et magnis muneribus Friderico miserat et ei regnum Jerosolymitanum promiserat sine bello et sanguinis effusione, si transitum illum Christianorum impediret.

Post haec Fridericus praefatus praeparatis magnis copiis iter arripuit per se ad terram sanctam, sine requisitione Papae et magis, ut creditur, ad capiendum regnum Jerosolymitanum sibi promissum a Soldano, quam ob zelum fidei vel utilitatis Christianorum. Misit ergo imperator (B) ad Soldanum postulans regnum Jerosolymitanum. Quo ei dato ascendit cum suis Theutoniciis et aliis sibi adhaerentibus baronibus militibus in Jerusalem, fecitque se coronari in regem Jerusalem in medio XL. anno Domini 1225. et sine omni contradictione possedit totum regnum et civitatem sanctam, dimissis tamen Sarracenis in suis habitationibus, quibus etiam dimisit templum Domini, quod nominant Salomonis, ut in eo clamarent Machometi praeconia. Huic paci et concordiae non assensit cardinalis legatus Papae, nec patriarcha Jerosolymitanus, nec Templarii, nec Hospitalarii, nec alii barones, demtis Theutonicis et Siculis, nec capitanei peregrinorum, quia omnibus his visa est pax fraudulenta in damnum et confusionem Christianorum et impedimentum conquestus terrae sanctae. Singulariter tamen Templarii concitaverunt fideles contra imperatorem, ne ejus facta justa et vera aestimarent. Erat enim imperator valde inimicus Templariis et in eorum odium dimisit templum Domini Sarracenis, ne ipsis subjiceretur.

Capta autem sic Jerosolyma misit imperator ad Papam Gregorium oratores suos postulans absolutionem ab excommunicatione, cum implesset juramentum cum Deo in Syria. Sed Papa eum absolvere noluit, cum percepisset eum confoederatum Soldano et regni Jerosolymitani possessionem esse solum simulatam. Misit etiam imperator oratores suos ad regem Franciae et Angliae et ad alios occidentis principes, denuntians dominici sepulchri liberationem et suam coronationem.

Denique Papa ultra summam excommunicationis latam contra eum ordinavit, ut rex Jerusalem Johannes, qui tunc in Lombardia erat, cum exercitu ecclesiae armato in regnum Apuliae intraret et homines ad sui favorem inclinaret ad rebellandum imperatori. Unde Johannes multas civitates et loca Apuliae cepit. Quod ut imperator percepit, praefectum in Jerusalem et in regno dereliquit suum sinisallum et in Apuliam rediit et recuperavit perdita.

Porro terrae sanctae praefectus sinisallus concitabat multa mala contra Christianos et eorum castra expugnabat, et quia ipse gubernare non potuit, ea Sarracenis dedit et ita propter dissensiones ipse sinisallus superatus interiit et totum regnum Jerosolymitanum in potestatem Sarracenorum revenit.

Videns autem Papa terrae sanctae negotium pejoratum ex imperatoris ficta concordia, convocavit fratres Praedicatores et Minores injungens eis crucis praedicationem per occidentem pro terrae sanctae subsidio.

Collecto ergo maximo exercitu anno Domini 1230. iter marinum adgressi sunt et in Achon applicuerunt. Erant autem in illo exercitu multi nobiles et insignes viri. Cum autem per aliquot dies quievissent in Achon, deliberaverunt invadere aliquam Sarracenorum munitionem. Comes Vorbricaniae sine consilio cum sibi adhaerentibus exivit et expugnatis aliquibus municipiis maximam praedam hominum et animalium secum traxit. Hoc videntes caeteri provocati similia attentaverunt; igitur ordinatis copiis de mane urbem egredientes et per Palaestinam ambulantes in sabulo tota die et nocte altera die viderunt, se esse juxta Gazam civitatem, in qua erat tunc magna Sarracenorum congregatio, qui praescientes nostrorum adventum insidiis positis, cum nostri non timerent, eruperunt et magnam stragem fecerunt in nostrates, ita, ut omnes aut occisi aut capti essent et pauci in Achon revenirent. Interea frater regis (287 A) Angliae Richardus cum magna comitiva superveniens Achon inveniensque turbatum exercitum et considerans, se nihil posse agere contra Sarracenos, treugam fecit cum eis per VIII annos.

Concilium.

Anno Domini 1242. factus est Papa Innocentius IV. Hic apud Lugdunum concilium generale celebravit et tractatum habuit de terrae sanctae recuperatione et imperatorem inobedientem citavit, ut personaliter compareret.

Qui misit suas excusationes et veniam petivit promittens, quod intra annum operaretur cum Soldano, ut restitueretur terra sancta Christianis. Sed cum hoc promissum et alia minime servasset, excommunicatus, condemnatus et depositus ab imperio per Papam fuit, in excommunicatione mortuus et suffocatus per proprium filium suum.

Postea anno MCCXLIV. pontificante Innocentio IV facta est contentio diabolica inter Christianos in Syria et Achon civitate, inter Genuenses et Venetos, quia quaelibet harum civitatum quaerebat esse major et in tantum saevierunt partes contra se invicem, ut cum classibus congressiones facerent in aspectu Sarracenorum et mare insecurissimum fieret, ita ut jam nulli peregrini loca sancta visitare auderent, erant enim ambae partes fortes terra et mari et formidabiles Christianis et Sarracenis. Unde Soldanus videns, suis terris ex illis bellis Christianorum inter se imminere periculum, Grossonios Tartaros, gentem Arabicam, invitavit, qui in regnum Jerosolymitanum venientes Christianos debellaverunt et ante Gazam civitatem plures prostraverunt, tandem autem Jerosolymam ingressi et in Templarios, Hospitalarios, ibi de consensu Soldani habitantes, congressi, multos rectos occiderunt et cum hoc gloriosum Domini sepulchrum destruxerunt et ecclesiam Christi quovis turpitudinis genere foedaverunt.

Deinde anno Domini 1248. sanctus Ludovicus, rex Franciae, in gravi existens infirmitate rogavit Deum pro sanitate, votum faciens transmarinae peregrinationis. Sanitati ergo restitutus crucem cum multis baronibus regni accepit et cum copioso exercitu contra Syriam per mare profectus est. Suadebant autem multi regi, ut terrestri itinere per Turciam Asiam minorem intraret et ipsam Turciam caperet, siquidem anno praeterito Tartari ipsam Turciam devastaverant et debilitaverant ita, quod si rex per eam transivisset, sine

contradictione ei terras tradidissent. Sed aliorum sententia praevaluit et per mare intravit et in Cyprum venit. Quod ut Soldanus Aegypti audivit, timuit; unde plures filios christianos pecunia corruptos ad regem misit, ut regem et principes ejus veneni maleficio enecarent, sed Deo volente ipsi capti fuerunt et necati. Concordiam autem fecit inter Venetos, Genuenses et Pisanos, et ita ad pugnam contra infideles processit.

Anno ergo Domini 1249., dum se classes regis ad procedendum disponerent, venerunt cum multitudine navium dux Burgundiae et princeps Achayae regi in adjutorium et congregatis exercitibus publicatum fuit, quod versus Aegyptum dirigerent gressum suum ad Damiatam urbem Dei adjutorio obsessuram [obsidendam]. Dantes igitur vela ventis prospero usi vento die sequenti apparuit illis terra Aegypti et post paululum civitas Damiatae. Anchorantes igitur viderunt littora tam equitum quam peditum plena Sarracenorum, insuper et Nili ostium navibus refertum ad nostrorum transitum impediendum. (B) Sequenti igitur mane nostri in parvis naviculis ad litus applicuerunt et praesidium navium in ostio Nili ceperunt multis Sarracenis interfectis. Sarraceni ergo, qui in urbe erant, hoc viso perterriti sunt et desperantes, se posse civitatem defendere, clam nocte relicta civitate fugerunt, eamque in multis locis incenderunt, ut eam Christianis inutilem redderent. Sicque capta est civitas Damiata iterum et mansit exercitus in ea cum rege tota aestate, quia propter Nili effluentiam pugnare cum infidelibus non poterant. Transacta autem aestate dominus rex instructo exercitu ad bellum processit et omnes turmas infidelium occurrentes prostravit et casalia cepit. Cum autem nostri crederent, plenam victoriam de hostibus se habere, acies nostrorum se inconsulte dividentes per universam regionem diffusi sunt, quod hostes videntes resumtis viribus irruerunt in nostros tanta instantia, ut paene in fugam verterentur, et cum undique ab hostibus premerentur et decas fieret strages horribilis, maxime eorum nobilium, qui vexillum regis sequebantur, et ingravatum est bellum contra nostros adeo, ut de illorum multitudine vix pauci evaderent, qui non occiderentur gladiis, aut

impiorum vinculis alligarentur. Sed et pius ille et illustrissimus rex Ludovicus Francorum cum duobus fratribus suis, Carolo et Alphonso, captus in manus hostium devenit. Captis ergo Christianis cum rege Soldanus de treugis et pactis regem requiri fecit. Et post plura colloquia conclusum fuit, quod dominus rex Soldano restitueret Damiatam cum rebus ibi inventis et octo millia sarracenicos aureos et omnes captivos. Soldanus vero debebat regem et omnes captivos Christianos nunc et ante captos in Aegypto et in Syria dimittere cum omnibus attinentiis eorum. Treugis ergo compositis rediit rex in Syriam et adhuc quinquennio ibi mansit pro tuitione fidelium. Audita autem morte dominae Blanchae, piissimae matris suae, compositis rebus in Syria in suum regnum reversus est.

Post decursum aliquorum annorum dolens rex de oppressione civitatis sanctae Jerusalem et de novo affectus locis sanctis, oblitus omnis calamitatis suae et miseriarum, quas in illis partibus perpessus fuerat, iterato cum duobus filiis suis, adjuncto rege Navarrae et legato apostolico et quam pluribus aliis praelatis, sacerdotibus et spiritualibus, pro recuperatione terrae sanctae iter est aggressus. De consilio autem procerum navigaverunt in Africam, ut caperent Tunisium, qua obtenta aptius Aegyptum et terram sanctam capere possent. Sed superveniente peste maxima in exercitu Christianorum mortui ibi sunt filii regis Ludovicus et praefecti exercituum, sicque peste grassante supervenit frater Ludovici regis, Carolus cum magna classe et Tunisium obsedit. Sed peste afflictus exercitus firmatis treugis cum rege Tunisii remeaverunt ad propria.

Mortuo autem sancto Ludovico omnes fere pecorum pastores scriptis et ludibrio decepti de Francia et Alemannia ad invicem congregantur ac duce quodam, quem magistrum eorum vocabant, regebantur. Dicebant autem, quod per angelum eis esset revelatum, quod promissionis terram et Jerusalem non per reges et principes, non per nobiles et divites, nec per armatos Deus vellet Christianis dare, sed per humiles abjectos pastores, qui baculis suis et terram sanctam

recuperare deberent et injurias et mortem sancti Ludovici regis vindicare.

Porro actor illius tumultus erat frater Jacobus apostata, monachus ordinis Cistertiensis, qui finxit sibi stellam ad se inclinatam dixisse, illo modo liberandam esse terram sanctam. In tantum autem numerum concurrerunt, ut ultra XX millia hominum simplicium (288 A) essent, nec aliquem religiosum aut clericum, aut sacerdotem, aut doctum inter se sustinebant. Unde ad tantam praesumtionem devenerunt, ut magistri eorum more episcoporum aquam benedicerent et matrimonia jungerent et praedicarent suis. Cum autem ad portus maris venirent, in nihilum versum est negotium eorum et vacui redierunt. Multi autem eorum, qui prius fuerunt simplices pastores, facti sunt raptores, fures et latrones, et multi de eis diversis in locis propter furta facta mortis suppliciis sunt peremti, et ita conventiculum hoc cessavit.

De litigiis principum christianorum pro titulo regni Jerusalem.

Post haec tempora cessatum fuit a transitu maris ita, quod occidentales populi non amplius congregabantur contra orientales ita communiter, mansit tamen litigium inter principes de titulo regni Jerosolymitani ita, quod hodie titulus ille apud plures reges manet, sicut apud regem Angliae, sicut superius patuit; et reges Franciae aliquando se reges Jerusalem jactant esse; similiter rex Cypri; et rex Siciliae; et reges Hispaniorum; et duces Suevorum hunc titulum suum esse justo jure affirmabant, dum adhuc essent; nam ut ex dictis patet, Fridericus dux Suevorum, imperator factus hujus nominis secundus, uxorem habuit Jolam, filiam Johannis regis Jerusalem, et cum hac ipsemet transfretavit et in Jerusalem rex Jerosolymorum declaratus et coronatus fuit. Quapropter Manfredus, filius ejus et successor in regno Siciliae, se regem Siciliae et Jerusalem gerebat, et consequenter alii illius generationis Suevorum duces.

Porro anno Domini 1264., cum dictus Manfredus et Corradinus, Suevi, rem ecclesiae perturbarent, Papa Clemens

hujus nominis IV Carolum fratrem sancti Ludovici regis Francorum invocavit contra Manfredum et Corradinum, et contra Gibellinos, quos cum Carolus devicisset et ambos diversis proeliis occidisset et ita victor Romam venisset, a Clemente Papa in ecclesia Lateranensi rex Jerusalem et Siciliae declaratus, et in usque hoc reges Siciliae titulum regni Jerosolymitani retinent.

Deinde anno Domini 1273. Gregorius X concilium in Lugduno celebravit, in quo patres longum tractatum habuerunt de terrae sanctae recuperatione, et Rudolphum Caesarem et Philippum Francorum regem impulerunt contra Mauros, pro recuperanda Jerosolyma, et pro expensis hujus transitus imposuit decimam per VI annos per totam Christianitatem solvendam, ordinans praedicationem crucis et concedens indulgentiam plurimam assumentibus crucem ad transfretandum et euntibus in bellum, ac etiam mittentibus unum vel plures suo pretio ad bellandum.

In hoc etiam concilio reprobavit Papa et prohibuit omnes religiones mendicantium, exceptis ordinibus Praedicatorum et Minorum, ut ultimis ecclesiae Dei et permansuris. Eremitas autem fratres sancti agni et Carmelitas dimisit in suspenso, donec aliud declararetur. Hoc autem ideo fecit, ne pluralitas mendicantium impediret pretium transfretantium. Sed an expeditio ad terram sanctam facta fuerit vel quomodo impedita fuerit, non invenio. Hoc autem scio, quod tota Italia per Gibellinos et Guelfos turbata erat, et Alemannia, Anglia et Francia intestinis bellis gravabantur, igitur ad succurrendum terrae sanctae non erant dispositi. Carolus igitur rex Siciliae et Jerusalem, frater regis Franciae, triplici jure rex Jerusalem appellari voluit: I. quia eum Papa coronavit; II. quia Siciliam, quae regum Jerusalem fuit, possedit; III. quia Maria, principis Antiocheni filia, cui regnum Jerusalem debebatur, quod Hugo ejus nepos occupaverat, (B) donavit sibi illud.

Ille ergo Carolus magnanimus dedignabatur nominari rex Jerusalem sine regni possessione, nolens esse rex nomine et non re, et deliberabat, quomodo et qua via posset regnum Jerosolymitanum obtinere. Habebat autem generum Balduinum,

qui anno Domini 1240. imperator Constantinopolitanus fuerat factus, sed per Graecos, Latinis semper infestos, ignominiose fuerat ejectus et loco ejus Michael Palaeologus, Graecus, intrusus. Hic ergo Balduinus Caroli regi Jerusalem suasit, ut imperium Constantinopolitanum invaderet, et eo adepto faciliter regnum Jerosolymitanum habere posset. Erat quippe Carolus potens, nec grande sibi videbatur, Constantinopolin premere. Dispositis ergo multis armatis navibus et magna classe parata cum adjutorio ecclesiae et regis Franciae et Venetorum ad expellendum Palaeologum de Constantinopoli proficisci paratus erat. Sed odio quorumdam Latinorum, qui ei non favebant, mirabili practica impeditus fuit; itaque nec imperium Constantinopolitanum accepit nec regnum Jerosolymitanum possedit.

Post haec anno Domini 1282. rex Armenorum, qui sunt Christiani, confoederatus fuit regi Tartarorum contra Soldanum, et ingressi Syriam multas civitates abstulerunt Soldano Aegypti, inter quas Jerosolyma fuit capta et iterum Christianis orientalibus tum subjecta, sed proditione cujusdam quasi statim a Sarracenis reaccepta.

*) Rex ille Tartarorum fratrem habuit Christianum, Tandagar nomine, et filium baptizatum, Argon dictum. Todagar autem abnegata fide Christi Sarracenus factus est et saevissimus Christianorum persecutor. Hunc Argon filius fratris sui interfecit et Christianorum ritum valde ampliavit et Sarracenos ubique impugnavit conabaturque liberare Jerusalem.

Anno Domini 1288. fuit factus imperator Tartarorum quidam dictus Casanus, parvus quidem corpore, sed animo magnus, despicabilis vultu, sed mente venerandus, quia virtutibus ornatus, sapiens in bellis et sagax, et amicissimus Christianis et civitati sanctae et dominico sepulchro devotissimus, sicut rei ostendit eventus. Hic in principio, quando factus fuit imperator, erat paganus, sed jucundo modo factus fuit Christianus. Nam factus imperator fecit quasi alter Ahasverus inquiri per universa loca orientis de speciosiori puella, non

*) Notula ab auctore margini apposita indicat, omnia, quae in sequentibus legantur, sequenti demum folio (nostrae editionis pagina 317 ad signum **) inseri debuisse. Editor.

tendens nec ad nobilitatem nec divitias, sed solam speciem, placitam duceret uxorem. Et inventa est filia regis Armeae, quam cum postularet, assensit pater et puella sub hac conditione, ut dimitteretur servire Deo suo, Domino Jesu Christo, et non cogeretur subire ritum Tartarorum. Accepta item conditione imperatori, cum adducta fuisset, optime placuit, et nuptias celebravit, et statim concepit et peperit filium, a tamen deformem, ut vix in eo humanitas appareret. Casanus autem turbatus consilium habuit cum suis prudentibus, uid faceret de illo turpissimo puero? Cui responderunt, quod uer ille non esset conceptus ab homine, ideo tam mater uam infans igni tradi deberent. Cum autem rogus ad hoc araretur et mortis sententia significata esset, juvencula ostulavit illa, hanc sibi gratiam fieri, ut more Christianorum ceret sibi sacramenta sumere et filium baptizari. Quibus eractis et (389 A) filio baptizato, cum de aqua levaretur, ibito puer mutatus est in alterum et apparuit ita pulcher generosus, sicut quicumque alius in orbe reperiri posset. x tam evidenti signo nimis laetificatus Casanus non solum mmunem esse voluit uxorem suam cum prole a morte, sed am imperatricem decrevit et cum magna solennitate ipse et opulus suus baptismum suscepit. Instructus autem in fide um accepisset, quod Sarraceni infideles loca redemtionis norae possiderent, immane sacrilegium judicavit esse et plumum ammirabatur de Christianis, quod hoc sustinerent, stamque Soldano Aegypti inimicitias denuntiavit et ad capiendam terram sanctam et Jerusalem se paravit. Venit ergo ucens secum in Syriam contra Soldanum Aegypti copias C. millium Tartarorum, et cum istis secum traxit exercitus egis Armeniae et regis Georgiae, qui etiam inimici erant arracenorum. Ingressus ergo terram sanctam omnia devastare epit. Cui Soldanus cum ingenti exercitu occurrit et horrile bellum gestum est cessitque victoria Casano et fugatus oldanus dereliquit Syriam et in Aegyptum descendit. Canus autem civitates Syriae cepit, inter quas civitas sancta erusalem capta est a Christianis anno Domini 1299., anno ctavo post expulsionem Latinorum a civitate Achonensi. asanus autem intrans civitatem sanctam devotissime loca

sancta visitavit et aliquam moram ibi traxit. Audiens autem in regno suo discordiam concitatam, destinavit oratores suos in partes occidentis ad Papam Bonifacium VIII et ad regem Romanorum Rudolphum et ad alios reges occidentis, ut mitterent copias christicolas in Syriam ad recipiendum et retinendum civitates, de quibus paulo ante pulsi fuerant, et ad possidendum Jerusalem civitatem sanctam. Quae cum exposuissent praefati oratores et omnibus placuisset, remiserunt oratores quasi illico cum exercitibus secuturi, sed nihil executioni mandatum est, quia intestina occidentalium principum bella magis eis erant cordi, quam bellum Domini, et propria commoda, ut part. II. fol. 347 B. dicetur. Et ubi tunc cum modicis expensis et sine magnis copiis captam Syriam et Jerusalem a Casano retinere potuissent, nulla promissione facta super hoc cum erubescentia fidelium et non levi crimine incuriae et omissionis postmodum amissa est, nec adhuc postea recuperata nec hodie est via recuperandi. Nam recedente Casano cum suis ex Syria de facili Sarraceni nullo sibi resistente totam Syriam in deditionem receperunt et Christianos orientales quos Casanus per civitates locaverat, occiderunt et ejecerunt sicut prius fecerant Christianis latinis occidentalibus. Unde anno Domini 1291. cum Soldanus jam cepisset Antiochiam Tyrum, Tripolim et alias civitates Christianorum latinorum convertit se ad finalem exterminationem Christianorum de terra sancta. Siquidem in tota Syria non habebant Christiani latini nisi adhuc unam civitatem, Ptolemaidam, quae aliter Achon vel Acron dicitur. Erat autem civitas ista opulentissima et populosissima, ibi etiam residebat rex Jerusalem cum curia sua et magister templi et prior hospitalis, et dominus patriarcha cum clero, et omnes, qui fugerant a civitatibus captis per Soldanum, in eam cum omnibus suis bonis se receperant et stipendiarii regis Angliae et regis Franciae et aliorum regum et principum, et circa XVIII millia peregrinorum cruce signatorum de diversis nationibus et regnis. Unde erant XVII judicia super sanguinem ibi propter distincta domini et inde oriebatur saepe confusio in dictandis sententiis. Ibi fratres Praedicatorum et Minores habebant conventus solemnes tam fratrum quam monialium, unde cum venerabili

magister (B) Jordanus, successor beati Dominici, proficisceretur per mare ad visitandum conventum Achonensem, naufragium passus feliciter obiit, mira † coruscus. Sita est autem civitas illa in fronte nostri maris et in medio Syriae distatque a Jerusalem non plus quam per XL milliaria italica, in loco optimo et valde apto; hinc inquam plena erat mercatoribus occidentalibus et orientalibus, quia fuit quasi fons omnium mercimoniorum maris, et tam gloriosa facta fuit haec civitas, quod in orbe non reputabatur ditior.

Sed neque in vitiis et malis ei erat similis. Cum ergo in flore esset, accidit, ut quidam armigeri de nostris peregrinis quosdam sarracenos caperent mercatores treugarum tempore. Hoc ut Soldanus audivit, collegit maximum exercitum et civitatem obsedit. Quidam autem Sarracenus in incertum sagittam jaciens interfecit capitaneum belli in civitate, ad cujus nutum omnia gerebantur. Quo interfecto non fuit amplius ordo et inceperunt fugere in naviculis per mare. Sarraceni autem non habentes amplius repugnantiam intraverunt et omnes Christianos jugulaverunt, et omnia depraedati sunt, in quo excidio LX millia Christianorum referuntur a Sarracenis in ore gladii percussa, anno Domini 1291. Sicque totus populus latinus a terra sancta est deletus, praeter illos, qui se servitio Sarracenorum manciparunt, quos ecclesia excommunicavit.

Cum autem haec nota fierent occiduis partibus, in curia Romana contristati sunt valde, et summus pontifex Nicolaus Papa quartus publicari fecit magnas indulgentias crucem assumentibus vel mittentibus in terrae sanctae subsidium, ac reges et principes exhortatus porrigere manus adjutrices, fecitque processiones solennes et excommunicationes contra omnes christicolas mercatores et alios, qui non solum arma et lignamina, quod jam diu prius fuerat prohibitum, sed qui differrent in Alexandriam et alias terras Soldano subjectas quaecumque mercimonia. Insuper post haec fuerunt etiam loca sancta interdicta, et prohibitum sub poena excommunicationis, ne quis etiam causa devotionis mare transiret ad visitandum loca sancta sine Papae licentia. Et haec habentur in quodam extravaganti. **

Post istam ergo emigrationem Christianorum a terra sancta octo annis venit praefatus Tartarorum imperator Casanus, bonus Christianus, et cepit terram sanctam et Jerusalem et tradidit eam nostris praelatis et principibus, sed non fuit, qui levaret manum ad transeundum, ut supra dictum est. Unde propter istam ingratitudinem alienata est terra sancta a nobis adeo, ut non sit amplius quasi cogitatus de rehabendo eam, nec est amplius via, nisi Deus aliquo miraculo velit operari ad hoc. In hac ergo ultima emigratione Christianorum a terra sancta non remanserunt in Syria Latini aliqui, nisi fratres Praedicatores; Minores et Carmelitae acceperant etiam quaedam loca per Syriam, in quibus jussu Papae manserunt ad tempus, quousque per Sarracenos profligati, occisi et exterminati fuerunt.

Quomodo civitas sancta Jerusalem stetit post Christianorum latinorum expulsionem, et qualiter in eam fratres Minores sunt locati, et [de] passagiis Christianorum pro redemtione terrae sanctae.

Multis annis stetit civitas sancta Jerusalem post expulsionem Latinorum sine latinis sive romanis Christianis, nam ut dictum est supra, emigrantibus Latinis de Jerusalem subintraverunt Christiani orientales, monstruosi haeretici et schismatici, in locum Latinorum, et ecclesias a Latinis aedificatas possederunt, nec fuit admissum Latinis, ut aliquem locum in urbe sancta haberent, nec permittebantur terram sanctam et civitatem Jerusalem intrare, nisi cum cautissima deductione Sarracenorum et cum salvo conductu et cum gravissimo thelonio, et quando veniebant peregrini Jerosolymam, non habebant divina Officia, nisi schismaticorum et haereticorum, nec aliquam habebant consolationem. Hoc autem intolerabile erat ecclesiae latinae et occidentalibus, qui ferventissimo zelo afficiuntur locis sanctis. Unde post emigrationem Christianorum a terra sancta res illa devenit ad aures Papae Nicolai hujus nominis IV, qui erat ordinis Minorum, et electus fuerat in Papam anno Domini 1287. ante perditionem Acconensem.

Misit ergo nuntios ad Soldanum cum muneribus post perditionem Achon et emigrationem Christianorum, petens ab eo, quatenus in Jerusalem habitare permitteret aliquos latinos clericos pro custodia sepulchri Christi, et si hoc ob amorem Christi facere non vellet vel ob precum suarum instantias, saltim tamen facere deberet ob sui nominis divulgationem et gloriam, quia per intromissionem aliquorum Latinorum non solum per orientem sed per occidentem nota ejus magnificentia fieret. Annuit ergo precibus Papae Soldanus, et clericos religiosos ac pacificos mitti jussit Jerosolymam, et praeter hoc ordinavit cottidianas eleemosynas ad Christianorum hospitale in Jerusalem. Papa ergo elegit de fratribus sui Ordinis, Minoribus, aliquos maturos, doctos et constantes, misitque eos Jerosolymam, ut loco omnium de Romana ecclesia in ecclesia dominicae resurrectionis Officia divina perficerent, ne illa sanctissima ecclesia omnino Latinis orbata staret. Venientes autem dicti patres in Jerusalem, cum nondum haberent ibi domum, declinaverunt ad hospitale commune peregrinorum et in magna miseria et defectione ibi aliquibus annis sine domo deguerunt et non nisi de exiguis eleemosynis peregrinorum vixerunt.

Porro anno Domini MCCC. fuerat sanctus Ludovicus Ordinis fratrum Minorum episcopus Tolosanus per Bonifacium VIII factus. Et hic sanctus Ludovicus erat nepos sancti Ludovici regis Franciae, filius Caroli et frater Ruperti, regis Apuliae, Calabriae, Siciliae et Jerusalem. Hic sanctus praesul, cum calamitatem fratrum Minorum audivisset et miserias in Jerusalem, quas patiebantur, venit in Siciliam ad fratrem suum Rupertum, regem Jerusalem, pro salute fratrum et cor regis in amorem Ordinis convertit exponens ei, quomodo in Jerusalem, civitate sua, in defectu degerent, loco totius ecclesiae latinae, et nec domum ibi haberent, sed in hospitali manerent. Rex ergo his auditis, compositis regni sui negotiis et assumtis aliquibus fratribus Minoribus secum in Syriam, loca sancta tamquam humilis peregrinus visitaturus, navigavit. Ascendit autem in Jerusalem in salvo conductu Soldani et visitatis, visis et deosculatis locis sanctis descendit in Aegyptum ad Soldanum, (B) petens ab eo, dari sibi pro fratribus Minoribus, quos alias in Jerusalem habitare consenserat,

ecclesiam montis Syon cum annexa habitatione, capellam beatae Mariae Virginis in ecclesia dominicae resurrectionis cum adjunctis habitaculis, et dominici sepulchri tugurium, ecclesiam beatae Mariae Virginis in valle Josophat et specum dominicae nativitatis in ecclesia beatae Mariae Virginis in Bethlehem cum habitatione annexa ecclesiae. Pro his facta conventione inter regem Rupertum et Soldanum dedit Soldano Rupertus in promta pecunia triginta duo millia ducaterum et soluto pretio ascendit rex in Jerusalem et loca praefata fratribus Minoribus resignavit perpetuo possidenda loco sui et suorum successorum. Receptis ergo locis istis tres ibi fecerunt fratres Minores conventus: primum in monte Syon, ubi ante eos fuerat conventus canonicorum regularium; secundum in templo dominicae resurrectionis, ad latus capellae beatae Virginis, pro custodibus dominici sepulchri; tertium in Bethlehem. Sunt tamen isti tres conventus tamquam unus.

Videntes autem fratres Praedicatores, quod Soldanus reciperet pecuniam et loca sancta venderet, collectis non modicis eleemosynis emerunt agrum Acheldamah super vallem Syloe in latere Gyon, ex opposito Syon, et specum sancti Jacobi in pede montis Oliveti supra torrentem Cedron in valle Josaphat. Ad tempus autem deguerunt fratres ibi, sed quia loca illa in propatulo erant et nullo muro conclusa, sine intermissione patiebantur insultus a Sarracenis et Arabibus, et non erat possibile ibi manere, sicque locis illis derelictis migraverunt fratres Praedicatores ad terram Christianorum. Quamvis autem ipsi fratres Minores in muris firmis conventus habebant et Soldanus pro se et sequentibus suis liberavit eos praefata recepta pecunia, multa tamen sustinuerunt incommoda et graviter saepe a Sarracenis turbati fuerunt et cottidie quasi turbantur. Unde anno Domini 1368. venerunt Sarraceni in conventum montis Syon et XII fratres occiderunt; post hoc iterum ingressi aedificia testudinata dormitorii dejecerunt et cellas destruxerunt. Alia vice de post procurantibus Judaeis recepit Soldanus eis locum sepulchri David et aliorum regum Juda et destruxit coenaculum loci, ubi Spiritus sanctus missus est Apostolis in die Pentecostes, quod pretiose aedificatum fuerat a rege Franciae de consensu

oldani, nec reaedificare permittunt. Alia etiam loca destru-
erunt in circumferentia ecclesiae eorum, quae tamen emta
s fuerat. Et praeter illa sunt plures ibi occisi a paganis
hodie verberantur et tribulantur et nunquam securi sunt
c de locis, quae habent, nec de vita.

Anno autem Domini MCCC., dum adhuc non erant refor-
ıti, tantum exorbitabant fratres illi, ut et pagani et Christiani
enderentur. Sed Ordo succurrit conventui illi et notabiles
os ac maturos ibi posuerunt, et ita servant usque in hanc
m observantiam sinceram et peregrinis advenientibus fide-
r serviunt et ministrant eis necessaria infirmosque de
spitali in suum recipiunt infirmitorium curam eorum agentes
gna charitate, quod et ego ipse expertus apud eos
nens. Quapropter omnium christianorum principum, baro-
m et nobilium ad se converterunt affectum, unde eorum
gissimis eleemosynis sustentant fratres illos. Singuli enim
ges singulis annis mittunt suas eleemosynas eis, ille quin-
ntos ducatos, alius quadringentos, alter (**291 A**) plus, alter
nus, secundum consuetudinem vel secundum affectus ad
ca sancta sinceritatem et magnitudinem. Nihilominus dantur
s etiam multae eleemosynae a cottidianis peregrinis et ab
s, qui in dominico sepulchro insignia militiae accipiunt; et
ec omnia sunt eis necessaria: nullas enim colligunt eleemo-
nas ab orientalibus, nec a paganis nec a Christianis, sed
, quibus sustentantur et vivunt, ab occidentalibus recipiunt.
eo summe providendum esset, ne egestate inhumana fratres
i affligerentur, et quod structurae relictarum ecclesiarum
eemosynis fidelium fulcirentur, et hospitale pro advenis et
eregrinis ibi restitueretur, et quod libertas visitandi loca
ncta a paganis ecclesiae stipendiis procuraretur. Ab exor-
o enim fidei et in veteri Testamento gentilium reges et
incipes pecunias et donaria miserunt Jerosolymam his, qui
i divinis servitiis insistebant, sicut manifeste patet in libris
sdrae 1. cap. 1. et cap. VI. et VII. et Nehemiae c. 2. et 3.
sdr. 4. et 2. Maccab. 3. Sed et in novo Testamento erat
atis Apostolis singularis cura, ut facerent in nationibus aliis
llectas pro his, qui erant in Jerusalem, in quo legimus
nctum Paulum singulariter fuisse occupatum, et sanctum

sollicitabantur etiam ipsi Apostoli. Unde cum primae ec
ecclesiae, Petrus, Jacobus et Johannes dextras de
Paullo et Barnabae, eosque gentium ordinassent Apo
miserunt eos ad praedicandum hac conditione, ut me
tamen essent pauperum in Jerusalem colligendo pro
mittendo, ut habetur ad Galat. 2. Quare quasi in or
epistolis suis Paullus admonet fieri collectas sabbatis c
in Jerusalem, et diligenter providit de secura transmis
Unde et ipsemet per se ipsum aliquando ideo ascendit
salem ad praesentandum collecta, ut patet Rom. XV. e
tuum XXIV., ubi Felici praesidi de hoc facit ment
Mansit autem haec consuetudo in ecclesia, ut mitte
collecta in Jerusalem multis temporibus. Surrexit auten
dam haereticus, Vigilantius, qui inter alios suos errores
hunc habuit, dicens, illam collectam et transmissionen
vanam et inutilem; contra quem malleus ecclesiae, Je
mus, stetit eumque super hoc errore gravissime repe
et exstinxit, ut in epistola contra Vigilantium. Sed et
nium quendam, perdivitem Romanum, qui multas eleem
miserat Jerosolymam et tantum aurum dederat, ut mul
posset inopiae subveniri, plurimum commendat, ut ps
epist. ad Theodoram viduam. Insuper S. Gregorius
specialem curam habuisse de religiosis in Jerusalem,
et monasterium aedificavit et sumtus transmisit. In
insuper finem institutae fuerunt in ecclesia tres Ordines

Cessante autem causa transmissionis cessare debet possessio et divitiarum collectio. Illa pauci considerant et gravatur ecclesia sine causa inutilibus religionibus, nec est alicui cura de eleemosynis mittendis custodibus sancti sepulchri in Jerusalem, ut et ipsi emolumenta vitae habeant, et sancta loca et ecclesiae Christi manuteneantur, ad quod principaliter deceret fidelibus esse cura, cum ibi sint fidei nostrae initia inchoata et sacramenta omnia consummata.

Hae gentes hodie habitant in Jerusalem, quae sequuntur.

Civitas sancta Jerusalem hodie habitatio est diversarum gentium mundi et collectio quodammodo omnium spurcitiarum.

I. Sarraceni.

Primi et principales ibi habitantes sunt Sarraceni, Machometistae, faecibus omnium haeresium squalentes, pejores idololatris, abominabiliores Judaeis, negant Trinitatem, infamem [doctrinam] binarum naturarum in divinis ponunt, divinae essentiae naturam introducunt, filium Deum habere non posse dicunt, cum careat uxore, sed dicunt, Deum non esse substantiam, cum non habeat accidens, vel Deum non vivere, quia non comedit. Deum cum Angelis dicunt orare pro Machomet et pro aliis Sarracenis. Verbi incarnationem negant et Christum nec Deum, nec consubstantialem patri profitentur, sed tantum flatum Dei ipsum dicunt; hominem sanctissimum, virtuosissimum supra omnes confitentur, sine patre natum ex Virgine, nec passum nec crucifixum nec mortuum, sed a Deo translatum, in fine mundi moriturum, occiso prius per eum Antichristo. Sacramenta nulla esse dicunt; nec mirum, cum crucem negant. Judicem mundi Christum dicunt, sed cum Deo et Machometo. Gloriosa et magnifica scripta de isto,

paene omnia confitentur, non autem vilia et ignominiosa. De Virgine Maria errantes credunt eam fuisse sororem Aaron. Angelos dicunt habere corpora et ab illis Angelis daemonia facta, quae Adam adorare renueret. Patriarchas sanctos et prophetas dicunt fuisse Sarracenos, et homines diluvio periisse, quia noluerunt fieri Sarraceni, et quod Apostoli vere se Sarracenos professi sunt. Reprehendunt Christianos, quod habeant episcopos et presbyteros eosque deificent; sed et derisui nos habent, quod beatam Virginem quasi deificemus, dicentes, quod Christus apud Deum se de hoc excusat, quod modo non dedit matrem pro Dea. De Alchorano suo dicunt, quod non homo nec diabolus potest tam elegans, dulce mirabileque dictamen componere. Beatitudinem ultimam dicunt consistere in corporeis voluptatibus, crapula, aliave luxuria, ornatu etc. Coelum contendunt esse creatum ex fumo. Fumus dicitur vaporatio maris. Mare dicitur Mote Capff, quod cingit orbem et sustentat coelum. Solem et lunam pares in lumine a principio dicunt fuisse. Non erat distinctio diei et noctis, Gabel autem angelus volans [per] coelum rotam lunae ala percussit eamque sic obtenebravit. De morte dicunt, quod sit angelus nomine Adriel, qui in fine omnem occidet creaturam, etiam angelos, et demum se ipsum necabit; hoc facto omnes Deus resuscitabit creaturas, praeter mortem. Porro de virtutibus animae et de ultimo fine futuro quaedam dicunt. Uxorum pluralitatem praecipiunt nec sodomiam curant admittere. Enormiter in multis errant, de quibus multa scripta sunt in Fortalitio Fidei et in tractatu de Cribratione Alchorani.

II. Graeci.

Habitant in Jerusalem multi Graeci, quorum ecclesia olim doctissimos habuit viros, nunc vero innumeris obfuscata est erroribus, praecipue tamen in quatuor articulis. 1. Spiritum sanctum non credunt a Filio procedere nec existentiam quandam habere. 2. Asserunt, defunctorum animas nec beatas nec damnatas esse ante latam, sententiam in extremo judicio in quo et Purgatorium negant. 3. Dicunt corpus Christi confici non posse, nec infirmentare. 4. Romanam ecclesiam negant caput

omnium, imo ei non esse obediendum. Pro levissimis causis matrimonia solvunt, simoniam non curant. Corpus Christi in coena Domini confectum per annum reservant, majoris aestimantes esse efficaciae. Excommunicant Papam, nostros pontifices et omnem romanum clerum saepe. Rebaptizant baptizatos per nos. Fornicationem simplicem non esse peccatum dicunt. De sacramento extremae unctionis modice curant. Barbas abradi peccatum esse dicunt. Saeculares dominos supponunt episcopis. Invidia maxima contra ecclesiam romanam exardescunt, quare etiam Turcis totam quasi Graeciam tradiderunt se et provinciam perdentes propter ecclesiam latinam.

III. Syri.

Sunt in Jerusalem Suriani vel Syri, non Christiani sed re filii mendaces, inconstantes, furtum pro nihilo reputantes, Latinis insidiosi sicut Graeci, quorum subdantur directioni et per omnia eorum erroribus sunt infecti. Judaizant etiam quantum ad sabbathum, quod festivant, in communi locutione utuntur lingua sarracenica, sed in divinis syriaca. Moribus conformes sunt Sarracenis et barbas longas nutriunt et non barbatos dehonestant, effoeminati sunt et penitus ad bellandum inepti.

IV. Jacobitae.

Sunt in Jerusalem Christiani, Jacobitae, qui dudum a patriarcha constantinopolitano Dioscuro ab ecclesia graeca sunt exclusi. Hi parvulos suos more Sarracenorum circumcidunt, nec confitentur nisi latentes quilibet sibi ipsi, et non nisi unam naturam in Christo confitentur; in eorum Officiis lingua Syrorum utuntur.

V. Abessini.

Sunt in civitate sancta Abisini sive Indiani, qui habent regem christianum, quem etiam Sarraceni timent in tantum, ut, qui poletum ejus habet, sine impedimento orientem pervagatur. Hi parvulos etiam circumcidunt, candenti ferro vultum adurunt et in nomine Christi baptizant, in fermento consecrant et suos infantes sub utraque communicant specie.

Maximis abstinentiis se macerant in tantum, ut saepe se fame perimant.

VI. Nestoriani.

Sunt in Jerusalem Christiani, Nestoriani, pessimis erroribus depravati, circa Dei genitricem et ejus filium multipliciter errantes. Credunt in Christo duas naturas et duas personas, et beatam Virginem Mariam dicunt matrem Christi hominis, sed non filii Dei. Chaldaea lingua utuntur in suis divinis et in fermento conficiunt.

VII. Armeniani.

Sunt in Jerusalem Christiani, dicti Armenii, involuti multis erroribus: inter hos et Graecos est maxima semper discordia propter rituum varietatem; linguam propriam et litteras singulares habent. Natalem Domini jejunant nec celebrant, sed Epiphaniam propter Christi baptismum summo honore venerantur, arctissime XL observant, in tantum, ut nec pisces nec oleo nec vino utantur, legumina tamen et fructus manducant, quotiens placet, omnibus horis, quia non putant istis frangi jejunium. Aquam non ponunt in confectione sacramenti. Feriis sextis carnes manducant. Infantes communicant. Nullam vigiliam nec quatuor tempora jejunant, nec quadragesima, in qua etiam dominica die arctissime abstinent. De purgatorio nihil tenent et de Christo sicut Jacobini errant.

VIII. Gregoriani. [Georgiani.]

Sunt in Jerusalem Gregoriani, dicti Christiani, de genitura viri bellicosi, in tantum, ut in toto oriente timeantur, et securi sine pedagiis transeunt, quo volunt. Eorum mulieres sicut viri armis utuntur. Inter eos et Armenios est implacabile bellum. Infecti sunt paene omnibus Graecorum erroribus. Prolixas ferunt barbas ut caeteri orientales.

IX. Maronitae.

Habitant in Jerusalem Christiani, dicti Maronitae, haeretici, in Christo tantum unam voluntatem aut operationem

ponentes, pulsant campanas, ut nos, cum tamen alii orientales lignis templum convocent. In locutione communi lingua sarracenica loquuntur, in divinis autem chaldaica. Aliquando reversi sunt ad ecclesiae unitatem, sed iam dudum recidiaverunt.

X. Turcomanni.

Sunt in civitate sancta dicti Turcomanni, vagi et feroces, qui Asiam minorem et partem magnam majoris ceperunt, et sunt Turci.

XI. Beduini.

Sunt ibi Beduini, ex Arabum gente, de quibus filius perditionis exivit, Machometus: hi tenent, quod dies et genus mortis a Deo sint constituti, nec praeveniri nec praeteriri possint: ideo periculosissimis rebus sine metu se ingerunt et sine armis protectionis ad bella vadunt. Odiosi sunt tam Sarracenis quam Christianis. Solem aliqui adorant.

XII. Assasini.

Sunt ibi Assasini, Mahomotistae, obedientissimi suo capitaneo, aestimant enim, quod sola obedientia felicitatem promoveant. Capitaneus eorum instrui juvenes facit variis linguis et eos mittit in regna ad serviendum regibus, ut oportuno tempore regem serviens toxico vel alias perimat. Si occiso rege in terram suam evaserit, honoribus, divitiis et dignitatibus praemiatur, si autem deprehenditur et occiditur, pro martyre eum in sua terra colunt.

XIII. Mahometistae.

In Jerusalem sunt Mahometistae quidam, minus legem Sarracenorum curantes, qui dicunt, se habere quandam occultam legem, quam nemo revelat, quam pater filio in mortis articulo; quod si filius matri revelat, si constat, mulier sine mora occiditur.

XIV. Mamalucci.

Sunt in Jerusalem Mamalucci, abnegati Christiani, quorum est magna multitudo, odiosi Sarracenis et Christianis,

orientemque armis domant, de quorum numero est rex Aegypti, Soldanus, et omnes sui curiales: hi nec legem Machometi nec Christi evangelium curant, sed voluptatibus operam dant.

XV. Judaei.

In medio omnium horum sunt Judaei exsecrati, ut etiam tribulatio et vexatio multa operiat eis intellectum, ubique enim per orbem captivi et spreti sunt, habentque inter se diversas sectas, ut sunt Samaritani et Esseni, et continui novi errores inter eos crescunt, de quibus multa dicere possem.

XVI. Christiani latini.

Degunt in Jerusalem Christiani latini, in ecclesia et monasterio montis Syon fratres Minores sub promta obedientia et evangelica vita, de quibus in antecedentibus multa dixi. Hi soli totis praecordiis optant, ut christiani principes veniant et Romanae ecclesiae et imperio omnia subjiciant, quod ille concedat, qui sine termino regnat.

De praefatis sectis et gentibus vide supra fol. 133. B. et in Burcardo circa finem descriptionis terrae sanctae, et in peregrinatione domini decani Moguntinensis et in Speculo histor. et in Chronico Antonini. Multi tamen de his scribentes sine haeresibus dicunt eos esse orientales et laudant eorum simplicitatem. Sed hoc olim ante CC annos sic erat, interea autem omnes, demtis Latinis, pessimis erroribus sunt depravati et in dies plus depravantur, cum non habeant catholicos doctores et praedicatores, nec accipere eos volunt contenti mori in suis erroribus.

(2a) Secunda pars Evagatorii Fratris Felicis Fabri de Ulma, Ordinis Praedicatorum.

De peregrinatione a civitate sancta Jerusalem in montem Dei Oreb et in montem Synai ad sepulchrum angelicum beatae Catharinae virginis.

Evagari denuo incipiam post greges Moysi ad interiora deserti contra montem Dei Oreb, Exodi c. III. Consummata enim et descripta evagatione peregrinationis Jerosolymitanae restat descriptio evagationis peregrinationis Synaianae, cui in sequentibus insistere intendo.

Complectitur autem haec secunda pars evagatorii peregrinationem deserti magni Arabiae et Madian et montis Synai. In ejus summitate est ultimus terminus ad quem totius peregrinationis.

Deinde continet peregrinationem terrae Aegypti et descensum Nili, cum ejus descriptione, et reversionem peregrinorum per mare et per terram usque Ulmam, quae urbs est terminus a quo, et ultimo loco describetur.

Habet etiam haec pars sex tractatus, sicut et prima.

Primus tractatus, qui est septimus in ordine tractatuum evagatorii, incipit hic, continetque peregrinationem deserti et descriptionem montis Oreb et Synai.

Secundus tractatus, qui est octavus, continet Aegypti peregrinationem per mensem Octobrem.

Tertius, qui est nonus, peregrinationem maris et insularum descriptionem per mensem Novembrem.

Quartus, qui est decimus, continet navigationem maris per mensem Decembrem.

Quintus, qui est undecimus, continet peregrinationem in Venetias et Venetiarum descriptionem et peregrinorum repatriationem in mense Januarii.

Sextus, qui est duodecimus, continet Alemanniae et civitatis Ulmensis latissimam descriptionem. Et hunc tractatum, quia

longus est et proprium codicem complet, non apposui Evagatorio, et proprio inscripsi libro.

Tractatus septimus Evagatorii incipit. Ad secundam Evagationem de Jerusalem ad montem Synai sic est processus.

Ad peregrinationem montis Synai tria praeexiguntur. Primum, ut peregrini cum dominis Sarracenis de Jerusalem conveniant ad faciendam conventionem cum Trutschelmanno, super salva gwardia et salvo conductu nobis praestandum per desertum usque in Aegyptum. Et hunc tractatum fecimus, sicut patet Parte 1. fol. 218. A. B. Secundo exigitur, ut peregrini sibi provideant et emant sibi necessaria, quibus per desertum euntes vivere queant. De qua provisione habetur Parte 1. fol. 247. A. B. Tertium, ut dominus Trutschelmannus major juxta conventionem disponat camelos et camelarios, asinos et asinarios, et assignet certum diem et horam recessus peregrinorum. Et haec omnia sunt facta. Nam diem 24. Augusti, quae est festum S. Bartholomaei Apostoli, assignavit nobis pro recessu a Jerusalem, horam vesperarum. Igitur cum eodem die mane de ecclesia dominici sepulchri egressi essemus, post sumtum cibum omnes in montem Syon adscendimus et ibi ambos Calinos cum camelariis et camelis, asinariis et asinis nos exspectantes invenimus. Acceleravimus ergo opus nostrum et omnem supellectilem nostram eportavimus de monasterio fratrum et in unum locum composuimus ad jussum camelariorum, (b) ut viderent substantiam eamque aequaliter camelis distribuerent portandam. Oportet enim onera camelorum exquisite et curiose librare, ut sint aequalia. Cumque singula in unam congeriem comportassemus, factus est cumulus magnus et gravis, quia erant multi sacci pleni paximatiis, et multa vascula vino repleta, saccis cilicinis imposita, ne ea Sarraceni nuda conspicerent et nos molestarent, et multi utres aquarum, sportae insuper ovis repletae, et caveae cum viventibus pullis gallinis et gallis, lectisternia et vestimenta nostra, sacci et cassidola nostra et sportae cum ollis, caldaribus, discis et scutellis. Et haec et similia multa faciebant ingentum cumulum, ita, ut

ductores nostri stupebant. Vix enim homo credere posset, quod XX homines tanta suppellectili per desertum essent indigi. Oportet enim provisionem habere magnam, ut non patiantur defectum per LXII dies, et ut occurrentibus Madianitis et Arabibus in deserto habeant dare panes et paximatios, carnes fumigatas et caseum, quibus furor eorum mitigetur et ut pax sic ab eis ematur. Omnibus ergo rebus nostris eportatis adduxerunt camelarii camelos ad cumulum, et unum post alium in terram prosternentes onerare bestias inceperunt; nos vero eis adstetimus et diligenter manus eorum aspeximus, ne quid furarentur nobis, et ut addisceremus etiam onerare bestias et camelos tractare. Oneratis autem XXII camelis cum multis laboribus et litigiis vocati fuimus per asinarios ad gregem asinorum, ut quilibet eligeret sibi asinum, quo per totum desertum uteretur usque in Aegyptum; convenerant autem asinarii inter se pro eorum pace, ut nullus suaderet peregrino eligere hunc vel illum asinum, nec diceret bestiae defectum vel bonitatem, sed in libertate nos dimitterent, ut, qui male elegisset, non haberet materiam litigandi et inculpandi aliquem, nec accipere posset rationem minus solvendi, quam ille, qui cum bona bestia fuerat provisus, et in fine, qui optimam bestiam elegisset, solveret pro sociis curtesias vel cibales; ipsi enim asinarii sciebant, qui asini erant vel boni vel mali, aequaliter tamen erant strati omnes. Discurrebant ergo domini mei milites inter asinos et nunc illum nunc istum tentabant et inter se disceptabant et quamquam duo vel tres peregrini ad unum asinum pendebant. Quod ego cernens, ne aliquem offenderem, mea electione recessi de grege et ascendi per gradus lapideos usque ad ostium ecclesiae Syon et in limine sessum accepi, et deorsum in asinorum gregem respexi eligentes, quos consideravi, et in me ipso deliberavi, quam bestiam eligere vellem. Vidi autem inter asinos unum magnum et album, cui aures dependebant, et caput grave videbatur habere et speciem pigrae bestiae praeferebat, nec aliquis de peregrinis eum tangere volebat. Et ad illam bestiam me limitavi, non quod aliquid boni noscerem in ea, sed solum ut dominis nobilibus jucunditatem facerem in eo, quod elegi bestiam ab omnibus spretam. Cumque nobiles omnes cum multa sollicitudine

et discretione sibi bestias elegissent et tumultus cessaset, cendi, et asinum spretum sine examinatione elegi eumqu singularem (3 a) locum duxi et aptavi. Asinarii autem currentes ridebant et clamabant et a me pecunias postula Porro ego non intellexi, quid mihi dicerent, sed de pos tione denariorum male contentus stabam, quia a nullo postulaverant aes. Interpres autem noster dixit mihi, optimum asinum inter omnes elegissem et ideo postularent tusias. Hoc ut audivi, protuli IV madinos et dedi ei fui per totum iter provisus cum securissima bestia et i gabili et sine omni vitio; numquam mecum cecidit, num tardavit, numquam trepidavit, nec percussit, nec mom sed sine stimulatione infatigabiliter processit et antec Dixit mihi asinarius, dum interrogarem eum, quo pretio vellet vendere, quod non infra X ducatos acciperet pr stia illa. Semper habui fortunam in utraque peregrin in eligendo bestias, ut patet etiam supra parte I. fol Quantos labores et fatigas ac pericula sustineant illi pere qui insecuras, pigras et malas bestias eligunt, vix conscribi. Igitur cum cameli essent onerati et asini strati, transivimus ad ecclesiam Syon et a venerabili Gardiano montis Syon benedictionem itinerantium accep qui complectens singulos benedixit et osculo dato a se sit. Ego tamen cum majori gratiarum actione a sua pa tate et a toto conventu recessi, quia majora beneficia ac ram ab eis, et valde benefecerant mihi, sicut patet Pa fol. 93 A. et fol. 221 A.

Egressi ergo de ecclesia Syon ad asinos descend quibus ascensis camelos procedentes secuti sumus extra tatem; non autem sine cordis tristitia, nec sine lacrimis vimus de desiderabili civitate Jerusalem, sed cum singu et fletibus. Ego pro parte mea numquam in hoc mun aliquo loco libentius fui, quam in Jerusalem, et jocundis dies et horas ibi habui. Ut autem de monte Syon desc mus, occurrerunt nobis juvenes Sarracenorum, filii et pue tribulaverunt nos, et conabantur onera camelorum dejic rapere, quos ductores nostri vix valebant repellere a Interea, antequam de monte Sion descendissemus plene,

unum de vasis, et vinum per saccum cilicinum, quo involutum erat, defluxit in terram, de quo non modicum turbati fuimus, quia vinum optimum erat et magno pretio comparatum et multo studio absconditum propter Sarracenos. Non autem tantum turbavit nos perditio vini, quantum insania Sarracenorum. Timuimus enim, quod Sarraceni odorem vini sentientes in nos irruerent et alia vasa etiam rumperent, et si vino privati fuissemus, peregrinationem montis Synai aggressi non fuissemus nec vivere in deserto potuissemus sine potu vini. Dimisimus ergo vinum in terram defluere, quia non erat aliud vasculum prae manibus, diligentissime tamen observavimus, ne camelarii et asinarii accederent et de defluenti vino biberent, quia, ut gustassent, statim inebriati fuissent et turbati nos turbassent et supellectilem nostram neglexissent. Ego asinum meum cuidam militi assignavi et ad latus cameli cucurri, ubi erat vinum defluens, et nullum Sarracenum accedere permisi, sed flasconem meum duarum mensurarum ex stillicidiis implevi, et ita lento gradu processimus. In quantis autem fuerimus angustiis inter viam istam parvam faciendum propter diversas paganorum insidias et (b) labores, non facile scripserim. In tantum autem retardati fuimus in via et impediti, quod viam, quam in quatuor horis facere potuissemus, vix in VII horis perfecimus, et in nocturnis tenebris Bethleem ingressi fuimus. In porticu autem ecclesiae Bethleemitanae exoneravimus camelos et asinos cum magno labore et omnes res in quandam cameram ecclesiae annexam traximus et custodiam juxta cameram posuimus. Ingressi autem cum luminibus in ecclesiam ad locum dulcissimae nativitatis Domini descendimus, et ibi adorato Domino venit pater Gardianus cum fratribus et nos charitative suscepit ac in habitaculum refectionis et dormitionis nostrae nos introduxit. Sciebant enim adventum nostrum et ideo omnia paraverant, coenam et lectisternia. Coenam ergo eam laetitia sumsimus egregiam, nostris expensis paratam, et post eam ad quiescendum nos locavimus. Gloria in excelsis Deo.

Die XXV. mensis Augusti post noctis medium, scilicet ante lucem, surreximus, et ingressi specum nativitatis Domini Officia nostra ibi legimus, horas canonicas et Missas. Cum

autem sol ortus esset, descendimus in vallem pastorum Gloria in excelsis ibique hymnum coelestem cum Angelis c tavimus et locum curiosius conspeximus. De hoc loco v P. 1. fol. 174, A. B. Laudibus ergo in valle finitis adsc dimus in Bethleem ad prandium sumendum. Post comestio ipsum S. Jeronymi monasterium undique perlustravimus ruinas ejus mirati sumus, ipsum etiam oppidum Bethl circuivimus et ad cisternam David accessimus et collatio de sacris scripturis de bis locis mentionem facientibus si habuimus. Et ita cum gaudio diem illum deduximus in gaudioso et sanctissimo. Valde enim jocundum est m ad praesepe Domini, tum propter sanctitatem loci et dulgentias, tum propter ecclesiae venustatem, tum pro monasterii insignissimi ingentes ruinas. Fuit enim non monasterium monachorum, quam palatium et fortalitium peratorum, quod simplices credunt fuisse S. Jeronymi m sterium, sed non est. Sanctus enim Jeronymus sub tug ibi deguit in pauperculo monasterio, quod suo tempore fu tum fuit, unde dicit in epistola ad Fabiolam: Ego, inquit, versorii Bethleemitici et praesepe Domini amator, in quo V puerpera Deum fudit infantem. Et in regula sua Can. Nihil, inquit, hac sublimitate sublimius, quam Bethleem, hoc parvo foramine coelorum conditor natus est. Nam s S. Jeronymum fuit locus nativitatis Christi nuda specus, ibi erat monasterium. Unde dicit, ut habetur in ejus re Can. 20: Nos ex providentia aedificato monasterio et di sorio prope structo, ne forte et modo veniens Joseph Maria Bethleem non inveniat hospitium. Dicitur enim in genda Jeronymi, quod Cyrillus episcopus Jerosolymitanus dit ei parochiam Bethleem, in qua aedificavit cum vicino adjumento monasterium, sed deficientibus sumtibus misit trem Paulinianum ad patriam, ut suas venderet possessiunc et pecunia in structuram monasterii Bethleem converter ut habetur in regula cap. 20. Quantum enim possum c cere, non vides, quod tempore beati Jeronymi sit aedifi illa ecclesia solennis, quae hodie ibi est, quam tamen inex dicunt ab Helena erectam, quod et ego credebam, sed disp tio moderna non admittit, quia dicitur, quod beatus Jerony

in ore speluncae nativitatis Christi sibi sculpsit sepulchrum, et quod speluncae os angustum sit. Jam vero sepulchrum Jeronymi est extra ecclesiam, et introitus speluncae non in ecclesia, et ipsa spelunca est ornatissima, duo habens patentia ostia ad ingrediendum. Credo ecclesiam illam aedificatam temporibus novissimis latinorum regum Jerusalem et monasterium hoc magnum similiter, et tuguriola beati Jeronymi ablata, et alia dispositio loco data, quod et scripturae, pictura et sculpturae monstrant.

De monte Rama et ejus oppido fortissimo.

Vicesima sex tadie mane dicto Officio juxta praesepe Domini rogaverunt milites Calinum magnum, ut perduceret eos ad piscinas Salomonis et ad ejus hortos et pomeria et ad S. Georium. Et ascensis asinis ad loca jam dicta perducti sunt. Ego vero, quia prius in illis locis fueram, ut patet supra fol. 249. A., aliam peregrinationem illo die faci. Quatuor enim fratres Minores, qui nobiscum de Jerusalem exiverant, et ego quintus, de Bethleem egressi descendimus contra austrum ad radices cujusdam alti montis, qui de campo consurgit et rotundus in altum se tollit in cacumen, satis latam planitiem praeferens, de quo respectus est longe lateque per terram sanctam. Ad hunc montem sudoribus et laboribus ascendimus usque in ejus summitatem, et ibi habitudinem loci consideravimus et hinc inde per terram sanctam circumspeximus. In hoc enim monte ab antiquo stetit castrum populosum et munitum, quod dicebatur Rama, prout S. Jeronymus videtur velle dicere in libro de distantiis locorum. Communiter enim villae in alto sitae dicebantur omnes (4 a) Rama, sicut patet P. 1. fol. 87. B. Adeo namque altus est mons ille, quod ab eo est respectus ad mare mortuum, ad montes Arabiae, ad montem Seir et Galaad. Videntur etiam ibi montes Engaddi et loca latibulorum David, desertum Tecuae et Silo, et mons Oliveti cum parte montis Syon, et consequenter usque ad mare magnum. Et hoc videtur in nudo montis cacumine, olim autem, quando erat altum aedificium superaedificatum, habebatur respectus multo latior, usque in Galilaeam, Palaestinam et usque ad terminos

Aegypti. Fuerat quippe castrum magnum cum altis turribus, Rama dictum. Et de hoc creditur illud Jeremiae cap. 31. et Matthaei c. 2. esse scriptum: Vox in Rama audita est ploratus et ululatus. Dum enim Herodes occideret pueros in Bethleem et in confinibus ejus, ploratus puerorum et ululatus matrum audiri potuerat in hac Rama. Unde Jeronymus de distantiis locorum dicit: Rama est locus prope Bethleem, de quo dicitur: vox in Rama.

In circumferentia murorum tantum spatium terrae fuit, quod frumentum sufficiens in ea crevit pro pane inhabitantium castrum per annum. Hoc castrum munivit unus de latinis regibus Jerusalem. Unde, postquam Saladinus, rex Aegypti, cepit vi armorum terram sanctam et Jerusalem et Christianos ex omnibus finibus ejus expulit latinos, et castra reliqua, villas et civitates expugnavit: hoc castrum Rama nequaquam habere potuit, sed Christianis viriliter repugnantibus ab eo discessit, et manserunt Christiani latini in castro post expugnationem Jerusalem et Bethleem ultra XXX annos, nec poterant eos Sarraceni expellere, et adhuc hodie manerent, si Deus cum eis non pugnasset. Nam post XXX annos immisit Deus pestilentiam in castrum, et in brevi temporis spatio obierunt omnes foeminae, a juvencula usque ad anum, et major pars virorum. Quod cernentes reliqui castrum deseruerunt et fugam inierunt. Hoc cum Sarraceni percepissent, adscenderunt in montem et castrum usque ad solum diripuerunt, ita, quod vix murorum vestigia modo deprehendi possunt. Propter inexpugnabilitatem illius castri nominabant illud Christiani Bethuliam, sicut castellum Judith Bethulia, quod erat in Galilaea.

Inde ab illo monte conjectis oculis ad alium montem oppositum vidimus quoddam vetustum aedificium, juxta quod est sepultura XII prophetarum minorum.

Infra eundem montem fuit olim monasterium S. Agathon, abbatis, qui vir magnae autoritatis fuit et pater multorum monachorum extitit et ob amorem silentii triennio lapidem in ore portavit, ut de eo refertur in vitis patrum.

Insuper in eadem regione fuit monasterium S. Karioth abbatis, patris multorum monachorum, quo de hoc saeculo

migrante omnes ejus monachi migraverunt cum eo et in uno monumento locati sunt, quod usque hodie ibidem monstratur.

Non longe a loco vidimus superiora aedificia monasterii S. Sabbae abbatis, de quo supra longa facta est mentio P. 1. Fol. 234. A.

Et his visis de monte descendimus et in Bethleem ad vesperas reversi sumus. Reperimus autem dominum Vaccardinum, (b) potentem Sarracenum de Jerusalem, cum suis famulis ibi, qui accersito Trutschelmanno nostro eum dure arguit, quod nos illo die ibi manere permisit eique praecepit, ut in crastinum summo mane nos deduceret per viam nostram.

Recessus de Bethleem.

XXVII. die statim transacta media nocte venit Calinus magnus ad habitaculum peregrinorum nosque excitavit ad recessum. Festine ergo surreximus et ingressi specum dominicae nativitatis Officia nostra diximus et Missas legimus in illo devotissimo loco, a quo invitissime recessimus; nobis autem in celebratione Missarum existentibus descendit Calinus Sarracenus et magno clamore ad recessum nos stimulavit. Celeriter ergo nos expedivimus et egressi supellectilem nostram exposuimus imponendam camelis et incepimus onerare bestias, et quia illius operis adhuc usum et consuetudinem et artem non habuimus, nec camelariorum mores, signa et locutiones minime intelleximus, nec ipsi nos intelligebant, ideo per aliquot dies cum magnis litigiis et difficultatibus multis onera bestiis imposuimus. Inde autem oriebatur difficultas, quia camelarii recipiebant indifferenter de cumulo rerum nunc hoc nunc illud, ut aequalia onera camelis facerent, et hoc nobis inconveniens fuit, quia divisi eramus in tres partes, et divisas res habuimus et non communes, sed cameli erant nobis communes, et hoc non intelligebant Sarraceni, sed putabant, omnia esse communia et indiscrete imponebant onera, ita, quod unus camelus quandoque portavit res trium societatum et sex vel octo peregrinorum; et in depositione onerum fiebat confusio, labor et discursus, dum quilibet cogebatur suam supellectilem in tribus vel quatuor locis

colligere. Ideo nos libenter vidissemus, ut certi cameli fuissent ordinati ad portandum res primae societatis, alii secundae et caeteri tertiae. Sed hoc camelarii nolebant intelligere nec facere, et ex hoc, ut dixi, multa litigia, inquietudo et labor fuerunt orta in oneratione, praecipue in principio.

Oneratis autem bestiis et asinis stratis eos adscendimus et in nomine Domini de monasterio exivimus et per medium oppidi transeuntes ab alia parte per clivum contra austrum descendimus ad latus montis Bethuliae, alias Rama, quod a sinistris dimisimus. In processu ergo venimus supra vallem Raphaim, in cujus margine transivimus quasi per horam. Haec vallis fertilis esset, si haberet cultores, et ferax frumenti, sicut patet Esa. c. XVII. In hac valle expugnavit David Philistaeos, qui in ea se diffuderant sicut locustae, ut patet 2 Reg. V. Scindit enim vallis illa (5 a) montana Judaeae a planitie Palaestinorum vel Philistaeorum usque sursum, et ita per eam poterant ascendere in terram Juda. Procedentes autem elongabamur a Bethleem, quam tamen a longe a tergo vidimus usque ad meridiem; circa meridiem verò in latitudinem quandam venimus fertilem, ubi erant agri fructuum et multae olivae, et fici. Declinavimus autem cum bestiis in densitatem olivarum et sub umbra consedimus et manducavimus ea, quae in sacculis nostris de Bethleem habebamus, potum vero habere non potuimus, quia cameli, qui utres aquae ferebant, nos antecedebant. Sumto ergo modico cibo rursum asinos adscendimus et progressi sumus et ad viarum divisionem venimus, ubi una via per planitiem descendit ad dextram in Palaestinam contra Gazaram, per villam dictam Thyrin, et per castellum, quod nominant ad S. Samuelem. Alia via ducit ad sinistram in montana in Ebron, et circumeundo de Ebron descenditur in campestria Palaestinae ad Gazaram, et per viam sinistram est via duobus milliaribus teutonicis propinquior ad Gazaram, quam per viam dextrae. Ideo Calinus major jussit minari camelos per aliam viam inferiorem propinquiorem, in qua via ad Ebron non venissemus; sed cum hoc intellexissemus, reclamavimus et minari camelos per aliam viam fecimus, quae ducit in Ebron, et in his fuit facta magna altercatio inter nos et ductores nostros. Ipsi volebant procedere via breviori, nos

vero volebamus videre civitatem sanctam Ebron et locum sanctorum patriarcharum et agrum plasmationis protoparentis nostri. Et nisi in conventione nostra cum eis expressum fuisset, quod ducerent nos in Ebron, ut patet P. I. Fol. 219. in XII. articulo, nullo modo desiderio nostro satisfecissent. Et ut veritatem de hoc fatear, ego solus caussa fui, quod positum erat in conventione, quia venerabilis magister Ludwicus Fuchs, Prior Ulmensis, petivit me in recessu, ut de terra sancta non egrederer nisi visa civitate Ebron, ad quam singulari devotione afficitur. Sed et ego desideranter concupivi eam videre et opposui me omnibus modis, ne impediretur accessus ad eam: nam Calinus major multa allegavit pericula alia, demta prolongatione viae. Distat autem Ebron a Bethleem non nisi sex leucis. Igitur post longam concertationem vicimus nos peregrini ductores nostros et retraxerunt camelos ad viam superiorem contra montana. Et progressi certe vidimus terram optimam, sed paucissimos cultores in ea et nonnullas villulas vidimus. In ipsis autem montibus et vallibus vidimus macerias antiquas, quibus montes per circuitum cingebantur ab inferioribus usque ad cacumina, in quibus maceriis olim fuerant horti vinearum, olivarum, pomerantiarum, malogranatarum et aliorum bonorum fructuum, loco quorum jam sunt spinae, urticae, tribuli, vepres, rubi et alia arbusta silvestria sterilia.

Introitus peregrinorum in Ebron civitatem.

In progressu venimus in unam vallem valde amoenam, quae dicitur vallis Ebron, in cujus utroque latere erant clivi pleni maceriis vinearum et hortorum, sed omnia ibi crescentia erant silvestria, inter quae multi therebinti (b) arbores stabant oleo therebintino foecundae, et si vallis illa haberet colonos, omnibus mundi bonis abundaret. Consequenter ad locum venimus repletum olivis, ita, quod quasi silva videbatur arborum olivarum, et in condensitate illa arborum jussit Calinus gubernator noster nos de bestiis descendere et camelos exonerare, et ita fecimus. Erant autem nobis arbores pro tentoriis et umbraculis contra intensissimum solis ardorem,

qui mihi videbatur in illa regione multo intensior, quam Jerusalem. Sedimus ergo in umbra et de paximaciis nost manducavimus sine potu refrigerativo, quia tam vinum brillis quam aqua in utribus erat omnino calefacta et sitim exstinguendam inhabilia. Non longe autem eramus Ebron, civitate sancta, quam tamen videre non poteram propter montem medium inter nos et civitatem, quem pa spatio gyrare oportet ingredi volentem. Verumtamen Ebr illa civitas antiquissima, de qua sacra Scriptura loquitur, eo loco stetisse perhibetur, ubi eramus, ita quod pars civi tis dependebat in clivo montis et alia ejus pars per con nuationem stabat inferius in plano in loco olivarum, pos autem propter speluncam duplicem, sepulturam Abrahae, q in alio montis latere erat, translata fuit civitas ad locum s luncae, ut patebit in descriptione. Igitur ita nobis sedentib Sabathitanco, Calinus magnus, suum equum adscendit cum famulo in civitatem Ebron equitavit, dicens praefe urbis et civibus, adesse peregrinos latinos Christianos transmarinis partibus cupientes cum eorum beneplacito vid civitatem et loca patriarcharum. Hoc audiens praefec Ebron dure Calinum nostrum increpavit pro eo, quod i in campo dimisit in aestu solis, ubi nec aqua nec panis e et praecepit, ut festinate ad nos reverteretur et cum os nostra supellectili in civitatem introduceret in urbis diver rium. Calinus autem noster dixit ei, quod cameli jam ess exonerati et ad pascua emissi et non nisi magno lab possent reonerari, ideo servos suos vellet ad Sarracenos mittere et peregrinos introducere ad visitandum loca san et hoc facto ad sarcinas reducere et ibi pernoctare et ma recedere. Hoc audiens praefectus exarsit ira in Calinum eum traditorem peregrinorum et non ductorem esse dixit, q cum regio illa repleta sit latrunculis Arabum, non possu inquit, peregrini illi in campo pernoctare, nisi cum perici exspoliationis, idcirco introduc eos, et si tu nolueris, ego introducam. Revenit ergo Calinus et cum multis passionib jussit reonerari bestias, et cum factum fuisset, ascendim asinos et cum turma nostra montem gyravimus et per c vum ab alia parte in civitatem Ebron ingressi sum

Ingredientibus autem nobis urbem factus est magnus concursus populorum ad videndum nos, quia in multis annis non fuerant ibi peregrini latini, et erat quasi monstruosa res videre ibi Christianos latinos occidentales. Induxerunt ergo nos in publicum civitatis diversorium cum omnibus bestiis nostris et locum spatiosum stabulis bestiarum et cellulis hominum inferius et superius bene aptatum habuimus et curiam magnam, quae porta firmiter claudebatur. Erat enim habitatio magna et lata, sicut monasterium. Sunt enim hospitia orientalium diversoria (6 a) sine inhabitatore, solum ad alienos spectantia. De dispositione diversoriorum et hospitiorum in oriente vide Parte I. Folio 195. A.

Cum autem diversorium ingressi fuissemus, onera deposuimus et bestias locavimus in inferiori ambitu, in superiori vero pro nobis habitacula et cellulas elegimus et in eis lectulos nostros stravimus et locum pro coquendis cibis aptavimus, lignaque pro igne comparavimus et ita cuncta disposuimus, ac si per aliquot dies ibi mansuri essemus. Interea venit Calinus magnus cum aliquibus Sarracenis de civitate, dicens, quod, quia adhuc multum superesset de die, expediens esset, ut illo sero loca sancta visitaremus, ut in crastinum mane ante aestum solis recedere possemus. Et hoc nobis placuit, quia timebamus diutinam detentionem in loco.

De agro plasmationis Adae, qui dicitur ager Damascenus.

Egressi ergo sumus de hospitio nostro et per longum civitatis vicum transivimus, in quo diversi residebant artifices, praecipue tamen vitriatores: fiunt enim ibi vitra, non quidem clara, sed nigra et de mediis coloribus. Adhaesit autem nobis magna hominum multitudo post nos currentium, quia spectaculum fuit, videre ibi occidentales. Deinde pervenimus ad civitatis portam, per quam egressi via regia ad agrum venimus maceria circumseptum, et ibi substitimus, respicientes per maceriam in ipsum agrum utique spectabilem et mirabilem. Erat enim ager dictus Damascenus, in quo Adam protoparens fuit plasmatus. Cum audivissemus hunc

esse agrum illum sanctum, ascendimus per maceriam in ipsum, ut terram deoscularemus et consuetas orationes diceremus et collationem faceremus de mirabilibus ibi factis. Sed ecce nobis in agrum saltantibus per maceriam, occurrit quidam saevus Sarracenus cum clamoribus magnis et levatos lapides contra nos misit crebris jactibus nosque vi de agro repulit, et vix sine laesione recidimus per maceriam imam. Calinus autem et ductores nostri volentes locum dare irae incipiebant regredi in civitatem, nos autem nequaquam tam cito recedere volebamus a loco tam notabili, sed iram hominis placare contendimus, ut in loco devotioni vacare paululum possemus. Revocavimus ergo Calinum et diximus, ut cum homine conventionem faceret, et quod justum esset vellemus sibi dare pro intromissione in agrum suum. Erat enim dominus agri. Promissi sunt ergo sibi quatuor madini, et hac promissione facta placatus factus est homo et ascendit maceriam et peregrinis in alia parte stantibus manum porrexit et unum post alterum sursum traxit et in agrum suum ire permisit et nosmet ad locum perduxit, de quo creditur limum assumtum fuisse pro corpore Adae secundum veritatem catholicam, et hominem primum ibi productum fuisse, et nequaquam attendimus ad gentilium poetarum deliramenta, quae canunt, quendam Phoroneum esse primum mortalium patrem, ut Eusebius de Evang. Praep. Lib. X. dicit. Et Aethiopes ipsi virtute soli apud se primos homines coepisse dicunt, ut Diodorus L. IV. C. 1. dicit. Et increduli Aegyptii tradunt, primos homines apud se creatos tum bonitate soli, tum propter Nilum, qui multa generat, quae alibi nusquam reperiuntur. Sed omnia haec vana credentes, verissima et firmissima fide moti, cum ingenti devotione et lacrimis in hoc sancto loco in terram procidimus, eamque (b) deosculati sumus et orationibus consuetis, in processionali terrae sanctae signatis, dictis indulgentias accepimus (†) et post haec ad loci contemplationem nos convertimus.

Contemplatio de eminentia Adae in statu innocentiae pulchra.

Delectabile enim valde est et devotum, considerare res gestas in hoc agro, qui secundum doctores theologos est ager

Damascenus dictus, ut habet magister in Spec. Histor. et habetur idem 40. C. illud in apparatu. Hoc autem nomen sortitus est hic ager a Damasco, servo Abrahae, quia forte eum emerat sicut Abraham speluncam duplicem a populo terrae, ut habetur Genes. 23. In hoc sacro agro utrumque, scilicet sublimitas et calamitas humani generis, initium sumsit. Nam rerum omnium fabricator Deus in hoc loco, VI. die saeculi, 25. Martii, creatis bestiis terrae cunctisque reptilibus et volucribus coeli, protoplastum primum hominem Adam tamquam creaturarum omnium finem ac possessorem de rubro limo terrae hujus agri finxit et insufflavit in faciem ejus spiraculum vitae et factus est homo ad imaginem et similitudinem Dei. Qui cum staret nudus coram Deo in loco suae plasmationis, confestim elevatis manibus gratias egit, dicens: Manus tuae, Domine, fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu, itaque memento mei, quod sicut lutum feceris me et sicut lac mulsisti me et sicut caseum me coagulasti, pelle et crinibus fecisti me, ossibus et nervis compegisti me, vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodiat quaeso spiritum meum. Adam itaque creato, viro utique insigni et perpulchro, quem nonnulli autumant ingentem gigantem fuisse factum, cum inter gigantes connumeretur maximus, Josuae XIV., mox eum Deus tanta profudit gratia, ut nullo tradente magistro sed sola justitiae originalis virtute omnium liberalium artium clarissime edoctus est; notitiam quippe omnimodam astrologiae et geometriae, musicae, grammaticae atque rhetoricae habere promeruit, omnium quoque herbarum, arborum, metallorum, lapidum pretiosorum, avium, bestiarum, piscium, serpentum cunctarumque creaturarum notitiam habuit; claram praeterea et explicatam beatae Trinitatis et incarnationis Christi solus habere meruit. Unde et Dominus ipsum mundi imperatorem summumque omnium pontificem constituit; volens denique Dominus Deus universis coeli et terrae creaturis Adam ipsum ut suum recognoscere dominum atque rerum omnium proprietates virtutesque innotescere, universae coeli militiae mandavit, ut omnes creaturas ad Adam perduceret, quibus singulis propria imponeret nomina, ac sic singulis stellis coeli

avibusque et piscibus cunctisque animantibus et reptilibus terrae convenientia imposuit nomina in hoc agro. In imaginaria quoque visione universae immobiles creaturae, videlicet montes, insulae, maria, arbores et omnes herbae sibi adductae sunt, et itidem fecit. Sic ergo in hoc agro non solum plasmatus est primus homo, sed et primus doctor et perfectissimus magister ibi creatus exstitit. Non dubium alicui debet esse, quin ager ille et locus ac terra sit optime humanae vitae proportionata, non enim Deus dominum terrae creavit et assumsit nisi de optima terrae parte. Unde Plato dicit, quod in Aegypto et Syria, cujus Judaea pars est, longaevae vitae inveniantur homines propter aequalitatis proportionem. Adam vero sic omnium creaturarum rege et imperatore constituto mox eodem die eum Dominus de loco suae sarcinationis et informationis transtulit in paradisum deliciarum ibique sibi sociam Evam ex sua costa fabricavit. Sed peccato inobedientiae eodem die ibi commisso ejecti sunt ambo de paradiso et retrusi cum originali culpa et miseriis ac poenis eam consequentibus in hunc agrum, ut ubi inceperat habere vitam gloriosam, ibi duceret vitam calamitosam. Malus enim Angelus, cui nomen est Reseph, in serpentis figura seduxit Evam invidia ductus, qui et Dominum Jesum in deserto aggressus tentavit, ut habetur in Spec. Nat. L. II. c. 18. et per Evam Adam dejecit. (7a) Sic ergo ceciderunt de alto in imum, de luce ad tenebras, de incolatu in exilium, de domo ad devium, de amore in odium, de risu in luctum, de pace in jurgium, de dulcore ad absinthium, de prosperitate ad poenilitatem, de sospitate ad infirmitatem, de abundantia ad penuriam, de gratia ad culpam, de vita ad mortem, et facti sunt undique fortunae ludibrium propter inobedientiae viam, quod utique est radix omnium malorum et humani generis exitium; per hoc enim quasi reseratis postibus victricia vitia orbem intravere terrarum, nuda egestas et sollicitudines anxiae, pallentes morbi et gravis pondere miseranda senectus, servitus, exilium, labor indeficiens et mors hominum incerta et in nihilum fere redigens cuncta sub sole nascentia. Nam coelum immite nunc algore nunc aestu, nunc corruscationes crebras, tonitrua formidulosa, ignita fulmina et

ventorum impetus et alias horridas aeris impressiones et corruptiones tribuit inobedientiae malum, hinc pestilentiae, fames, infirmitates et indicibiles miseriae; insuper ferarum, serpentum aviumque aculeos atque rabiem milleque rerum pericula attulit. Unde suspiria lachrimaeque, noctes querulosae et dies laboriosae, horae taediosae, et cuncta hominis tempora anxio timore sunt respersa. Haec et similia in hoc agro materiam copiosam ministrant contemplandi.

Igitur contemplatione finita curiosius locum et terram perspeximus. Est enim terra superius satis grossa et fusca, sed fodiendo apparet rubra, argillosa, flexibilis, de qua figmenta optime fieri possunt. De hac ergo terra sumsimus limum et lapillos pro reliquiis. Dicitur autem, quod, quicumque de illa terra secum aliquid habet, per viam eundo non fatigatur; si bestiae insidet, ipsa non offendit, nec cadit; si vero homo vel bestia cadit, non laeditur casu sed incolumis resurgit. An autem hoc verum sit, probet qui vult, ego oculum non habui ad considerandum hoc, sed nec fatigam nec casum passus sum.

De spineto sive condensis arbustis, in quibus Abel occisus est a fratre suo Cain.

Consequenter processimus in ipso agro extra terram laboratam aratro et in condensa arbusta et spinosa virgulta venimus, in quibus locus ostenditur, ubi Cain consurrexit adversus fratrem suum Abel eumque interfecit, ut habetur Genes. IV. In illo loco procidimus et terram deosculati sumus, quae aperuit os suum et suscepit sanctum sanguinem de manu fratricidae. Sanctum enim et justum Abel fuisse patet in veteri Testamento Genes. IV. et in novo Testamento Matthaei XXIII. Compatiebamur in loco hoc non solum interfecto Abel, sed et venerandis ac devotis senibus, Adae et Evae fratrum parentibus, qui casum audientes ad locum accurrerunt. O quas mentes eis fuisse suspicor cernentibus, ex duobus filiis alterum alterius nequitia mactatum, cadaver exanime, immobile corpus tabido respersum cruore et insensibile? Quas lacrimas, quos dolores, quos horrores et pavores! prius

numquam viderant mortuum, et filium pium et sanctam respiciunt (b) miserabiliter exstinctum. Quis dubitet, eos super filii corpus cecidisse, flevisse et lachrimasse et multis horis exspectasse, si forte revivisceret, et nunc huc nunc illuc corpus evolvisse. Non enim habebant adhuc experimentum crudelitatis mortis nec animam tam cito et faciliter a corpore separari aestimabant. Ideo usque ad putrefactionem corporis funeri assidebant. Ut autem viderunt, corpus paulatim corrumpi et dissolvi, ipsum in locum portaverunt plasmationis patris et ibi eum sepulturae tradiderunt.

De specu, in qua Adam et Eva multis annis cohabitaverunt et in qua Adam uxorem cognovit primo.

Super agrum ad meridiem est mons non magnae altitudinis, in cujus jugo hodie stat una muschea, quae in loco stare creditur, in quo Adam et Eva et filii eorum obtulerunt sacrificia et orationes Deo. Adam enim docuerat filios offerre Deo et adorare eum. In eodem loco, dum Cain et Abel simul adorarent et sacrificarent, descendit ignis de coelo et consumsit holocaustum Abel, oblationem autem Cain non tetigit, quia Deo non erat accepta sicut munera fratris. Ideo invidit fratri et postea occidit eum. Insuper in eodem loco habuit Abraham patriarcha mausoleum suum et ibi altare erexerat, de quo dicitur Genes. XIII. in fine capituli: Vidit etiam ibi tres viros et unum adoravit, ut habetur Genes. XVIII. In alia enim parte montis est convallis Mambre, quae jungitur valli Ebron, propter quod convallis dicitur. Et haec conjunctio fit juxta civitatem Ebron, et in illa convalle habitavit, quando tres viros vidit in ostio tabernaculi sui et quando promissiones accepit a Deo, de quibus Genes. XV. et XVII. habetur. Sed quando immolare voluit, montem ascendit. Isaac etiam et Jacob patriarchae ibi habitavere. Demum a loco necis Abel reversi sumus in agrum Damascenum et per maceriam in parte occidentali egressi sumus ex eo et ad aliam partem vallis Hebron venimus et clivum montis ascendimus, in quo clivo unum antrum arctum et obscurum invenimus, quem successive

ingressi sumus et locum cum jocunda admiratione vidimus. Dicunt etiam, quod Adam ejectus de paradiso et in agrum praedictum repositus, cum per aliquot dies in agro laborasset, incepit sentire carnis suae stimulos et in Evam amore et desiderio exardere; similiter et mulier ipsa tentata virum habere desideravit. Cum autem in ipso agro convenissent et amplexibus et osculis se provocarent in tantum, ut jam in opus procedere deliberassent, nolebant solis aspectu id agere et verecundabantur aspectum coeli et siderum, quia non erat adhuc homo super terram, nisi ipsi, qui eos inspicere posset, idcirco egressi sunt simul de agro circumeuntes et quaerentes locum aptum, occultum et obscurum pro solutione debiti, non enim habebant adhuc habitaculum aut domum. Venerunt ergo ad illum specum, in quo Adam accepit Evam eamque primo carnaliter cognovit, et ambo hic virginitatem perdiderunt, quam, si in paradiso mansissent, nec in conceptione nec in generatione prolis amisissent, nec in carnali illo actu deformitas immoderatae concupiscentiae fuisset, nam naturalia membra, ad hunc usum deputata, sicut inferiores vires, omnino subdita fuissent rationi, ut habetur 2. Summarum (S a) §. 20. Et Augustinus de Civitate Dei XIV. dicit: Absit ut suspicemur, non potuisse prolem fieri sine libidinis morbo, sed eo voluntatis nutu moverentur illa membra, quo caetera, sine ardoris illecebroso stimulo, cum tranquillitate animae et corporis. Haec ille. Quod autem integritas virginitatis mansisset cum illa generatione, patet per eundem Augustinum XIV. de Civitate Dei, dicentem: In illo statu nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus uxoris, ita enim poterat utero conjugis salva integritate foeminea genitale virile semen infundi et immitti, sicut nunc potest eadem integritate salva ex utero virginis fluxus menstrui cruoris emitti. Ut enim ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus foeminea viscera relaxaret, sic ad concupiscendum non libidinis appetitus, sed voluntatis usus naturam utramque conjungeret. Haec ille.

In praedicto igitur specu concepit et peperit. Deputaverunt enim specum illum ad actus conceptionis et generationis, et nullibi nisi ibi his vacabant. Quod est contra illos, qui omnia loca foedant; in quorum persona dicit sapiens,

Sapientiae 2.: Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Sic ergo in hoc specu Adam et Eva praeter Cain et Abel et Seth, quos Scriptura commemorat, alios XXX genuere filios. Methodius vero martyr centum eos genuisse commemorat filios in hoc antro, quod quasi pro nido pullificationis elegerant, indignum et inhonestum aestimantes, his vacare in locis publicis et communis habitationis; Et magno studio observabant locum illum, ne patens fieret et ne quis accessum eorum quovis modo percipere posset.

Perspecto igitur antro praefato egressi sumus et ab eo in clivo gyravimus contra aquilonem et cum hoc altius ascendimus montem et in aliam speluncam non modicam sed satis amplam venimus. In hac caverna Adam et Eva luxerunt centum annis filium suum Abel interfectum a Cain, et hodie cernuntur loca sessionis singulorum, et fons in eadem specu scaturit, de quo biberunt. Hic specus ideo dicitur specus fletuum. Hoc specu viso de monte descendimus in vallem angustam, quam nominant vallem lacrimarum. Dicunt enim, quod Adam et Eva communiter in hac valle morabantur et nongintos et XXX annos in ea vixerunt et ambo cunctis diebus propter inobedientiae reatum et paradisi ammissionem et justitiae originalis perditionem et posteritatis suae damnationem maximam et durissimam egerunt in valle hac poenitentiam. Quam ob rem non solum Dei misericordiam consecuti sunt, sed etiam prophetiae donum accipere meruerunt, unde et de Christi ecclesiaeque conjunctione, de diluvio futuro et de incendio per ignem judicii multa praedixerunt liberis suis ibique mortui sunt et in speluncam duplicem deportati, ut patebit. In hac valle est sepulchrum Loth, filii fratris Abrahae.

De spelunca duplici, quam emit Abraham in sepulturam sibi et suis.

De valle hac lacrimarum ascendimus et civitatem Hebron reingressi sumus et ante domum praefecti civitatis stetimus, juxta quam etiam multi Sarraceni senes consiliarii sedebant.

Desideravimus enim visitare et videre gloriosam illam speluncam duplicem, in qua sepulti sunt Adam et Eva, Abraham et Sara, Isaac et Rebecca, Jacob et Lea, quatuor isti sanctissimi patriarchae cum felicibus suis conjugibus, quam et Abraham emit quadringentis siclis argenti ab Ephor, ut habetur Geneseos XXIII., sed bene scivimus, quod non potuimus (b) habere aggressum ad speluncam sacram, nisi domini consentirent, quos etiam scivimus non consensum faciliter praebere, nisi forte victi precibus et muneribus, quia spelunca illa est intra muscheam unam, ad quam non permittunt nos intrare. Misimus ergo Trutschelmannum nostrum, Sabatithanco, magnum Calinum, cum aliquibus nobilibus peregrinis ad praefectum et ad dominos Sarracenos cum eo congregatos, et rogavimus, quatenus dignarentur nos intromittere ad speluncam sanctam, et quidquid in recompensam esset faciendum, hoc nobis insinuare deberent, et parati essemus, parere eorum imperio. Hanc petitionem cum Calinus noster obtulisset, interrogaverunt eum, an Jerosolymis in templum Domini, quod nominant Salomonis, intromissi fuissemus, et cum dixisset, quod non, dixerunt, nec nos intromittere ausi sumus eos in templum nostrum, quod non minoris, imo majoris sanctitatis reputatur ab omnibus Machumetistis, quam templum Jerosolymitanum. Si autem honorare volunt patriarchas in spelunca duplici, permittimus eis accedere ad gradus muscheae, et ibi adorent, sed nullatenus ascendant. Venit ergo Calinus et negativum responsum nobis portavit duxitque nos ad gradus templi, in quo spelunca duplex est, et adoravimus contra speluncam et vestigia sanctorum patriarcharum deosculati sumus et indulgentias plenariae remissionis (††) accepimus. His peractis convertimus nos ad considerationem loci, pro quo notandum, quod tempore Abrahae civitas Hebron non erat in illo loco, sed prope, et locus ille erat hortus, in quo eminebat petra rubea cum duplici spelunca. Hunc locum emit Abraham cum petra, pro sui sepultura et suorum. Et si vis scire, quid sit cum simplici vel duplici vel triplici spelunca, vide de hoc clare P. 1. Fol. 125. B. de sepulchro Domini in Jerusalem. Sepultis autem quatuor patriarchis cum conjugibus in spelunca illa, incepit populus frequentare locum et per circuitum sibi domos aedificare

propter loci venerationem et ad sanctos patriarchas devotionem, ita quod successu temporis civitas fuit ibi facta, et Hebron antiqua derelicta ante tempora David regis. David enim rex VII annis regnavit in Hebron moderna. Insuper Judaei petrae speluncae superaedificaverunt oratorium et postea Christiani destructo oratorio Judaeorum ecclesiam magnam superaedificaverunt, ordinantes in ea episcopum et canonicos. Post terrae sanctae autem amissionem fecerunt Sarraceni ex ecclesia muscheam et altis muris et turribus eam muniverunt, et ita hodie stat in civitatis medio, sicut forte castrum, nec habet aspectum ecclesiae, sed castri vel grandis palatii. Dixerunt autem nobis Sarraceni, quod ipsa muschea plena sit ardentibus lampadibus, et lampades in spelunca duplici in aureis sustentaculis pendent et sericis funibus vel argenteis catenulis appendent. Plures sacerdotes sunt in ea muschea tam Soqui quam Alhages, ita quod numquam hora transit nec die nec nocte, in qua non sit cantus juxta speluncam duplicem: vicissem enim sibi invicem succedunt. Dum autem sic staremus ad gradus muscheae, congregati fuerunt multi juvenes et senes ad videndum nos.

(9a) De hospitali Hebron et de piscina Hebron et aliis locis.

Post muscheae et duplicis speluncae considerationem descendimus paululum et ad fores hospitalis pauperum venimus, quod sub muschea est. Introducti autem vidimus officinas pulchras et in coquina et pistoria grandem praeparationem pro peregrinis Sarracenorum, quorum cottidie magna multitudo advenit ad visitandam speluncam duplicem, sepulchrum patriarcharum. Habet hoc hospitale in annuis reditibus ultra XXIIII millia ducatorum. Unde singulis diebus coquuntur in clibano mille ducenti panes, qui distribuuntur petentibus, et nulli peregrino denegatur eleemosyna, sit cuiuscumque gentis vel fidei et sectae. Qui petit, accipit panem, oleum et menestrum, quod nos pulmentum vocamus. Castellum S. Samuelis solum singulis annis solvit illi hospitali duo millia ducatos, et Sarraceni et Turci divites cottidie transmittunt ad locum

leemosynas pro sustentatione peregrinorum in honore patriarcharum, et divites morituri suas perpetuas memorias ad illum ocum constituunt et legata faciunt pro hospitali. In hora utem, qua danda est eleemosyna, concrepant terribili symhonia et tympano, quod nos audientes territi fuimus, timens, ne aliquid contra nos significaret sonus ille. In distribuone panum miserunt ad diversorium nostrum sportam plenam ro nobis, et tamen nihil petieramus ab eis.

Viso ergo hospitali descendimus per longum vicum et l unam civitatis portam venimus, sub qua porta locus est, bi Joab, princeps militiae David, percussit Abner, principem ilitiae Saulis, propter quod David imprecatus est Joab maleictionem, ut patet 2 Reg. 3. Ulterius progressi sumus extra ortam et ad piscinam venimus, quae muro pulchro inclusa st, et aquam recipit fluentem de valle Mambre stillantem. lanc piscinam gyravimus et eam consideravimus, quia in anonica Scriptura de ea mentio fit 2. Reg. XIV. Jussit enim avid occidi duos latrones, Banaa et Rechab, filios Remon eronitae, qui occiderant Isboseth regem Israel et tulerant aput regis in Hebron ad David, putantes, se nuntiare bona, t occisorum manus et pedes jussit suspendi super piscinam nte Hebron. Porro inter piscinam et civitatis murum est sepulchrum Abner, cujus exsequias solenniter celebravit David, t dicitur 2. Reg. 3. In quo sepulchro etiam reconditum fuit caut Isboseth, filii Saul, regis Israel, ut dicitur 2. Reg. IV. Et is visis ingressi sumus in civitatem et reducti in nostrum iversorium et hospitium. Comparavimus ergo ligna et igne icto offam coximus et ova et manducavimus. Post coenam utem venit provisor diversorii et ignem nostrum exstinxit t signis hortabatur nos, ut per noctem essemus quieti et sintes, ne latrones Arabum nos audirent, quia diversorium ad urum civitatis est situm, et aliquando latrones, quando sciat ibi esse hospites, adscendunt per murum ad eos et spoa eorum tollunt (b) eosque graviter turbant. Insuper et ortam diversorii firmiter clausit et lampadem juxtapendentem scendit et ad vigilandum juxta portam se locavit, quae omnia obis placuerant, et mirabamur humanitatem illorum paganorum nos. Timorem tamen habuimus, quod ante egressum

civitatis nos pro exhibita humanitate pecunia mulctarent. Itaque cum jam tenebrae essent, posuimus nos dormitum per cellas sicut monachi, et ita quievimus.

Descriptio civitatis Ebron, et ejus antiquissima habitudo.

Hebron, sive Ericus, civitas antiquissima, est condita statim post diluvium, septem annis ante Thanim urbem Aegypti, ut habetur 13. Num. Hanc urbem Thanim condiderunt Titani, gigantes, qui de Hebron in Aegyptum descenderant, filii Titan. Qui Titan erat Coeli et Vestae filius, frater Saturni, cujus filii cum Jove pugnarunt et conati sunt, deos coelo pellere, sed fulminati fuerunt, ut habetur in Gen., et fere totum orbem inquietarunt, ut poetarum carmina tradunt.

Thanim ergo civitas gigantum antiqua Aegypti aedificata est a gigantibus, descendentibus de Hebron. Haec Hebron quatuor sortita est nomina. Primo dicta est Arbee, Genes. 23. et hoc nomen habet ab Arbee, ejus conditore primo. Secundo dicitur Kariatharbe, Josuae XIV., quod idem est, quam civitas Arbe, vel civitas quatuor, quia Kariath idem est, quod civitas, et Arbe idem, quod quatuor. Et nomen, quod antiquitus Hebron ab omnibus tam infidelibus quam fidelibus dicebatur Cariatharbe, id est, civitas quatuor, sed alia et alia ratione. Infideles sic eam nominabant propter quatuor gigantes ibi sepultos, scilicet Enach, Archinan, Gisai et Tholmai, Numeror. 13. Fideles autem eam ita nominabant propter quatuor patriarchas, Adam, Abraham, Isaac et Jacob, cum quatuor conjugibus ibi sepultos. Tertio dicitur Hebron a quodam filio Caleb sic nominato. Quarto nominatur hodie a Sarracenis Abra propter Abraham ibi sepultum. Et magister in Spec. Histor. nominat eam Abrahammium, sicut Sarra; et saepe dicitur Ericus.

De hac civitate dicit Hieronymus de distantiis locorum, quod olim erat metropolis Philistinorum et habitaculum gigantum regumque in tribu Juda, civitas sacerdotalis et fugitivorum. Distat ad meridianam plagam ab Jerusalem millibus circiter XXII. Haec ille. Hanc civitatem, quoad partem inferiorem, cepit Josua ejusque regem Oham suspendit,

Josuae X., partem autem fortiorem, quae erat superior, cepit postea Caleb interfectis fortissimis gigantibus ex ea, ut habetur Josuae XV. et Judicum C. I. Pro eo enim, quod Caleb compescuit in deserto murmurantem populum contra Dominum et secutus est Dominum, testimonium perhibens de bonitate terrae sanctae, cui alii detraxerunt, promisit ei Dominus montem Hebron tamquam praecipuam terrae partem, ut habetur Num. XIII. et Josuae XIV. Dicit etiam Nicolaus Lyra, quod, quando venerunt exploratores terrae missi a Mose in regionem, ipse Caleb solus Hebron ascendit ad speluncam duplicem et orationem ad sanctos patriarchas fudit et tunc promeruit fieri loci illius sancti possessor.

Situs illius civitatis est partim in clivo montis et partim in valle, nec est multum magna, sed populosa et fortis, statim post diluvium aedificata in civitatem; quamvis ante diluvium fuerit ibi hominum habitatio sine civitate, tamen ibi filii Adae degebant et inde per orbem sunt dispersi, unde Cain fratre interfecto cum uxoribus et filiis in Indiam commigravit profugus a facie Domini.

(10 a) Notandum insuper, quod haec civitas ultra ea, quae dicta sunt, pluribus invenitur nominibus nominata. Quandoque dicitur Arbee, i. e. quatuor, propter gigantes ibi sepultos, corrupte autem dicitur Arbeth, ut Jeronymus ad Pammachum dicit de optimo genere interpretandi; quandoque Cariatharbe, i. e. civitas quatuor, propter quatuor patriarchas ibi tumulatos. Quandoque dicitur Mambre, propter vallem Mambre, quae jungitur civitati, et propter quercum Araham in Mambre, quae usque ad aetatem infantiae beat Jeronymi, ut idem dicit de distantiis locorum, et usque ad imperium Constantii regis monstrabatur, therebintus pervetus et annos magnitudine indicans, sub qua habitavit Abraham et sub ea angelos hospitio suscepit et mauseolum ejus in praesentiarum cernitur. Miro autem, inquit Jeronymus, cultu a cunctis gentibus per circuitum therebinti locus colitur superstitiose et habetur velut quodam insigni nomine consecrata. Et forte hoc nomen Mambre fuit primum illius loci nomen ab Adam sibi impositum, quia Mambre juxta hebraicam interpretationem idem est, quod perspicuitas. Adam

autem in hoc loco, ut prius patuit, omnium rerum cognitionem accepit et cuncta perspicue vidit. Quandoque vero nominatur Chebron, quod interpretatur transscendens, quia ab eo loco transcendit Adam ad paradisum. Quandoque nominatur Ebron, quod interpretatur transitio vel regressio, quia post peccatum huc fuit regressus. Quandoque dicitur Hebron, quod idem est, quod vallis paupercula, propter miserias, quas Adam in hoc loco expertus est, et defectus hujus vitae mortalis.

Vicesima octava die, quae est festum beati patris nostri Augustini, post noctis medium surrexi ex more ante alios ad dicendum Officium meum. Descendi ergo ad portam, ut candelam accenderem ad lampadem, quae ibidem pendebat, sed Sarracenus portae custos obstitit meque a lampade retrusit cum multis et magnis clamoribus, e contra vero ego ad lampadem conabar accedere et lumen accendere, sed totiens mihi exstinxit, quotiens accendi, et ambo conclamavimus in tantum, quod Trutschelmannus excitatus accurrit et me italicis verbis increpavit, quare non in quiete manerem et quid tam mane cum lumine agere vellem. Cui cum dicerem, Deum laudare volo, cujus laudes ex libro legere intendo, hoc cum Sarracenus ille audivisset, praecepit custodi, ut accenderet mihi lumen. Quod et fecit. Certus autem sum, si lumen ad alium usum postulassem quemcumque, nullatenus habere potuissem. Accepto ergo lumine ad locum meum ascendi et Officium legi. Vix autem matutinas finieram, ascendit Trutschelmannus Calinus et caeteros peregrinos excitavit, ut disponerent se ad recessum. Disposuimus ergo nos et camelis oneratis et asinis stratis de urbe in crepusculo egressi sumus descendentes per vallem Ebron contra austrum, aliquantulum tamen declinando ad occidentem. In agrum autem quendam venimus, in quo deambulabat Isaac meditando quando Damascus, servus Abrahae, adduxit sibi Rebeccam puellam uxorem, ut habetur Geneseos XXIV.

Procedentes consequenter venimus non longe a Dabir civitate litterarum, quam tamen videre non poteramus, quia mons intermedius erat impedimentum praestans (b). De hac civitate habetur Josuae XV. et Judicum I.

Dicebatur autem civitas litterarum eo, quod primo litterae Chananaeorum in ea fuerunt inventae, vel quia antiqui gigantes aliquod studium litterarum ibi habebant, vel quia, ut magister in Spec. Histor. dicit, cives ejus scriptores erant, vel quia, ut Hebraei dicunt, Othaniel, qui eam cepit, aliqua legis capitula, quae obfuscata erant et deleta, tempore luctus Moysis ibidem reparavit. De hac civitate dicit Jeronymus de distantiis locorum: Dabir in tribu Juda, quae vocatur civitas litterarum, hanc praeoccupavit Othaniel, frater Caleph, interfectis ex ea gigantibus, et pro mercede Achsam, filiam Caleph, uxorem accepit. Fuit autem et ipsa Dabir sacerdotibus separata. Ibi videtur adhuc terra, quae inferius et superius aquis irrigatur, quam dedit Caleph Achsae suae, sibi conquerenti, quod terram arentem accepisset, ut habetur Judicum 1. cap.

Ulterius a Kariacepher sive a Dabir recessimus et per vallem Ebron descendimus, quae indubie fertilissima esset, si cultivaretur, et ab utraque parte antiquorum hortorum macerias adhuc retinet, et in arbustis vidimus diversas feras comestibiles et aves perdices et phasantos. Cumque per viam satis longam descendissemus, ad locum venimus, ubi ab aquilone alia vallis contra occidentem tendit, quod est vallis Neel Escol, id est, vallis botri, fertilissima, de qua exploratores missi a Moyse ad considerandum terram tulerunt botrum magnum, quem duo viri vecte portabant, et malogranata collegerunt et alios fructus et populo Israel trans Jordanem in desertum portaverunt, prout habetur Num. 13. Hac valle dimissa per vallem Ebron descensum continuavimus via illa, per quam Joseph missus a Jacob patre suo de valle Ebron in Sichem ad quaerendum fratres suos, ut habetur Genes. 37. Eadem etiam via descenderunt fratres Joseph in Aegyptum ad emendum frumenta, Genes. 42. In silvis ejusdem vallis, quia plenae sunt silvestribus feris, creditur Esau venationi vacasse, quando eum misit Isaac pater suus, ut offerret de venatione et pulmentum faceret, quatenus benedictionem paternam accipere mereretur, Genes. 27. Multis ergo horis continue descendimus ad latus dextrum vallis, quia profunda erat et arcta et in imo aspera, petrosa

et silvestribus arboribus repleta, et contra morem illius terrae aquis erat humida.

Porro circa meridiem exivimus montana et in campestria loca venimus, vertimusque nos contra austrum statim in radicibus montium et in fertilissimos agros venimus, qui pleni stabant olivis et ficis. Petivimus autem Trutschelmannum nostrum, ut spatium manducandi indulgeret nobis in umbra arborum illarum, sed noluit dicens, quod cameli onerati ideo non deberent exonerari, nec possent sic onerati fixe stare nec sine nobis deberent procedere. Et hoc verum fuit. Sic ergo processimus et in asinis sedentes comedimus et bibimus ea, quae ad manum habuimus. Sic enim omnes cum oneratis camelis incedentes facere (11 a) necesse est, quia stare fixe non possunt sub oneribus, sicut melius patebit in transitu deserti. Circa vesperas a montanis declinavimus paulatim et in latissimos campos Palaestinae venimus in terram Philistinorum contra Ezotum. Protenditur autem haec latitudo in latum a montanis usque ad mare mediterraneum per tria milliaria teutonica, per longum autem a Joppen et monte Ephraim usque in regionem Geraram in Bersabee, et in illa planitie sunt civitates sitae multae, praecipue tamen quinque, quae erant regales et principales Philistinorum sive Palaestinorum, quarum nomina sunt haec: Geth, Accaron, Azotus, Ascalon et Gaza. In his quinque civitatibus residebant quinque satrapae Philistinorum, ut patet 1. Reg. VI. Et omnes hae civitates sunt sitae super littus maris magni vel non longe a mari.

Geth fuit ab antiquo civitas gigantum fortium, quam Josua, vir bellicosissimus, expugnare non potuit, sicut patet Josuae XI. Unde et Goliath, quem percussit David, Gethaeus fuit, ut patet 1. Reg. XVII. Et 2. Reg. 21. recitatur de uno Gethaeo magno, quod habuit XXIV digitos; et multa alia dicuntur de Geth in scriptura sacra.

Dicunt etiam historiae, quod sanctus Christophorus fuerit Gethaeus. Et hodie homines ibi nati robustiores et bellicosiores esse dicuntur. Dudum autem fuit destructa et mansit parvum villagium, quod Giblim nunc dicitur, et non longe a Joppen et jam via maris [a] portubus distat. Sub Geth descendendo per littus maris magni ad duo milliaria teutonica

est secunda Philistinorum civitas Acharon quondam grandis, in qua magnum erat templum Baal sive Beelzebub, qui dicebatur Deus Acharon, unde Ochozias rex Israel cum cecidisset per cancellos coenaculi sui, misit ad consulendum Deum Acharon, Beelzebub, ut habetur 4. Reg. 1. Et Judaei dominum Jesum infamabant, quod haberet pactum cum eodem daemone, dicentes: in Beelzebub principe daemoniorum ejicit daemonia, Luc. XI. Haec civitas fuit data tribui Juda, sed numquam possessa, quia non praevalebant contra ejus habitatores gigantes. Ulterius descendendo per maris littus venitur ad Azotum, quae tertia est Philistinorum civitas, decreta quidem per Josuam tribui Judae, sed non tenta, quia habitatores pristinos nequivit expellere. In hac civitate erat templum Dagon magnum, in quod tulerunt Philistaei arcam Dei Israel, cum eam cepissent, sed Dagon idolum corruit et populus percussus plaga magna fuit, ut patet 1. Reg. V. De hac civitate descendendo super maris littus venitur ad quartam Philistinorum urbem, ad Ascalonem, de qua Jeronymus de distantiis locorum dicit: Ascalon urbs nobilis Palaestinae, quae antiquitus fuit una de quinque satrapis Philistinorum, separata tribui Juda per sortem, tamen non retenta (b) ab ea, quia habitatores ejus superare non potuit. Haec civitas novissimo tempore magnae fortitudinis fuit. Nam Saladinus rex Aegypti, Christianorum stimulus, vir utique bellicosissimus, cum passim Christianos devinceret et de locis ejiceret jamque regem Jerusalem Guidonem et magistrum templi cum nobilibus captivasset, applicuit Ascalonem cum ingenti exercitu oppugnans civitatem, sed nihil profecit. Solvit ergo obsidionem et ad Jerusalem civitatem sanctam ascendit eamque cepit, ut dictum est P. 1. Fol. 268. Capta autem Jerosolyma iterum descendit et Ascalonem obsedit, nec eam capere potuit nisi hac conditione, si regem Jerusalem et magistrum templi cum eorum nobilibus liberos abire permitteret, se sponte civitatem tradere vellent, quod promisit et tenuit, sicque Ascalonem accepit.

De hac civitate consequenter descendendo per littus maris venitur ad quintam civitatem Philistinorum, quae dicitur Gaza, vel Gazara, ad quam et nos ipsi in hac via festinavimus descendere, quatuor iam dictas civitates derelinquentes ad partem

dexteram. Hanc Gazam postea describam. Istae ergo sunt quinque metropoles illius regionis Palaestinae, plures alias civitates sub se habentes. Processimus ergo per plana Palaestinae contra austrum et montana Judaeae ad sinistram habuimus, mare vero mediterraneum in dextro latere, et ita toto die in ardoribus solis itineravimus usque ad ejus declinationem. In occasu solis venimus ad quandam villam, quae dicitur Zucharia, et in diversorium, quod ante villam est, declinavimus et ibi bestias exoneravimus et ad manendum ibi per noctem nos disposuimus. Erat autem diversorium spatiosum cum pluribus stabulis et habitaculis et munitum et muratum, quasi castrum, nec unum hominem in eo reperimus. Locatis igitur bestiis et rebus compositis instruximus pro coena et pro liguis colligendis per campos discurrimus et sepes agrorum et hortorum discerpsimus, quapropter rustici Sarraceni accurrentes cum lapidibus insequebantur nos usque in diversorium. Venerunt autem aliqui rustici portantes pullos et gallinas et panem et aquam, de quibus emimus et mactata volatilia coximus et jocundam et bonam coenam habuimus. Post coenam ostium diversorii obstruximus advolventes saxa grandia et super muros posuimus custodes propter timores nocturnos: timuimus enim, ne forte alius exercitus etiam veniret et si fortior nobis fuisset, nos de diversorio repulisset. Sic enim moris est illius patriae, quod fortior de hospitio ejicit debiliorem; ideo ad defendendum nos disposuimus et lapides multos super muros portavimus ad obsistendum nocentibus. Adhaerebat nostro diversorio una muschea pulchra, in quam per foramina testudinis potuimus prospicere, (12 a) unde quidam peregrinus nocte per foramen in eam stercorizavit, cum quo nos in extremum periculum posuit, tamen antequam quis muscheam intraret, nos recesseramus. Prope etiam erat quaedam cisterna profundissima, de qua magno labore bona extrahebatur aqua. Pretiosae sunt in istis locis cisternae et aqua brevis et cara. Unde S. patriarchae Abraham, Isaac et Jacob leguntur plures fodisse puteos, et litigia inter reges orta fuisse propter puteos, ut patet Genes. 26. Igitur nocte ingruente posuimus nos dormitum suppra muri ambitum sub dio, quia cellulae erant immundae.

De Sicelech, oppido David, et caetera.

Die XXIX. cum surgente aurora surreximus et oneratis camelis et stratis asinis profecti sumus per terram planam et sterilem et multas villas vidimus et antiquarum civitatum ruinas. In meridie venimus in regionem collibus et monticulis tumorosam, inter quos mons satis altus super alios elevabatur ad continendum castellum et fortalitium optime dispositus, unde nobiles nostri dicebant, si essent, inquiunt, homines bellicosi in hac terra, nequaquam montem hunc sine castro esse sinerent. Cum autem venissemus ad montis radices et sursum aspiceremus, videbatur nobis, quod in clivo montis lapides de ruinis murorum jacerent. Ego ergo cum quibusdam aliis, asinis inferius dimissis, montem festine ascendimus usque in ejus cacumen, quod quidem cacumen spatiosum est, et reliquias ac ruinas fortium murorum ibi invenimus, non castri, sed civitatis antiquae, siquidem civitas Sicelech quondam ibi stetit, quae Philistinorum erat, quam tradidit Achis, rex Geth, David, dum esset in fuga a facie Saul, ut patet 1. Reg. 27., et ibidem cap. 30. plura dicuntur de Sicelech. De hac civitate dicit Jeronymus de distantiis locorum, quod Sicelech est in Daroma, id est ad australem plagam sortis Judae et Simeonis. Quod est locus ille. In illo ergo monte stetimus et longe lateque per Palaestinam respoximus contra mare magnum et contra montana Hebron, contra montem Ephraim et contra desertum Aegypti, ad quatuor plagas coeli. Vidimus etiam Gazam civitatem, quamvis adhuc longe esset a nobis. His compertis a Sicelech recessimus contra Gazam descendentes, a longe autem vidimus exercitum camelorum et asinorum contra nos properantem et exterriti sumus existimantes, eos esse Arabes vel Madianitas raptores, unde ductores arcus suos parabant et nobiles peregrini gladios aptabant. Sed cum convenissemus, pertransierunt cum omni tranquillitate nos, nec digitum contra nos moverunt. Erant enim Aegyptii et volebant ire in Jerusalem ad adorandum in templo juxta morem Sarracenorum.

Porro circa horam vespertinam prope Gazam vel Gazaram venimus, sed urbem ingredi non praesumsimus ita manifeste,

ne contumeliis afficeremur et pueri Sarracenorum nos vexarent cum lapidibus et ne rumperent nobis (b) vini vascula, sicut saepe contigisse ibi audivimus. Declinavimus ergo a strata publica in agrum quendam arboribus ficorum plenum et sub arboribus illis onera de bestiis posuimus, ut ibi diei abscessum exspectaremus. In illo agro consedimus et comedimus ac bibimus, quae ad manum habuimus, nec ignem accendere ausi fuimus, ut aliquid calefactum gustaremus, sed caseum et panem pro prandio sumsimus et ficus, quarum copia ibi erat, maturae et dulces, de arboribus legimus; de quibus ego nimium comedi et poenam non modicam reportavi, nam ex comestione illa utrumque labium oris mei subito intumuit et scabies abominabilis per circuitum oris excrevit, ac si leprae scabies fuisset, ita, quod vix os aperire potui etiam modicum ad sumendum cibum et potum necessarium; et ita steti multis diebus in multa passione. Dixerunt mihi quidam experti, quod ex comestione tantarum ficuum febrilem materiam conceperim et humorem, qui ad labia se contraxit; quod si factum non fuisset, gravi febre correptus fuissem. Ego vero suspicabar, quod ficum veneno alicujus vermis infectam comedissem. Igitur cum sol occidisset, onera camelis et asinis imposuimus, et ad Gazam profecti sumus, et paene in tenebris urbem ingressi sumus per longum vicum usque ad peregrinorum hospitium. In quod cum ingressi fuissemus, non potuimus nos movere propter loci arctitudinem, nec potuit locus homines capere sine supellectili. Cum magna ergo indignatione de habitatione exivimus et Trutschelmanno diximus, quod non vellemus nec possemus in loco illo manere, et nisi provideat nobis de latiori loco, contra eum coram praefecto Gazarae interpellare vellemus tamquam contra transgressorem promissae fidei in quinto articulo conventionis, ut patet P. 1. fol. 219. Hoc cum audivisset et diu nobiscum contendisset, jussit nos exspectare, et ipse equitavit per civitatem hinc inde quaerens pro nobis locum. Stetimus ergo diu sic in tenebris compressi in stricto vico inter asinos et camelos cum parva patientia in multo timore et tremore, ne forte aliquis tumultus contra nos emergeret. Tandem autem venit Trutschelmannus et nos longe ab illa domo ad alium duxit locum, ubi quidem

non erat domus, sed curia muro circumdata, et ostio claudi poterat, nec tectum, sub quo dormiremus, habebat, sed in latere duas immundissimas cellulas, stercoribus humanis foedatas habebat, ipsum autem curiae pavimentum limo, parato pro lateribus coquendis, opertum erat. Accensis ergo luminibus camelos in vico prostravimus eosque et asinos exoneravimus, et bestias omnes suis dominis resignavimus, omnia autem nostra traximus in curiam et de ea ejecimus omnes camelarios et asinarios nostros, retento tantum Elphahallo minore Calino, et ostium cum lapidibus et repagulis obstruximus contra impetum Sarracenorum, quo facto ignem accendimus et offam coximus, ut tamen aliquid coctum et calidum in ventribus haberemus, non enim quidquam calidum hoc toto die gustaveramus. Comestione breviter peracta ad quietem nos locavimus in longum quoddam praesepe, quod (13 a) caemento et lapidibus ad longitudinem curiae ad parietem erat factum; alii autem, qui in praesepio locum habere non poterant, aliâs per curiam se locabant, et ita sub dio dormivimus nocte illa in rore coeli.

De licentia obtenta a praefecto manendi in Gaza.

Tricesima die, cum sol adscendisset, surreximus, et antequam ostium curiae patefecimus, res nostras omnes comportavimus in unam camerulam miserrimam et divisimus curiam in tres partes, secundum quod habebamus tres societates, ut patet P. 1. Fol. 221. B., ita, quod quaelibet societas seorsum locum haberet. Fecimus autem umbracula cum vestimentis nostris contra solis fervorem et contra noctis frigus et rorem, quousque Trutschelmannus disposuit nobis papiliones, quibus per desertum uteremur, et illas in curia fiximus et ereximus et sub eis habitavimus. Emimus insuper in civitate alia nobis necessaria pro diebus, quibus mansuri eramus; scivimus enim, nos ibi mansuros non paucis diebus. Facto prandio transivimus cum Trutschelmanno ad civitatis praefectum et petivimus licentiam manendi per aliquot dies in Gaza et ut possemus circuire et emere necessaria pro peregrinatione deserti et visitare loca et videre urbem et intrare aestuaria. Quae omnia

nobis indulsit et benivole valde se ad nos habuit, quamvis ethnicus esset. His itaque gestis in nostram curiam regressi sumus cum Trutchelmanno rogantes eum, non diu sineret nos in ista civitate manere; quod facturum se promisit.

Graecorum malitia.

Die tricesima prima, quae est ultima Augusti et Dominica XIV. post festum S. Trinitatis, cum sol ortus esset et Officium nostrum matutinale dixissemus, deliberavimus, in quo loco Missam dominicalem dicere vel audire possemus. Non enim in tota urbe erat aliqua ecclesia latina, sed tantum una ecclesia graeca, quae prope nos erat. Accepimus ergo calicem nostrum, librum nostrum, indumenta sacerdotalia et altaris operimenta, quae omnia nobiscum tuleramus de Jerusalem, et simul cum istis paramentis ad ecclesiam Graecorum transivimus in ea Missam celebraturi, et accersitis ecclesiae illius sacerdotibus rogavimus humiliter, ut nos intromitterent et altare nobis ostenderent, in quo celebrare divina possemus. Sed ecce Graeci isti inveterato odio, quod semper ad ecclesiae latinae filios habuerunt, de novo infecti, denegaverunt nobis introitum ecclesiae suae et adeo vilipenderunt preces nostras, ac si Judaei fuissemus, dicentes, quod ecclesiam suam nollent profanari et execrari celebrationibus nostris, et cum indignatione et injuria suscepta satis patientes et tranquilli erant omnes peregrini et ita quodammodo confusi ad curiam nostram reversi sumus. Perspecto autem negotio illam Graecorum repulsam divinae pietati adscripsimus, quae non passa est nos celebrare in ecclesia schismatica et haeretica, ne eis in sacramentis participare contra ecclesiae catholicae jura videremur, ut patet XXIX. 9. 2. Schisma. Siquidem etc. Haeretici enim sunt, quia obstinati schismatici. Quorum doctrina Parte II. Tract. 3. Cap. Sed posterior in Sum. Anton.

(b) Spreti ergo sic a Graecis alium excogitavimus celebrandi divina modum, ut dominicis diebus privati non essemus. In angulum enim curiae cumulum lapidum impolitorum comportavimus et altare sine caemento ereximus et portatile supposuimus pallisque cooperuimus, per circuitum autem

funes circumduximus et tapetiis et linteaminibus appensis quasi capellam fecimus et ita accensis cereis et ostio curiae obserato Officium dominicale celebravimus cum pace, quiete et devotione. Et ut nullus intra Missarum solemnia ad ostium pulsaret, locavimus ante ostium Elphahallo Sarracenum, qui pulsare volentes prohibebat usque post Missam. Sicque singulis diebus sine impedimento celebravimus, demto impedimento vesparum; nam in pariete erat foramen prope altare, de quo exibant et intrabant vespae innumerabiles magnae quantitatis et celebrantem pisando circumvolabant, et si foramen obstruere volebamus, offendebantur et iratae alia foramina fecerunt, quia paries erat luteus et cum majori periculo et impetu et multitudine eruperunt. Conabamur multis modis exstirpare et exstinguere aviculas istas, sed non potuimus, nisi totum parietem deposuissemus. Et quamvis continue circumvolarent nos, nullus tamem aculeo alicujus punctus fuit.

Tres eramus sacerdotes, scilicet Pater Paulus, Ordinis Minorum, et dominus Johannes, archidiaconus Transsilvaniensis et Frater Felix Ordinis Praedicatorum et ita ordinavimus, quod quasi omni die Missam habuimus. Igitur Missa audita pransi sumus et post prandium factus est magnus ad nos concursus juvenum et puerorum. Quidam autem Sarracenus juvenis associavit se uni militi de sociis nostris et petivit ab eo flasconem suam vacuam, promittens ei, quod reportaret vino plenam. Miles flasconem tradidit, cum qua juvenis abiit; cum ammiratione autem juvenem exspectavimus, scientes, apud Sarracenos non esse vinum. Igitur juvenis ivit et nescio quo in loco vinum nomine nostro postulavit et obtinuit, mox autem, ut vinum accepit, gustavit et allectus ejus dulcedine totam flasconem ebibit, quasi duas mensuras Ulmenses, et inebriatus fuit et perdita ratione insanire coepit et per vicos cucurrit, clamans et cum lapidibus projiciens. Servi autem praefecti, missi ad capiendum eum, sequebantur furentem. Hoc cum vidisset, non fatuo consilio cucurrit ad curiam nostram, tamquam ad locum refugii et libertatis; si quidem statutum Soldani est, quod ubicumque morantur transmarini peregrini, ibi est asylum, i. e. locus refugii, nec potest refugiens inde tolli. Mansit ergo juvenis nobiscum usque ad vini digestionem. Praefectus

autem urbis misit ad nos et prohibuit, ne cuiquam ulterius Sarraceno vinum daremus et si amplius factum fuerit, vellet nos in captivitatem ponere et vinum nobis tollere. Putavit enim dominus ille, quod cum industria juvenem ebrium fecissemus, quod tamen non fuit. Valde magnum crimen est apud eos, dum quis manifeste deprehenditur vino (b) usus fuisse, sicut apud nos est, dum quis manifeste in adulterio invenitur. Ad unum autem vini haustum inebriantur et furunt, et prime in ipsum, qui potum praebuit.

Finit quintus tractatus.

Incipit tractatus sextus

per mensem Septembrem, continens acta peregrinorum in illo mense et loca sancta cum eorum descriptionibus, in quibus peregrini fuerunt diebus illius mensis.

September dum adesset cum prima sua die, Missam in nostro loco audivimus et post statim cibum sumsimus. Prandio finito advocavimus quendam Sarracenum et eum petivimus, ut nos ad loca duceret, in quibus Samson gesta fortia egerat, quae liber Judicum de eo in hac civitate facta commemorat. Descendimus ergo per longum vicum et intra urbem per plateam quandam venimus, in cujus parte ruinas magnae domus vel palatii vidimus, murorum fracturas in acervum ingentem congestas. Creduntur autem hae ruinae esse templi Dagon antiquissimi, quod Samson concussis columnis dejecit et se cum satrapis Philistinorum et multo populo peremit. De quo longa habetur historia Judicum XVI. Inter murorum ruinas vidimus duas columnas marmoreas, ingentes, grisei coloris, quae totum templi aedificium sustentaverant; has concutiens Samson templum evertit, et inimicos prostravit. Ab hoc loco consequenter progressi longa via ad civitatis portam venimus, ujus fores cum postibus et seris nocte media abstulit Samson, osque in montem civitati oppositum portavit et manus iniicorum, qui se in civitate concluserant, evasit. Per hanc ortam de urbe eximus et montem praedictum ascendimus d locum, in quem Samson portas Gazae transtulit, et ipsum ocum et totam circumferentiam consideravimus. Ibi vidimus ampnata, oppidum Philistinorum, de quo sibi Samson xorem Philistaeam assumsit et multa ibi fecit, ut dicitur Judicum 13. Vidimus etiam vallem fertilem Soreck, in qua inea illa electa fuit plantata, de qua habetur Esaiae XI. In ac valle residentiam habuit illa fallax Dalida, quae Samsonem

vicit, quem nemo vincere potuit, Judic. XVI. Vidimus etiam latissimos campos et agros et clivos ad frumentum et vinum ferendum aptissimos, in quos misit Samson trecentos vulpes, alligans ardentes faces ad caudas, et omnes segetes, vineas et ficulneas combussit. Vidimus etiam a tergo montes Israel et ante nos vidimus mare mediterraneum. Et his consideratis descendimus et per portam praedictam reingressi sumus.

Porro non longe a porta est una sarracenica muschea in eo loco, ubi tempore Samsonis erat hospitale adventantium, cujus domina erat meretrix. Ad quam ingressus Samson ibi dormivit et eadem nocte clauserunt Philistaei portas civitatis, ut Samsonem in crastinum caperent et interficerent, (b) sed ipse media nocte surrexit et portas asportavit, ut dictum est. His visitatis et visis reversi sumus in locum nostrum, ibique simul consedimus et querulosa tristitia contulimus de miserandis adversis Samsonis post tam ammiranda prospera. Per angelum quippe Domini praenuntiatus fuit et miraculose ex sterili matre progenitus, qui cum Nazaraeus esset, comam Dei jussu servans et sibi a sicera cavens et vino in floridam juventutem atque praevalidam et admirabilem cunctis excrevit. Cujus multiplicia insignia fortitudinis sacra Judicum prodit histeria. Unde judex summi magistratus apud Dei populum Israel constitutus est, nec defuerunt, qui leonem a se occisum Nemeum dicerent et Herculem arbitrarentur Samsonem; deinde etsi affirmem contradixisse nescio quid resultet. Sed quid tanta? Magna haec erant, imo permaxima ad gloriae apicem obtinendam, quam hac in vita felicitatem arbitramur, inscii, quod qui leonem in crinis strangulare, qui maxilla asini homines conterere, vi revulsas ex cardinibus valvas in montium vertices asportare potuerat, hic lubricum fortunae ludum sistere non potuit. Nam cum sibi nimium confideret et meretriculam Dalidam adamaret, a fictis ejus lacrimis et verbis blandis motus se decipiendum tradidit ferox. Unde dormienti crines, quas ipse a nativitate intactas servaverat, mulier abstulit et effoeminatum in manibus hostium illudendum concessit, cui effodere oculos et intrusere carceribus, defatigari jumentorum more ad molas manuarias coegere. Sic adversa credulitas, sic amantis

ietas, sic mulieris egit inclita fides, ut quem non poterant omines, non vincula, non ferrum vincere, a muliere vincerenur, ut agente fortuna, ubi hostibus suis terrori erat, verteretur in ludum. Grandis equidem, ni fallor, descensus iste, in uem vir illustris diductus fallacia mulieris. Avarissimum uippe animal est foemina, iracundum et infidele, libidinosum, ruculentum, vanis potius quam certis avidum. Si mentior, icta patent. Auro Dalida Samsonem tradidit hostibus. Eurudies [Euridices] cupiditate monilis Amphiaraum latitantem detexit. Danaë Jovem in aurum versum per tegulas affluentem adversus oemineam honestatem suscepit gremio. Phyllis amore Demohontis impatiens se suspendit. Scylla fervens libidine hostis atrem cum patria tradidit. Herculem Joles blanda seduxit, ta, ut se ipsum amplissimamque famam omnino oblivisceretur eque sic dilectae puellae jussibus obsequentem redderet, ut ortitudinis omnia argumenta deposita filans muliebre officium xerceret. Et qui duos fortissimos leones Nemeum et Theumeium superaverat, jam superatus puellae substratus silebat. Sic Aegyptia infatuavit Salomonem, Antonium Cleopatra, Medea poliavit patrem, fratrem proscripsit, propriis filiis non perperit; Progne non Iphim filium tantum occidit, sed coctum patri omedendum apposuit. Igitur ne plura referam, juvenes coeciue nos laqueis mulierum miserrimis inservimus, tam impio nimali, tam infido, tam inbenigno. Nec animo teneo, sic omnes sse perversas. Quis dubitet, quin in tam maxima multitudine eperiantur aliquae piae, modestae ac sanctissimae et dignisimae summa reverentia mulieres. Sino Christianas, ex (15 a) uibus plurimae grandi mentis integritate, virginitate, constania aliisque mentis floruere virtutibus. Sed et gentiles aliquae ummis praeconiis meruere laudes, quarum aliquae nominantur ². 1. fol. 231. A., quae etsi quando reperiantur amandae, coendae et pro viribus extollendae sunt etiam ultra viros. Nam icuti magis quam in Briareo in Pigmaeo miranda esset virtus Herculea, sic in muliere [magis] quam in homine commendanda st. Sed quum rarissimae sunt, ne, dum Lucretiam quaerimus, a Calphurniam aut Semproniam incidamus, omnesque fugienas proficere volentibus in sapientia, fama et religione suadeo. Hunc Samsonem dicit Gotfridus in Pantheon fuisse ea

tempestate, qua et Hercules, et pares eos fuisse aetate et fortitudine, ambosque fraude periisse. Et tantum de illo.

De quodam insigni aestuario, in quo peregrini laeti balneabantur cum Sarracenis.

Secunda die dicta Missa accersivimus Trutschelmannum et rogavimus eum, ut nos educeret in desertum ad terminum nostrum, et promisit, quod in crastinum profecturi essemus. Qua promissione laetificati fuimus et prandio sumto omnes simul ad Sarracenorum aestuarium ivimus et balneati ac loti fuimus. Qualia autem sint aestuaria Sarracenorum, vide P. 1. fol. 84. Sed hoc aestuarium in Gazara est super omnia pretiosius, quae vidi. Nam ante stuppam est circuitus testudinatus, sicut ambitus claustri, in quo sunt plures cellulae sine lectis, stratae mattis et plectis palmarum et singulae cellae cortinis tantum clauduntur. In his balneare volentes se exuunt et induunt. In ipsis cellis pendent panni mundi, quibus praecinguntur ingredi volentes ab umbilico usque ad genua, loco braccarum et perizomatum, et totum ante et retro tegitur. In medio ambitu est unus fons, per multas cannas saliens de marmorea columna et omnes parietes et pavimentum ante aestuarium et intus sunt vestitae marmore candido vario et polito, ita quod transiens habet se cavere ut caute vadat, ne lubricidet, sicut ille, qui super glaciem vadit. Ipsum autem aestuarium est in modum turris quadrata, et guppa sive testudo cooperiens ipsum non habet tectum, sed habet plurima rotunda foramina, ut caput hominis, clausa fenestris vitreis diversorum colorum, per quod lumen obscurum, sufficiens tamen, ingreditur; in ipso autem aestuario non est fornax, nec sentitur ardor ignis nec fumus, sed in una parte sub pavimento sunt carbones, quibus marmora pavimenti calefiunt et aqua fervens per canale in lapidem cavatum currens hoc totum habitaculum calore replet. In alio latere intrat aqua frigida. Est enim, ut dixi, habitaculum quadratum, et non habet lumen, nisi per foramina testudinis, et in uno latere est calor abundans et aqua calida, in secundo latere est frigus et aqua frigida, tertium latus est liberum et quietum, per

quartum est ostium, in medio est temperatum. Porro ipse balneator humanissime et curialiter balneantibus ministrat frequenti fricatione et lotione et unctione cum smegmate (b) vel alio convenienti unguento; nam invalitudines membrorum unguentis curant in balneis. Si quis dolorem patitur ex casu aliquo, locum doloris fricat, inungit, stringit et dilatat balneator et dolorem vel curat vel mitigat. Similiter si quis conqueritur se pati in aliquo membro dolorem, ut in brachio, crure, manu vel pede aut collo, miro modo medentur hujusmodi, et contractionem membrorum, podagram et chiragram, arenam, calculum magna arte in balneis repellunt. Ita etiam, cum quis conqueritur, se circa pectus pati constructionem et anhelitus abbreviationem, diligenti labore conantur eum sanare. Nec agunt hoc simpliciter considendo alicui ad latus, sed patientem accipiunt et ad medium balnei super pavimentum ipsum supinum prosternunt, vel pronum, vel ad latus, secundum exigentiam doloris, et balneator super eum sedens locum doloris contrectat, brachium dolens leniter curvat et recurvat, collum stringit et restringit. Vidi semel, quod quidam Aethiops in balneo curam petiit, dicens, se pectus constructum habere, quem balneator in dorsum posuit super pavimentum et super ventrem ejus sedit et ambobus manibus collum ejus adeo strinxit, quod in vultu intumescere coepit, quia totaliter sibi anhelitum retinuit et tam diu sic eum tenuit, quod ego timui, hominem esse suffocatum, aures etiam sibi bombyce obstruxerat. Tandem autem cum eum dimisisset et spiritum resumsisset, gaudebat ille, dicens, se fore curatum. Delectabile est videre illa. Multa curant sic in balneis, quae apud nos aestimantur quodammodo incurabilia, vel propter quae nos adimus thermas, et multis expensis et pluribus diebus ibi laboramus, quod ipsi in una dimidia hora expediunt. Verum videtur mihi, quod sic curando utantur etiam incantationibus; nam cum praedicto modo curae insistunt, continue loquuntur cum se ipsis et nescio quae verba in aures patientis dicunt et per omnia mores incantantium habent.

In balneo nullo modo conveniunt viri et foeminae, sed foeminae habent propria balnea pro se, et viri similiter; nec viri habent fricatrices, nec mulieres fricatores, sed viri viris

quando tamen sciunt et intelligunt, se à nobis habitur
crum et pecuniam, tunc non solum amicabiliter nobis c
santur, sed serviliter nobis subjiciuntur, et quia scian
bene solvere balneatorem, libenter sustinent nos. Alia
dicitur, quod Sarraceni quodam teterrimo foetore sord
propter quem creberrimis baptismatibus et variis utuntu
vero, quia foetore illo caremus, non curant, quod cum ei
neemur. Quod Judaeis non indulgent, qui pejore foetore
lent; libenter nos in balneis vident; sicut enim leprosus g
dum sanus communicat ei, ex eo, quod non spernitur, et
sperat, se propter sanum melius habiturum: sic foetidu
racenus gaudet communicare cum non foetente. Tertia
est, quod nos sustinent secum, quia Machometus non pr
eis communicare nobis in balneis, sed in ecclesiis tantum
cit enim in Alchorano suo, quod Christiani fuerint m
amici sui, quam Judaei, ut habetur Ny. Cu. Libr. 3. C. 8
nos in balnea sua recipiunt, et non Judaeos. Hoc tame
allegatur pro laude Christianorum, sed pro magna confu
Ideo nullo modo nos intromittunt in muscheas eorum.
causa est theologicalis, quia indecens est, Christianum
gentili balneari, et indecentias tales diabolo instigante li
admittunt. Quod autem (16 a) indecens sit Christian
gentili balneari, patet primo ex eo, quia sicut Judaei non
tabantur Samaritanis, ita Christiani non cunctantur Judae
paganis. Ex eo etiam patet, quod Matthaei c. 18. De

in quibus lavatur veritatis inimicus, Jontera 28 q. 1. C. Nullus etc. Prohibentur multa, in quibus Christiani non debent conversari cum Judaeis, inter quae communio in balneo nominatur, et qui secus fecerit, si clericus est, deponatur, si laicus, excommunicetur in suam poenam, et similis fiat, cui se aequalem fecit communicando, quia excommunicatus aequiparatur deportato vel Sarraceno per Bal. in add. Spe. de spon. pari ratione. Idem autem est judicium de gentilibus, sicut de Judaeis. Videtur ergo, et ex his probatur, indecens esse, ut Christianus intret balnea Judaeorum vel Sarracenorum. Vide de hoc in Sum. Anca. Sarracenus.

Spero tamen, nos peregrinos poenam canonis non incidisse tum propter necessitatem nostram, in qua etiam non prohibentur comedi azyma Judaeorum et idolothyta gentilium; tum etiam propter Papae dispensationem, qui licentiam nobis dedit ad partes Sarracenorum et licentiando peregrinum ad terras gentilium concedit communionem cum eis in mensa, balneo, et medicina; tum etiam, quia ex illa balneatione nullum evenire potest periculum, nec aversio nostra a fide, nec scandalum, nec aliquod peccatum, quia non est conversatio continua, nec familiaris, sed cito transit, et cum hoc non possumus eis conversari locutione, cum ignoremus linguam, quae omnes alias communiones superat. Sic ergo transivit illa dies.

Adventus Mamaluccorum et nostra cum eis conversatio.

Tertia die praeparavimus nos ad recessum, sed impedimentum grande intercessit. Venit enim exercitus multorum millium Mamaluccorum de Aegypto in regionem, ita quod tota civitas erat plena armatis et regio, et tentoria fixerunt per circuitum Gazarae, et dicebatur numerus eorum esse octo millia. Hos miserat rex Soldanus contra Turcomannos in Syria, ad humiliandum eos. Vagabantur autem per civitatem et multi ad nos sunt ingressi ad nos videndum, inter quos quidam Ungari venerunt, interrogantes, an aliquis peregrinus adesset de Ungaria. Et invento domino Johanne socio nostro laetati sunt valde et sub tentoriis nostris nobiscum sederunt et nobiscum comederunt et biberunt, etiam vinum, sed occulte. Aliqui etiam

Siculi et Cataloni Mamalucci, i. e. abnegati Christiani, ad nos sunt ingressi quaerentes nobiscum habere solatium. Omnes illos accepimus et familiariter cum eis conversati sumus, quod tamen Trutschelmanno et Calino valde (b) displicuit. Sunt enim Sarraceni Mamaluccis inimici occulti, pro eo, quod dominantur eis ita, quod vix audent levare capita in conspectu eorum. Idcirco isti duo Sarraceni, Sabatiithanco et Elphahallo, ductores nostri, indignabantur nobis, quia timebant, quod ipsos apud eos magis odibiles faceremus; eramus enim tunc cum eis discordes propter retentionem nostram in loco illo. Ipsi autem duo Sarraceni, uti astuti et experti viri, conabantur per opprobriosas objectiones nos a familiaritate Mamaluccorum avertere. Sabatithanco dicebat: estis vos, inquit, veri Christiani; qua fronte potestis comedere et bibere cum illis, qui cum exsecrabilibus juramentis fidem Christianorum abnegaverunt? Alius Sarracenus, Elphahallo, dixit: vos estis de illis Christianis, qui indubitanter salvantur in fide sua, et illi Mamalucci propter negatam fidem vestram indubitanter damnabuntur. Quae ergo conventio vestra cum eis? Erat enim Sarracenus ille opinionis istius, quod quilibet salvaretur in ea fide, in qua natus fuit, et in nulla alia, ut patet supra P. 1. Fol. 222. Ad haec respondimus eis, prout potuimus. Porro facto prandio venerunt iterum Mamalucci colloquentes nobis, quibus cum diceremus, quod libenter vellemus videre exercitum eorum et equos, tentoria et apparatum bellicum, duxerunt nos in civitate ad stabula, in quibus stabant equi pulcherrimi, et eduxerunt nos extra civitatem, ubi erant fixa tentoria, et cuncta cum ammiratione vidimus, nec erat, qui nos torve respiceret, dum illi nos ducerent, qui videbantur nobis esse potentes in exercitu. Et visis omnibus reversi sumus in locum nostrum et male respecti a nostris ductoribus, quod tamen parum curavimus.

Quarta die mane convenimus et illum diem decrevimus deducere in labore dispositionis ad iter deserti et emere ea, quae adhuc essent nobis necessaria cum illis, quae procuravimus in Jerusalem. Sors autem procurantiae nostrae societatis super me cecidit. Et accepta pecunia a sociis cum procuratione aliarum duarum societatum exivi ad forum pro facienda provisione. Sed ecce, nihil erat in foro, et omnes pategae et

mercatorum valvae et coquinae et macella erant clausa. Cujus cum rationem quaereremus, responsum est nobis, quod quamdiu Mamalucci essent in civitate, tam diu non esset forum, quia propter eorum importunitatem nemo ausus fuit sua publicare. Accedunt enim et quidquid placet hoc rapiunt et sine solutione tollunt, nec est, qui eis audeat contradicere. Retinebant etiam Gazarienses bestias suas in dominibus, equos, asinos, vaccas, oves, capras, nec ad pastum extra ire permittebant, quia per armatos illos fuissent ablatae. Idcirco illo die nihil (17 a) poteramus procurare.

Eodem die venerunt in curiam nostram domicellae Sarracenae cum pedissequis suis, velatis vultibus secundum morem eorum, et cupiebant nos videre. Exivimus ergo de tentoriis et tabernacalis nostris ad conspectum earum et colloquebantur sarracenice et ridebant. Porro nos non potuimus vultus earum videre propter velamina et per interpretem petivimus eas, ut depositis velamentis permitterent nos etiam earum vultus intueri. Hoc cum audivissent, valde ridebant cum cachinnis et pedissequis imperabant vela levare. Quae cum levarent, apparebant vultus earum denigratae, sicut carbones, quia erant Aethiopissae. Quod dum vidissemus, cum industria fecimus, ac si territi essemus propter nigredinem et eas abominaremus, et petivimus, ut et dominae vela levarent. Et ita fecerunt, et fuerunt albae et formosae dominae, verecundae et reverentiales. Multa talia experti sumus in Gaza, quaedam enim juvenculae Aethiopissae frequenter curiam nostram intrabant et sine verecundia procitabant; de quibus tantum scripsisse nimium est. Multi Aethiopes utriusque sexus terram sanctam inhabitant, liberi et sclavi.

Emtio necessariorum.

Quinta die mane ante lucem recesserunt Mamalucci a Gazara, sed tamen ante meridiem non aperiebantur pategae, nec forum venalium rerum erat, quia fuit sexta feria, quae semper ante meridiem est Sarracenis celebris. Post prandium autem accepi a sociis meis XVIII ducatos, et cum milite domino Petro Velsch sic in albo habitu Ordinis mei cruce signato discurrimus per vicos et plateas, fora et pategas, et

diversa nobis necessaria procuravimus. Majorem enim sollicitudinem et majorem provisionem requirit peregrinatio deserti, quam navigatio per mare. Ea enim, quae homo non accipit Venetiis necessaria, in portubus et insulis invenire potest et sibi providere, sed in deserto non sunt portus aut hospitia, sed vastissima solitudo, in qua nec bestiae suum cibum reperire possunt, ut patebit. Non enim habituri eramus sicut patres antiqui manna de coelo, nec aquam de petra, nec oleum de saxo durissimo, nec coturnices de Aegypto, nec praeservationem a vetustate et a corruptione calceamentorum et vestimentorum, nec columnam ignis illustrantem noctem, et ideo contra omnia haec oportebat fieri provisionem ad plurimos dies, quasi ad XLVI usque in Alexandriam, computatis illis, quibus degituri eramus in Aegypto, quia non nisi XXV diebus mansuri eramus in deserto. Emimus ergo panes multos et saccos, et pro uno peregrino tantum de pane emimus, quantum tribus suffecisset, et hoc ideo, ut Arabibus nobis in deserto occurrentibus possemus dare et vexationes redimere. Aliqua etiam vini vascula ibi comparavimus et utres novas pro aqua ferenda. Sportas etiam magnas pro impositione ollarum, patellarum et omnium ad coquinam pertinentium, tripodem, cratem et veru. Caveas etiam tres plenas pullis et gallinis cum uno magno albo gallo super caveam stante, qui per desertum (b) noctis horas nobis indiceret. Emimus etiam alias oblongas sportas pro vitris, scutellis, discis mensalibus, caseo et aliis imponendis, et parvas sportas cum uncis, in quibus panem et alia non liquida esibilia haberemus nobis ad stratum asini suspensa, et amphoras aquaticas et flascones cum suis uncis. Saccos etiam cum exsiccatis carnibus, caseo, butyro, oleo, aceto, fracto frumento pro pulmento, caepis, riso, amygdalis, salsamentis, confectis diversis, dulcibus et amaris pro infirmis, et medicinalibus, luminibus etiam, calceamentis, et sportis duabus repletis ovis et aliis hujusmodi, quibus homo communi cursu indigere solet. Emerunt ipsi camelarii saccos cum hordeo pro camelorum pabulo, et siliquam pro nutrimento asinorum. Et ita omnia, quae in Jerusalem oblivioni tradidimus, in Gaza supplevimus hoc die. Ea die aliqui peregrini deciderunt in aegritudinem gravem, ita quod de vita eorum non esset nobis magna spes.

Infirmitas peregrinorum omnium.

Sexta die nocte praecedenti, cum tempus recessus nostri advenisset et ductores nostri parati essent, misit Deus manum in peregrinos et paene omnes tetigit et prostravit, subito enim facti fuimus valde infirmi, et decumbebant tentoria nostra plena infirmis et erat numerus debilium major, quam sanorum. Inter quos erat dominus Petrus Velsch adeo debilis, quod delirabat, et dominus Fernandus baro de Warno, qui omnium prius consolator fuerat, gravissime decubuit, et ego ipse diro capitis dolore et vertigine laborabam et intensissimo calore totius corporis incensus eram, non tamen decubui, sed quantum potui infirmis servivi. Dominus etiam Bernhardus de Braitenbach, nunc decanus Moguntinus, adeo debilis erat, quod speciem propriam amiserat et sensum, nec spes fuit de ejus convalescentia. Et ita hunc diem cum nocte cum multa molestia et miseria deduximus.

Peregrinorum dissensio et divisio.

Septima die, quae erat dominica XV. post Trinitatis, audivimus Missam a domino Johanne archidiacono, qui erat fortior; nam Pater Paulus Minor et ego ambo debiles eramus et invalidi ita, quod cum magno labore vix poteramus horas canonicas legere. Hujus calamitatis causas diversas suspicati sunt peregrini: aliqui attribuebant aquis, aliqui aliis cibis, caeteri novilunio, major tamen pars vehementer suspicabatur, quod Sabatithanco Trutschelmannus noster cibum aliquem intoxicasset, ut nobis peremtis bona relicta occupasset, ego tamen tenui et hodie teneo, quod fuerit permissio divina ad humiliandam curiositatem nostra. In his ergo peregrinorum miseriis inceperunt diversa practicare et paene omnes a proposita sua peregrinatione resilire. Nam aliqui volebant reascendere in Jerusalem et ibi mederi vel mori. Aliqui volebant per Palaestinam ascendere in Syriam Phoenicis ad Barutum, maris portum, et ibi in proximis mercatorum galeis reverti in Europam ad partes nostras; aliqui omnibus ambagibus dimissis volebant descendere per maris oram in Alexandriam et ibi

naves exspectare. Aliqui (18 a) intendebant transire in Cairum et de Cairo per oram maris rubri ascendere per Madian ad montem Synai et eo visitato reverti in Aegyptum et ad mare. Aliqui volebant manere in Gaza usque ad convalescentiam et tunc per viam suam proficisci. Reliqui vero in proposito prime manebant, ut statim in crastinum proficiscerentur, non obstante, quod essent debiles. Inter haec magna facta fuit divisio inter peregrinos et discissio societatum, et quilibet adhaesit illi, qui conceptum sibi etiam placentem excogitaverat, ut seorsum practicabant, illi duo hoc, alii duo illud, caeteri aliud, et dissoluta fuit omnis harmonia unionis nostrae. Cum ista ergo amara inquietudine transivit illa dies infelix, nec hoc die vidimus nostrum Trutschelmannum, et hoc nobis augmentavit suspiciones de eo conceptas.

Nova peregrinorum conjuratio post praecedentem concommotionem et pacificationem.

Octava die illuxit jocunda et felix lux, de qua dicitur 2. Maccab. 1.: Sol, qui prius erat in nubilo, oriri visus est. Beata quippe Virgo Maria sua gloriosissima nativitate omnem caliginem, omnem turbationem, omnem denique infirmitatem ab omnibus effugavit. Nec dico ista parabolice, sed vere ita evenit. Nam surgente aurora diximus nos sacerdotes matutinas et primas et altare nostrum praeparavimus ad Missarum solemnia celebranda et omnes tres successive Missae Officium legimus de festivitate instante et orationes pro convalescentia infirmorum nostrorum et pro felice itineratione accepimus et his Missis omnes peregrini astiterunt, etiam illi, qui heri et nudius tertius videbantur morti propinqui, cum ingenti devotione et gratiarum actione, relictis lectulis, flexis genubus affuerunt usque ad finem. Finitis autem Missis pro prandio instruximus et more solito coximus et manducavimus, nec fuit amplius memoria praeteritae divisionis, sed de novo conjuravimus omnes simul per desertum in Arabiam ad montem Synai pergere et simul vivere et mori, nec infirmum quemcumque vellemus post nos relinquere, sed in camelorum sportis omnes in asinis sedere non potentes nobiscum ducere. In illo

die pacis foedera inter nos firmavimus et individui amici et fratres facti sumus unumque cor et anima in Domino.

Post meridiem venit Trutschelmannus, quem non videramus in nostris tribulationibus, et videns nos exhilaratos et paene sanatos abiit et camelarios cum camelis, asinarios cum asinis adduxit, volens nos jam educere, sed nos nullo modo aquievimus et verbis ac responsis satis impolitis et duris diximus sibi, quod nobis hac die esset festivitas solemnis et jam feriati essemus, nec fas esset, nos hac die sacra de loco moveri. Diximus etiam sibi, quod multis diebus in illo loco inviti fuissemus, nunc autem hac die ob honorem beatae Virginis nequaquam recedere vellemus. Ad haec fuit vir male contentus et camelarii et asinarii et cum murmure a nobis (b) recedebant, dicentes, quod ultra diem crastinum nollent amplius manere, non obstante quacumque nostra dispositione.

Sequentem diem nonum quaere Folio 26. b.

Descriptio Palaestinae regionis et quot modis dicatur Palaestina.

Antequam a terra sancta recedamus in desertum, ipsam civitatem Gazam describam cum provincia ejus Palaestina. Palaestina in sacra pagina tribus modis invenitur: quandoque enim ponitur pro tota terra sancta, ita, quod Jerusalem cum montanis suis Palaestina nominatur. Et ita in vitis patrum saepe invenitur; sic etiam tota terra sancta nonnumquam nominatur Syria, quia tam Judaea quam Palaestina sunt Syriae magnae partes.

Secundo quaedam pars provinciae Galilaeae dicitur Palaestina juxta montes Gilboae.

Tertio frequentius dicitur Palaestina regio maritima, quae est sub montibus Israel, quibus ab oriente clauditur, et mari magno ab occidente, ab aquilone monte Ephraim, ab austro terminatur in Gaza. Et haec pars proprie dicitur Palaestina. Isidorus de Palaestina: Lata regio est, cui ab oriente mare rubrum accurrit, in meridiano latere Judaea excipitur, a septentrionali plaga Tyriorum finibus clauditur, ab occasu mari magno et Aegyptio limite terminatur. Olim vero dicebatur

Philistaea, a civitate Ascalon, quae dicebatur Philistim, a qua et populi illius regionis Philistini dicti sunt.

Olim totius Palaestinae metropolis erat Ascalona; postea fuit metropolis Caesarea maritima; sed nunc est Gaza metropolis.

Tota regio olim erat plena gigantibus et erant potentes terra marique, quia portus maris possidebant. Quandoque praecipuas et capitales civitates habebat illa regio, de quibus dictum est Fol. II. Propter crudelitatem gigantum non potuerunt filii Israel delere Philistaeos nec civitates illas quinque possidere. Multa monasteria monachorum habuit aliquando Palaestina et magnalia leguntur de monachis in Palaestina degentibus.

De Gaza sive Gazara, civitate Palaestinorum sive Philistinorum.

Gaza civitas est binomia, quia et Gaza dicitur, ut communiter in Scriptura, et Gazara, 1. Maccab. 7. et postea saepe. Et ita hodie ab omnibus nominatur. Gazara, praesidium, monumentum, vide 2. Maccab. X., quod expugnavit Judas. Gaza enim idem sonat, quod thesaurus. Nam Cambyses rex, volens debellare Aegyptum, omnem suum thesaurum in Gazam posuit, et inde nomen Gaza aut Gazara retinuit. Quo autem nomine ante Cambysem fuerit vocata, non inveni, et forte ante Cambysem etiam sic dicebatur, quia antiquissimae scripturae eam Gazam nominant, ut Josuae 1. et Judic. 1.

Haec civitas olim erat Enaorum, secundum Jeronymum de distantiis locorum, in qua habitavere Capadoces pristinis cultoribus interfectis, et est in sorte tribus Judae, sed eam tenere non potuit, quia gigantes fortissime restiterunt. De hac civitate prophetae multa praedixerunt, ut habetur Jeremiae. (19 a) 47., Zachariae IX. et Sophan. 2., ubi multa dicuntur de ejus destructione et aliarum Philistinorum civitatum. Unde Jeronymus, ubi supra, dicit: quaeritur, quomodo Gaza in quadam prophetia dicitur futura in cumulum sempiternum, quod loquitur contra Gazam antiquam, quae dudum in nihilum

edacta est, quae deserta dicitur Actor. VIII. Nova autem hodie insignis civitas Palaestinae est, in duplo major quam sit Jerusalem, populosa et pinguis. Unde vulgariter oquendo est fossa butyri, et omnia ad humanam vitam pertinentia sunt ibi in copia et bono foro. Tot ibi arbores sunt almarum, quod civitas videtur jacere in silva. Domos habet iteas et miseras, sed muscheas et aestuaria valde pretiosa, on est muro cincta, sed turres multas et altas habet ab itra. Est civitas maritima, non tamen prope super litus sita, ed ad unum teutonicum milliare. Noctibus, quando omnia nebant silentium, audivimus in nostra curia sonitum et maris gitum. Multi mercatores in Gaza resident et coci plurimi, t est in ea mirabilis gentium commixtio diversarum. Plures nt ibi Aethiopes, multi Arabes, Aegyptii et Syri, Indi et hristiani orientales, nulli Latini. Tempore ultimo Christianorum erat ibi bonus et honorabilis episcopatus. Ad ommendationem vero hujus civitatis duo notavi. Primum, uod mihi non videtur, quod umquam locum vel civitatem iderim, in qua omnia sint in tam bono foro, quae homo esiderat, sicut in Gaza. Secundo homines sunt ibi pacifici, umquam enim molestiam intulerunt nobis aliquam, nec vexaunt nos, sicut in Rama et Joppen, et tamen per vicos et lateas cottidie cruce signati cucurrimus et cum eis tractatus abuimus sine omni molestia. Ego aliquotiens solus in albis icedens transivi longe a curia nostra et numquam unicum pprobriosum audivi. Verum hoc non omnibus peregrinis, qui nte nos ibi moram traxerant, accidit, sed ut legi in peregrinalibus, quidam ibi multum tribulati fuerant. Et tantum de ac civitate.

Consideratio trium ante deserti ingressum est hic praenotanda, scilicet de asinis, camelis et de ipsa solitudine.

Antequam ingrediamur desertum, ut ipsa peregrinatio eserti clarius pateat, tria sunt praemittenda, de quibus conua mentio fit in sequentibus. Primum est descriptio

asinorum et asinariorum. Secundum est camelorum et camelariorum. Tertium est descriptio solitudinis, sive deserti et ejus inhabitatorum.

Asini itaque sunt secundum eorum conditiones animalia magis apta pro transitu eremi, quam equi. Est enim asinus animal oneriferum et laboris patiens, vili et modico cibo contentum. Inter tribulos enim carduos et spinas carpit cibum suum, et arbusta densa et spinosa penetrant et intrant, quapropter parvae aviculae oderunt asinum et eum inclamant sicut noctuam, quia in spinetis nidis, ovis et pullis earum nocet, quia carpendo et fricando nidulos dejicit et clamando pullos earum terret. Potus ejus (b) est aqua, quam libentius bibit turbidam, crassam et tepidam, quam recentem, et modicum valde bibit. Si de aqua numquam prius bibit, bibere renuit, etiam dum multum sitit; tribus diebus et noctibus continuis durare et laborare potest sine potu. Magni frigoris impatiens est, ideo in terris frigidis, ut in Ponto, non generatur, et in terris multum calidis multiplicatur. Aquas transire et pedes tingere horret, pontes etiam, de quibus potest videre aquam, non transit nisi cum trepidatione, et si per rimas aquam videt, tremit et subsistit. In luto male vadit, sed in sicco etiam asperrimo, equis periculoso, optime et secure incedit. Tempore pluviali est triste animal et involuntarium. Ideo in oriente et in Aegypto sunt asini valde boni, cum non sit ibi frigus, nec pluvia, nec lutum. In terris autem nostris non possunt esse boni propter contrarias conditiones. Asinus dominum suum, sessorem suum, viam suam, hospitium suum, vocem domini sui et terminum itineris sui, laborem suum et horam sui laboris et horam quietis super omnia animalia acutius cognoscit et diligentius tenet. Bestia illa valde humana est et conditionibus hominum multum proportionata, multo magis quam equus et mulus. Species decipit multos in electione asinorum, quia nonnumquam turpiores asini sunt meliores et e converso. De hoc vide P. II. Fol. 2.

Quales homines sint peregrinorum asinarii?

Asinarius dicitur asini custos. Asinarii nostri per desertum erant Christiani orientales de cinctura, alias dicti

ieorgiani, haeretici sicut Graeci, quorum tanta multitudo in rientalibus provinciis, quod omnes eos timent et sine olutione theloniorum et pedagiorum per regiones procedunt ine timore et neminem curant, et eorum propria provincia t terra est juxta montes Caspios, longe a terra sancta, et unt homines pulchri, curiales, civiles et frigidi, non incontientes irae. Hi ergo, quia Christiani sunt et gentium mores t linguas norunt et libere per regiones incedunt, conducuntur d ducendum peregrinos de Jerusalem usque in Aegyptum in inis. Sic ergo asini et asinarii secundum qualitates suarum onditionum sunt ad transitum deserti summe apti et conveientes, ut ipsa peregrinatio docebit in processu.

De camelorum natura et proprietate.

Cameli sunt etiam bestiae valde proportionatae et aptae ro transitu deserti. Hae bestiae sunt apud nos monstra, sed i partibus transmarinis sunt communissimae et incedunt regatim in magno et copioso numero in pasta. Dicitur autem camelus a camyn, quod est breve vel humile, quia, cum nerantur, accumbunt, ut breviores fiant; vel a camur, quod st curvum, quia incurvant se in susceptione onerum, vel quia curvum dorsum habent. Duo autem sunt genera camerum, scilicet bactrici et arabici cameli. Arabici cameli ina habent tubera in dorso, et sunt parviores tardiorisque ressus (20 a). Cameli autem de Bactria unum habent in orso tuber, in quo portant, alium in pectore, cui incumbunt, t sunt veloces multum et parviores camelis arabicis. Credo utem, quod cameli bactrici etiam nominentur dromedi, propter velocitatem cursus, quia dromedus idem est quod cursus el curvus, et est genus camelorum, quod uno die centum illiaria italica et amplius facit. Dromedarius autem sic haetur Esaiae LX.: Est custos dromedorum. De camelo bacrico enormis magnitudinis legitur in vita S. Hilarionis C. 19. iraculum. Vincentius in Spec. Nat. L. 19. c. 27. dicit, nod cameli recti illi dicuntur, qui unum tantum in dorso abent gibbum, aliud autem genus, quos dromades vocant, ursu mirabili vigentes, bina tubera in dorso habentes. Ex

his patet, quod cameli unius gibbi quandoque dicuntur dromedi, similiter et duorum gibborum. Sunt enim valde diversa genera camelorum in quantitate et cursu differentia.

Est autem camelus animal deforme, gibbosum, habens collum longum, propter longa crura, ut collo terram tangere queat, et cibum sumere, lentum habet incessum, tamen festinum progressum, non quod currat sicut equus, sed cum prelixis cruribus magnos passus facit, quantum homo attingere potest, qui fortiter pedem a pede distendit, numquam autem pedem vadens atterit, quia pedes sunt reciprocis quibusdam pulmentis et crurium pulpis vestigia carnulenta, et ideo lapides vix sustinent in multum ambulando, unde necesse est, si per viam longam et saxosam sit eundum, quod pedes eorum calcentur, quia laeso pede tota bestia languet. Bene ergo in arena ambulant et male in lapidibus, per quos lentissimo gressu graditur cum timore. Similiter bene incedit in terra arida et sicca, male vero in madefacta et lutosa. Bene ambulat tempore calido, male tempore frigido, unde nec diutius vivere potest in terris frigidis et humidis.

Camelus caput habet parvum et disproportionatum respectu corporis, caret cornibus, quamvis (non) careat dentibus superioribus, sicut omnia animalia cornuta. Oculos habet magnos et terribiles, et semper videtur esse animal triste et turbatum. Ejus oculi sunt sicut illa specula ignea, in quibus relucent imagines grossae. Quaecumque enim camelus respicit, magna et grossa sibi videntur, imo omnia quasi cum ammiratione et trepidatione videtur inspicere. Unde quando homo ipsi accedit, incipit tremere bestia, ita, quod homo notat bestiam se timere ex eo, quia homo contra se procedens videtur sibi in quadruplo major, quam est. Et nisi Deus sic ordinasset, adeo mansuetum et disciplinatum animal non esset. Os habet turpe et immundum et magnum et dentes inferiores longos; unde quando ex turbatione stridet, os aperit, caput agitat et collum longum extollit, retorquens ipsum nunc huc, nunc illuc, ita quod homo non assuetus videns turbatur et timet.

Camelus secundum legem Domini est animal immundum, quia ungulam quidem habet, sed non dividit eam, sicut equus,

et ruminat, sicut ovis. Pauco (b) cibo utitur, foeno et corticibus et foliis vescitur et hordeo laborans pascitur, quod cito transglutiens reservat, ut rursum ruminando tota nocte manducet. Habet enim camelus plures ventres: in primo recipit cibum penitus indigestum, in secundo autem incipit digerere, in tertio melius, in quarto digestio penitus completur. Et ita ventrium diversitas fuit necessaria propter grossitiam nutrimenti sive cibi, et quia parum dentibus cibum molit. Lutulentas aquas captant, claras refugiunt, et ubi coenosior liquor fuerit, ipsi assidua conculcatione lutum excitant, ut turbetur. Multis diebus sitim tolerat, et quod dictu est mirabile, diebus XII vadit sine potu, verum dum occasio bibendi data est, tantum impletur, quantum satiat desideria praeterita et in futurum diu prosit.

Camelus diu vivit, quandoque usque ad centesimum annum, nisi forte in peregrina translati insolentia mutati aeris morbos contrahant. Causam autem tam longae durationis hanc esse dicunt, quia cameli felle carent, quod est secundum Anaxagoram caussa omnium acutarum infirmitatum. Tenacem habet camelus malorum memoriam, proinde, si percussus fuerit, diu dissimulato dolore, dum oportunum tempus reperit, illatam protinus injuriam reponit. Mingunt posterius, et virgas habent ad posterius et caudas ad modum asinorum et aversi coeunt, et dum venerem requirunt, saeviunt, nec audet aliquis eos accedere tempore coitus, quia illaesus non abiret. Et quamvis animal luxuriosum sit, erga matrem tamen continens est. Unde in quadam civitate cooperiebatur camelae caput, ut ejus pullus super eam saltaret, qui cooperto matris capite super eam saltavit, et cooperimento sublato matrem agnoscens turpitudinis opere, quod coeperat, intercepto descendit ipsumque ingeniatorem morsibus interfecit. Dicitur etiam camelis haec pietas inesse, ut si in grege vel stabulo aliquis aegritudine detentus non manducet, alii compatientes abstinent.

Hoc animal est oneriferum et ad onera portanda deputatum et oneribus gaudet; unde naturalem inimicitiam et odium habet contra equos, mulos et asinos pro eo, quia onera sibi debita surripiunt et portant, quae sibi solis esse debita aestimant. Et ideo, si asinus aut equus praecedit oneratus camelum,

nullo modo progreditur camelus et stat et indignanter aspicit nec procedit, nisi post se reducatur. Sed quia asinorum incessus velocior est camelorum, quando longius progrediendum est et festinantius, tunc funis cameli collo alligatur asini, ut antecedente asino camelus ocius sequatur, ut dicitur in Legenda beati Jeronymi.

Dum autem camelus onerari debet, paululum super genua percutiuntur et statim ad onera flexis cervicibus inclinantur vel si homo manum super collum bestiae ponit et sibilum facit, recurvatur in terram, ut oneretur, et totaliter se prosternit et onera gravia sibi imponi permittit, nec corpus movet, sed caput cum stridore grandi agitat, dum se gravari sentit. Hoc faciunt minores cameli, sed non grossiores.

Dum multi cameli simul onerantur, fit horribilis rugitus, qui eminus auditur per desertum noctibus. Onera autem imposita non ligantur super dorsum cameli per ventrem, nec sellae eorum ligatae sunt sicut sellae equorum et asinorum, sed simpliciter (21 a) super gibbum ponitur sella sine ligaturis et super sellam ponuntur onera ad utrumque latus dependentia aequali pondere, nec bestia transit, si sentit gravius pondus in uno latere quam in alio, et capite extenso cum stridore ostendit, in quo latere pondus sit gravius, et si non habetur materia, quae imponatur, ut onus aequale fiat, accipiunt lapides et defectum oneris supplent.

Porro si bestia sentit se plus gravatam onere, quam solita sit portare, iterum non progreditur, nisi onus diminuatur, non enim suscipit onus nisi suis viribus proportionatum. Dum autem onera imponuntur, onerantes cantant dimissis vocibus ad demulcendum bestias, et oneribus impositis surgit bestia repente et quasi exultans per viam suam currere incipit et iter sine pausatione continuat usque ad terminum suum consuetum; ad quem dum pervenerit, non amplius procedit, sed onera sibi deponi optat. In via nec baculis nec flagellis peluntur, sed camelarii sequentes cantant hoc modo: Han na yo yo an no ho ho oyo o ho etc. Cum bestia extra viam vadit, larvo signo sibi manu dato redit, nec invasionem duram aut percussionem patitur. Camelus turbatus stridorem mirabilem facit et quandoque, sed valde raro, in tantum irascitur, quod

onus a se rejicit et hoc facto magno cursu aufugit et vix capi se permittit. Magna cura haec bestia videtur custodire onera, ne decidant, cautissime enim pedes ponit, ne pedes laedat et ne onera cadant, nam sub pede cameli est multa carnositas, et in ejus fissura corium simile ei, quod est in pedibus anserum, ideo caute ambulat; viam, per quam semel ambulavit, semper scit sine duce, etiam si via sit operta pulvere vel arena per ventum adjecta. Et hoc necessarium est per desertum, in quo nullae viae manent propter arenarum motum. Non tantum parantur hae bestiae ad onera vehenda, sed etiam ad bella ducuntur, ad quae tamen foeminae vel camelae validiores sunt quam cameli. Castrantur autem, quando duci habent ad proelium. Et tantum de illo.

Camelarii.

Camelarii vel dromedarii sunt magistri camelorum. Porro nostri camelarii per desertum erant conducti per nostrum Trutschelmannum de villulis Palaestinae in terminis Arabiae. Erant autem rusticelli, nigri ut Arabes, Sarracenis et Arabibus servientes, cum Arabibus confoederationem habentes, de ritu maledicti Machometi. Non enim sustinuissent Arabes incolae deserti ductores vel camelarios puros Sarracenos; sed illos in pace dimiserunt, quia eis confoederati et ritu, veste, moribus eis conformes. Ea de causa asinarii nostri, qui erant Christiani orientales, per desertum euntes conformabant se vestibus et moribus camelariis, ut ab Arabibus minus molestarentur; isti camelarii et asinarii in nostro itinere continue litigabant simul, non tamen se percutiebant, nobiscum vero pacem habebant simulatam propter pecuniam, quam a nobis habere sperabant.

De his camelariis et asinariis in processu multa venient dicenda, nunc ad alia procedamus. Sequitur de solitudine.

Solitudinis sive deserti vel eremi descriptio, et ejus latitudo, longitudo et sterilitas; et quomodo dicitur quatuor modis patet ingressu.

Solitudo illa vastissima, per quam de terra sancta ad montem Oreb transire oportet, nunc in hoc loco venit describenda. Notandum ergo, quod haec solitudo est pars Arabiae magnae. Sunt enim tres terrae sibi invicem junctae, quae dicuntur Arabiae. Primo mons Libanus et Antilibanus cum tota regione adjacente dicitur Arabia celsa, pro eo, quia terra illa thurifera est et abundant ibi arbores thuriferae et alia odorifera. Et huic jungitur regio Traconitidis et Ituraea ab aquilone, quae sunt partes Galilaeae, Damascus vero meridie, quam ob causam Syria Damasci aliquotiens Arabia vocatur. Unde Areta rex Arabiae dicitur, qui tamen erat rex Damasci.

Secundo terra filiorum Moab et Ammon et regnum Seon regis Esebon cum regno Og regis Basan et totus mons Galaath et tota regio trans Jordanem dicitur Arabia secunda et conjungitur primae a parte australi.

Tertio. Ab illa incipit Arabia tertia, quae dicitur Arabia magna, et per latissimas solitudines protenditur a flumine magno Euphrate usque ad mare rubrum et ad Nilum flumen Aegypti. In hac Arabia contra orientem est Mecha, civitas detestabilis Machometi, et contra meridiem est mons Synai et Oreb. Et haec Arabia est latissima, continens solitudines magnas et vastissimas, diversas facientes provincias.

Latius tamen loquendo de Arabia secundum figurationem tabularum Ptolemaei possumus dicere, quod tota regio, quae alias nominatur Syria Damasci ultra Libanon est Arabia prima, et dicitur Arabia Damasci vel Syriae. Huic adhaeret ad austrum Arabia Petraea, quae est secunda. Ad hanc dependet Arabia deserta latissima, quae est tertia. Cui consequenter jungitur Arabia felix, grandis et nobilis patria, in qua est supra dicta civitas Machometi. Hae quatuor Arabiae latissimas includunt regiones et suis terminis mare magnum et sinum arabicum sive mare rubrum et sinum persicum contingunt, ac Nilum, Euphratem, Tigrim et Physon, quatuor paradisi flumina, tangunt.

Sicut autem Arabia illa deserta est terra infelicissima et valde mala, ita Arabia alia, felix dicta, est felicissima et valde bona, quae quondam Cadrosia fuit dicta, haud longe ab Aegypto distans. Aurum in ea abundat, quod e cuniculis nulla arte factis effodiunt, non quidem quod igne exprimunt, sed ipsa natura purum ex humo producit in nucis quantitate. Haec Arabia etiam Saba dicitur, a civitate insigni ejus, quae terra eorum, quae apud nos sunt pretiosissima, fert et omni pecoris genere est copiosa. Odoribus etiam suavibus, quos passim natura gignit, omnes nationes superat. In maritimis locis balsamus oritur et cassia et in silvis ejus magnae sunt thuris et myrrae arbores, palmae insuper, arundines ac cinamomum etc. Neque enim referri possunt singulorum species, quae natura adeo affluenter in ea aggregavit. De hoc vide Diodorum L. III. C. XII. et L. IV. Haec fertilis et felix terra in tantum differt ab illa sibi vicina Arabia Petraea et deserta, ac si mille ab ea distaret milliaria. Haec deserta Arabia ad occasum vergit et arenosa est penitus, et qui per eam iter faciunt, quemadmodum in mari nautae Areti (arcti) signa duces habent. In hoc autem loco solum locuturus sum de solitudine Syn, quae a terra sancta incipit et ad radices montis Synai et in littoribus maris rubri finitur in provincia Madian. Quod autem mons Synai sit in Arabia, patet per Apostolum Galat. IV., ubi dicit: Syna enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, qui nunc est Jerusalem. Similiter, quando dicit Haymo ad litteram: Syna est mons Arabiae, qui sua magnitudine diversas provincias tangit et sua extremitate conjunctus est montibus terrae promissionis, in quibus est Jerusalem. Ideo tota illa solitudo dicitur Syn, quae tamen habet multas solitudines particulares, ut solitudinem Ethan, Mara, Helim, Dephea, aliis Raphadim, Areroth, Rechma, Cades, et caetera, sicut patet Numeror. C. 33. Hae autem solitudines nunc alia habent nomina arabica, sicut patebit in processu peregrinationis de mansionibus peregrinorum, in quibus fixere tentoria. Qualis sit ergo illa solitudo et quantis defectibus subjaceat, in multis locis sacra Scriptura enunciat. Notandum tamen, quod desertum dicatur quatuor modis. Primo modo dicitur locus desertum vel desertus, in quo posset esse habitatio, sed non est,

sicut Esai. XXXVII. dicit: Exultabit solitudo et florebit quasi lilium, in adventu scilicet cultorum. Sic principes et divites aedificant sôlitudines, Job. c. 3., quia loca deserta cultivant et novalia novant, sicut praecepit Dominus, Jeremiae 4.: Novate vobis novale. Sic Josuae 17. praecepit filiis Joseph, ut ascenderent montes incultos et desertos, (22 a) et succiderent arbores et locum purgarent et spatia ad habitandum facerent. Spatia etiam et loca, in quibus olim erant habitationes et esse desierunt, deserta dicuntur, sicut Nehemiae 2. de sancta civitate, quae tunc civitas non erat: Jerusalem deserta est. Et Esaiae 1.: Terra vestra deserta, civitates destructae. Et hoc plerumque contingit propter hominum inhabitantium peccata. Unde Psalmus: Posuit terram fructiferam in salsuginem a malitia inhabitantium in ea. Unde Matthaei 23.: Ecce, relinquitur vobis domus vestra deserta. Et Psalmus: Fiat habitatio eorum deserta.

Secundo modo desertum dicitur locus solum ex eo, quia ibi non est habitatio hominum, licet ibi sint horti, agri, prata, pascua, pomoeria, sicut ibi Lucae 17.: Dimittit nonaginta novem oves in deserto, i. e. in loco pascuae. Et Exodi III. minavit Moyses gregem ad interiora deserti, sive ad pinguiora pascua. De tali deserto dicitur Esaiae 41.: Ponam desertum ejus, scl. terrae sanctae, quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini. Tertio modo desertum dicitur locus silvestris vel campestris, nemorosus vel vacuus, quem homines non incolunt, in quo leones, ursi, cervi, lupi et caeterae ferae currunt, sicut Marci 1.: Expulit Jesum spiritus in desertum, eratque cum bestiis. In quo quidem deserto non habitant homines, licet possent ibi habitare, quia ibi crescunt virgulta et sunt ibi aquae, quarum gratia possunt ibi bestiae vivere, sicut etiam in deserto Johannis baptistae, et in deserto beati Jeronymi. De quibus in prima parte dictum est. Quia hoc certum est, quod in quocumque loco leo vel ursus, lupus aut cervus vivere potest, illic etiam potest homo vivere, et ubi homo potest se nutrire, ibi et fera potest esse. Sed ubi fera non potest manere, nec homo, et e contrario. In hoc tamen differentia est, quod bestiae non utuntur de necessitate igne in suo nutrimento, sed homines

vivere sine igne non possunt, licet Plinius lib. 6. dicat, quod in parte orientali quibusdam gentibus usus ignis fuerit ignotus usque ad tempus Ptolomaei regis Aegypti, et tunc primum ignem habuerunt. Credit tamen dominus Antonius, illos non fuisse homines, quia tenet, hominem non posse vivere sine usu ignis, ut patet P. 1. Tit. 1. C. 5. §. 1.

Quarto modo et propriissime desertum dicitur terrae spatium, ubi nihil eorum crescit, quibus homines et bestiae nutriuntur, nec arbores, nec gramina, et ubi nec homines nec bestiae nec aves vivere possunt, tum propter defectum aquarum, tum propter solis intemperatum ardorem, tum propter terrae sterilitatem, et breviter propter defectum omnium ad vitae animalis sustentationem pertinentium. Et tale desertum est de Gazara ad montem Synai, non quidem in omni parte, sed pro majori parte. Tale desertum non reperitur in Alemannia nec in Francia nec in Italia, quamvis deserta, primo, secundo et tertio modo dicta, ibi reperiantur.

Defectus et miseriae deserti illius magni notificantur multipliciter per scripturas sacras. Unde Deuteron. VIII. dicitur: Dominus ductor tuus fuit in solitudine magna et terribili, in qua erat serpens flatu adurens et scorpio, ac dipsas et nullae omnino aquae. Et Deuter. 32. vocatur terra deserta locus horroris et vasta solitudo. Et Esaiae 21. dicitur terra horribilis. Et (b) filii Israel murmurantes, ut habetur Num. 20., dixerunt: Quare nos ascendere fecisti de Aegypto et adduxisti in locum istum pessimum, qui seri non potest nec ficum gignit nec vineas nec malogranata, insuper et aquam non habet ad bibendum. De eorum murmure habetur Exodi XVI. et Num. XI. Ex quibus defectus deserti patet. Sed Jeremias quasi omnes defectus deserti complectitur Jerem. II. ingratitudinem objiciens Judaeis, dicens: Vani, id est, ingrati, facti sunt Judaei et non dixerunt, ubi est Deus, qui ascendere nos fecit de terra Aegypti, qui transduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem et inviam, per terram sitis et imaginem mortis, per terram, in qua non ambulavit homo neque habitavit homo, nec incolavit eam filius hominis. Haec ibi. Et Josuae V. latissimà et longissima nominatur solitudo. Insuper Deuteron. 1. dicitur.: Transivimus per eremum

terribilem. Et Eccles. VI.: Lignum aridum in eremo, venat leonis et onagri in eremo. Et Psalmus desertum nomin eremum. Dominus interrupit petram in eremo. Et Exodi II dixit Dominus Moysi: Locus, in quo stas, terra sancta e Et mons Oreb frequenter nominatur mons Domini.

Dicitur etiam desertum terra salsuginis et terra mannati terra faunorum et satyrorum a poetis. Ex quibus omnib venari possumus solitudinis illius et terrae conditiones et pr prietates, tam in malo quam in bono.

Conditiones deserti vel eremi.

Primo regio illa dicitur desertum a deserendo, qu deserta esse videtur quodammodo a Deo, a coelo et a mund A Deo quidem, quia vacua et inanis est, quasi Deus ea n vellet ad universi meliorationem vel decorem. A coelo etia deserta est haec regio, caret enim coeli utili influentia quasi iracundo stellarum aspectu atteritur et ferrea redditu dum coelum desuper immite et sine clementia aeneum videatu Deserta est etiam regio haec ex consequenti ab hominibu qui ab ea tamquam a re inutili se abstrahunt. Secundo dic tur haec regio eremus, ab adhaerendo per oppositum, pro q quod nemo illi terrae adhaeret, propter defectum boni delic bilis. Nam rebus delicabilibus adhaerent homines, sed qu ibi nihil delectabile invenitur, nemo ibi haeret. Vel dicit ab adhaerendo propter terrae duritiam, quae nimis forti sibi ipsi adhaeret, ita, quod nec ligonibus nec rastris n ferramentis potest sulcari.

Tertio dicitur regio haec solitudo, quia sola est n frequentiam hominum habet. Sola etiam est, quia nulla re circumjacens cum terra illa cupit habere conformitatem n confoederationem. Dicitur autem saepe in Scriptura solitu vastissima, quia nullo modo culturae est apta. Ideo dicebu filii Israel murmurantes, utinam mortui essemus in Aegyp et non in hac vasta solitudine, Num. XIV. Dicitur eti solitudo magna, longissima et latissima in Scriptura. In mul enim partibus adeo magna, longa et lata est, quod pertran non potest, nec reperitur homo, qui fines ejus contra orient

attigerit, quia cum careat aquis, nemo tantum saccum ducere potest de aqua, quod sibi sufficiat pro multis mensibus. Unde post solitudinem illam incipiunt montana altissima, quae si quis adscendere posset, in paradisi regionem veniret. Sed Deus posuit in viam flammeum gladium, i. e. immensum ardorem, tantus est enim ibi solis ardor et tanta siccitas, quod impossibile est hominem illa penetrare etiam habitis vitae (23 a) necessariis, quae tamen penitus ibi deficiunt. Quidam tamen sanctorum patrum, ut S. Macarius Romanus et alii quidam, conatum quasi ultra naturam facientes post desertum hoc venerunt in delicabiles regiones, sed progredi contra paradisum nequaquam poterant. Dicitur etiam solitudo sempiterna, pro eo, quod numquam fuit nec erit humanis usibus apta. Insuper solitudo terribilis atque horribilis nuncupatur: terribilis propter montium altitudinem et alienam formam; horribilis vero propter vallium et torrentium immensam profunditatem. Quarto dicitur regio illa imago mortis, pro eo, quod omnia, quae videt homo per dersertum, mortem minantur, cum nihil in se habeat, quo vita humana sustentari queat, montes enim et colles, valles et torrentes steriles sunt et mortis insignia praeferunt. Color etiam terrae dissimilis est colori terrae habitabilis. Relucent enim ex ea umbrae mortis propter adustionis suae nigredinem, nec vivum quidquam in terra illa est, nisi quod vitae humanae insidiatur. Insuper in hujusmodi (rebus) terrentibus pestifera illa coloquintida, quae 4. Reg. 4. mors in olla dicitur, copiose crescit, quam qui comedit moritur. Et ob hanc et alias causas regio illa imago mortis nominatur. Quinto eadem ratione nominatur regio illa terra sterilis, nihil enim ibi gignitur, ut habetur Numeror. 20. Sexto dicitur inaquosa, quia caret aquis, et si aquae aliquae in profundioribus reperiuntur, plenae sunt vermibus et putridae, ideo terra sitis dicitur. Si vero in plano aquae sunt ex aliqua emanatione, plenae sunt serpentibus, si dulces sunt; si amarae sunt impotabiles existunt. Quandoque enim vallis aliqua humorem ex semetipsa gignit, sed inter semetipsum eum servat, paludem profundam facit et in his paludibus pertanseuntes periclitantur. Ex defectu aquae saepe murmuraverunt filii Israel, sed et nos

ipsi sitis squalore tribulati fuimus, ut patebit. Septimo regio illa dicitur terra salsuginis, Jeremiae XVII.: Habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis et inhabitabili. Ros enim cadens terram illam sale conspergit et arbusta et gramina, si qua sunt, infundit; tota enim roris humiditas sal est. Insuper aquae per suffossionem terrae inventae salsae ut plurimum sunt. Reperitur etiam convallis aliqua humorem ex semetipsa gignens salsum, quem continuo calor solis velut hiemalem pruinam in glaciem, ita in salem stringit, et tamquam sudes acutas ex ipso sale efficit, atque ita omnia illa exasperantur loca, ut pertranseuntium terebret et secet etiam calceatos pedes. Octavo dicitur regio illa terra invia Psalm.: in terra deserta invia et inaquosa. Dicitur autem invia, quasi sine via. Ideo Jeronymus in epistola de celebratione paschae dicit, quod hi, qui per solitudines arenosas in interiora austri nulla certa semita gradiuntur, sideribus intendunt; non enim per desertum certae viae esse possunt, etiamsi cottidie esset perambulatio hominum et bestiarum, et hoc ideo, quia venti fortissimi et turbines validissimae sunt in deserto, quibus arena defertur et levatur impetu grandi de tota superficie terrae, et ita currit arena cum vento, sicut aqua mota, idcirco nonnulli desertum nominant mare arenosum. Insuper montes alti arenosi illis turbinibus de loco ad locum transferuntur in una nocte, quod, ubi hodie est planities, cras reperies altum montem repositum. Et ista translatio montium est (b) cottidiana tempore ventorum. Non autem ita fit, ut tota moles simul removeatur, sed superiora a ventis deportantur, usque ad terrae fundamenta, et alio in loco coagulantur, et fit novus mons, quatuor aut quinque milliaribus a primo loco. Nonnumquam autem valles magnae arena replentur, et si duret tempestas in loco vallis, consurgit mons, et ubi nudius tertius vallis profunda fuit, ibi hodie mons eminet. Montes etiam petrosi immobiles arena fluente operiuntur, ita, ut ubi heri apparebant montes petrosi, hodie nihil nisi arena videatur. Et ita via certa esse non potest in deserto. Sunt enim ibi cottidie quasi tempestates arenarum, sicut in mari tempestates aquarum, et sunt periculosissimae; nam tota superficies terrae movetur, et homo nihil videt nisi arenam vehementissime

urrentem, ac si esset aqua, et cum hoc totus aer plenus ulveribus est, ac si esset aer nebulosus, ita, quod homo on potest oculum habere apertum, sed nunc cogitur propter ıcidentes pulveres claudere, nunc propter necessitatem vi- endi cogitur aperire. Cum tanto autem impetu projicitur rena, ut non solum oculos laedat, sed ubicumque corpus enudatum tangit, laedit. Si est ventus contrarius et contra entum procedant, excoecantur homines et nonnumquam ali- ui suffocantur. Quandoque autem est tempestas adeo valida, uod non possunt procedere contra ventum viam suam, sed portet sequi ventum, et durante tempestate dorsum vertere ermino, quo tendebant per multa milliaria. Et nisi natura ocuisset camelos, quod sine errore per invia procedere sciunt, umquam homines desertum penetrare possent. Hoc insuper ericulum accidit, quod dum vallis aliqua de novo est arena mpleta, vel fovea, vel voragines, quod bestiae pertranseuntes um hominibus et oneribus merguntur profundius et nonnum- uam penitus obruuntur. Est autem arena deserti tenuissima, ta, quod optima esset ad horologia arenarum.

Aliud deserti periculum recitat Diodorus ille expertissi- nus, qui 30 annis Asiam majorem pervagatus est, L. 1· . 5. Antiquarum historiarum, dicens: est inter Syriam et legyptum palus admodum profunda, quam Servoniam dicunt atitudine omnino angusta, longitudo super CC stadia proten- litur, locis insciis pericula insperata afferuntur, in arcto enim ontractam arenae cumuli circumstant, qui notis [motis?] ventis gitati in aquam deferuntur, adeo arena densa, ut immixta aquae ontinens i. e. terra firma videatur, neque facile, terra sit an qua, discerni queat. Quo fit, ut plures ignota loci natura, eque viam edocti, vadum tenens [tenentes?] cum omni exercitu bsorpti sint. Nam arenam, quae eminus stare ut continens videtur, ngressi labuntur longius, numquam deinde raptis gurgite egrediendi aut emergendi facultas datur. Limo enim demersi ullam sperant salutem, cum eniti aut uti viribus nequeant, ed absorbeantur in profundum ab arena, aqua circumfusa, um veluti limus neque vado neque navibus sit pervius, quae es barati cognomen dedit. Haec ille. Propter paludem illam oguntur pertranseuntes solitudinis circuire longa terrarum

spatia, ne periculum incidant. Plura de his patebunt in quentibus. Satis iam patet, quare desertum dicatur terra via. Nono dicitur, quod terra illa sit, in qua non ambu homo, Jer. c. 2. et Judith 5. Hoc potest intelligi dupli vel pro principio, ut ante filios Israel nullus homo per desertum transiverit per viam illam, per quam illi circum fuerunt, et ita verum est. Vel ita intelligi potest, quod n homo suis pedibus perambulat hoc desertum et sic it verum est, quia, nisi quis bestiam habeat, in qua ipse necessariis proficiscatur, pertransire non potest, tum pr calidissimam humum, tum propter viarum defectum et n sariorum, quae portare non posset. Ideo Helias prophet illo itinere perficiendo quasi desperans projecit se in u juniperi et petivit, ut moreretur. Et nisi angelus sibi c et potum confortativum ministrasset, hoc iter solus aggr non fuisset. De hoc habetur 3. Reg. XIX. Posset tamen ut plures homines simul ambularent per desertum, sed unus solus, cum contingat in tempestatibus plures e Saepe etiam contingit, quod vehemens ventus elevat pu rem copiose ita, quod aer totus plenus est, adeo, quod s non potest videre socium, nec eum audire, et si tunc b cui insidet, aliam viam vadit, homo ille perit. Si ergo contingit in societate, quo modo posset homo solus pera lare? Decimo dicitur, quod in deserto non habitavit h ideo etiam nominatur terra inhabitabilis. Et hoc regula sancti enim patres ibi habitaverunt, ducentes viam n angelicam, quam humanam, et Arabes hodie ibi habi ducentes vitam bestialem, et non humanam. Sed quia di quod nec bestiae ibi possunt habitare; deinde, quod A ibi vivunt, non ut filii Israel miraculose, nec ut S. ere angelice, nec ut bestiae absque humano opere, sed v diabolice. Sicut enim diabolus circuit quaerens, quem d ret, sic et illi circumeunt extra desertum et praedantur deserto transeuntes spoliant, sicque sunt corporei diabo ducunt vitam (24 a) non humanam, sicut patebit in seq tibus. Locus enim et terra inhabilis est ad inhabitan civiliter vivere volentibus; ideo dicitur: Nec incolavit filius hominis, cum paene tota terra sit arenosa vel saxo

quasi calx exusta, hortis, agris, et vineis ac habitationibus inepta.

Undecimo regio illa dicitur esse serpentum, scorpionum et dipsarum et vermium ac draconum, non quidem tota, sed in partibus suis, cum sit latissima, diversa habet venenata. Filiis Israel fuerunt propter murmur immissi ignei serpentes Numeror. 22 et Rom. 8. Sunt multa loca deserti plena foraminibus serpentum, alia plena scorpionibus et in locis ubi aqua, aliqui sunt dracones et crocodili manent et multa alia genera bestiarum, sicut saepe legimus in Vitis Patrum. Porro uno duntaxat genere nos vexati fuimus: sunt enim vermes quidam rotundi, in quantitate avellanae, nigri, multorum pedum, qui dicuntur pediculi Pharaonis, de quibus humus in aliquibus locis plenus est, et dum homo dormit, accurrunt et subtiliter sicut pulex sanguinem sugunt, post morsum tamen relinquitur una cicatrix et unus livor blavus, rubro permixtus, in quantitate cruciferi denarii, et nisi statim illa cicatrix ungatur et fricetur succo pomi limonis, mox efficitur vulnus incurabile et putridum. Praeter illa gignit humus diversa minuta animalia, quietem hominis impedientia. Sed et pediculi in vestibus excessive numero et quantitate crescunt omni momento. Duodecimo dicitur regio illa locus pessimus, Num. 20. Et hoc propter omnia praedicta et propter aeris malitiam et infectionem; pessimus enim aer per desertum est, durissimus, quamquam aliquando nimis subtilis, calor intemperatus et frigus immensum. In una enim contingit hora itinerantibus, quod nunc sunt in loco, in quo quasi clibano caloribus uruntur, et post modicum in alio loco frigore grandi afficiuntur.

Decimo tertio regio illa est locus faunorum et satyrorum, et sunt dii solitudinum et nemorum, secundum veteris vulgi errorem. Futura enim olim gentibus enuntiabant, non signis sed vocibus, et errantibus vias deserti monstrabant. Unde in Vitis Patrum legitur: dum beatus Antonius per deserta quaereret Paulum, vidit e diverso hominem equo mixtum, cui opinio poetarum Centauri vocabulum indidit. Quo viso, signo crucis munit frontem, et, heus tyro, inquit, quanam in parte Dei servus hic habitat? At ille barbarum, nescio quid, infrendens

et frangens potius verba quam praeloquens inter horrentia ora satis blandum quaesivit eloquium, et cum dextra manus protensione cupitum indicat iter, et sic per patentes campos volitando transmittens se in fugam ex oculis mirantis evenit, stupensque Antonius et de eo, quod viderat, secum volvens ulterius progrediebatur; nec mora, inter saxosam convallem haud grandem homunculum videt aduncis naribus, fronte cornibus asperata, cujus extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Ad hoc spectaculum Antonius scutum fidei arripuit et memoratum animal palmarum fructus eidem ad viaticum quasi pacis obsides offerebat. Quo cognito pressit gradus Antonius et, quisnam esset, interrogans hoc responsum ab eo tulit: mortalis ego sum et unus ex accolis eremi, quos vario delusa errore gentilitas (b) faunos et satyros et incubos colit; legatione fungor gregis meae: precamur, ut pro nobis communem Dominum depreceris, quem pro salute mundi olim venisse cognovimus. Haec bestia loquente Antonius prae gaudio lacrimas fudit baculoque terram percutiens ait: vae tibi Alexandria, quae pro Deo portenta veneraris, quid dictura es bestiae Christum loquenti? Nec dum verba compleverat et quasi pennigero volatu petulcum animal aufugit. Quodam tempore istiusmodi homo unus perductus est Alexandriam et magnum populo spectaculum praebuit et postea, ne cadaver exanime calore solis et aestatis dissiparetur, sale infusum ad Antiochiam imperatori videndum allatum est. Hos ego nec Fauni nec Saturni filios credam, dum homines isti, illi vero animalia bruta sint. Sed possibile est, circa Saturni tempora vel Fauni ex eis ortus est error et de eis primo recitatio inter mulierculas haberi coepit.

Decimo quarto solitudo vel desertum est locus daemonum, unde Tobiae VIII. legitur, quod archangelus Raphael religavit Asmodeum in desertum superioris Aegypti. Et Dominus ductus est in desertum, ut diabolus eum ibi inveniret.

Propter sex sequentes deserti conditiones intrabant olim homines sancte vivere cupientes. Unde in regula beati Jeronymi Cap. IX. laudat Jeronymus desertum, dicens: O desertum decem floribus vernans, o solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus urbs beata construitur, o eremus familiaris

Domino gaudens etc. Mihi oppidum carcer, solitudo paradisus, nam solitudo monachum facit, non publicum. Haec ibi. Ideo Jeronymus multos induxit, ut desertum ingrederentur, singulariter tamen Praesidium diaconum, cui de hoc scribens epistolam dicit: Nuper Aegypti deserta vidisti, intuitus es angelicam familiam, quanti ibi flores sunt, quae spiritualibus gemmis prata vernantia vidisti, serta, quibus Dominus coronatur, ille tibi in pectore ignis aestuat, illa cottidie cogita, tracta, desidera etc. Sed et ipse Jeronymus furenti desiderio solitudinem desiderabat. Unde in epistola ad Theodosium et ad alios anachoretas dicit: Spectarem desertum omni amoenius civitate, viderem desolata ab accolis loca, quasi ad quoddam paradisi instar sanctorum coetibus obsideri; . . . mea . . . . delicta, ne consortio beatorum insereretur obsessum omni crimine caput. Et Augustinus in epistola ad Pastrores dicit: ubi est eremus plena millibus servorum Dei.

Decimo quinto desertum est locus tentationum. Unde Dominus non legitur tentatus nisi in deserto, Marci 1. et Matthaei 4. Quantas tentationes habuerint Sancti in deserto liber Vitae Patrum multis exemplis ostendit. Sed et Deus ibi antiquos patres, filios Israel, multipliciter tentavit, ut patet Exodi XVI. et Deut. VIII., ubi dicitur: Adduxit te Dominus Deus XL annis per desertum, ut affligeret te atque tentaret. Et ibidem C. XIII.: Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat, utrum eum diligatis. Antiqui etiam patres Deum ibi tentaverunt, unde Psalmus dicit: In deserto tentaverunt me patres vestri. Et iterum: Tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis etc. Contra hoc, quod dicitur Deuteron. VI.: Non tentabis Dominum Deum tuum. Jeronymus in tractatu de tentationibus decem enumerat tentationes filiorum Israel in deserto.

Decimo sexto desertum est locus magni meriti. Ideo post deserti rigorem sancti patres acceperunt terrae sanctae possessionem. Et Sancti novi Testamenti propter majus meritum acquirendum deserta ingressi sunt.

Decimo septimo desertum est locus lationis legum et mandatorum, ut patet Exodi XIX. et XX.

Decime octavo desertum est locus mannae et divinae consolationis; Psalmus: Pluit illis manna ad manducandum; et Exodi XVI. Et hodie res cadens per circuitum montis Synai est manna dulcissimum, de quo ego multum vidi et manducavi.

Decimo nono desertum est locus poenitentiae et fugae saeculi. Sic sancti patres poenitere volentes desertum intraverunt, mundumque fugerunt.

Vicesimo eremus ille est locus devotionis et contemplationis. Unde Psalmus: In terra deserta, invia et inaquosa, sic in sancto apparui tibi etc. Et iterum: Dixi, quis dabit mihi pennas sicut columba, et volabo et requiescam. Ecce, elongavi fugiens et mansi in solitudine, exspectabam eum etc. Et tantum dixisse sufficiat de solitudinis notificatione. In sequentibus experientia adhuc alia docebit. Vide etiam de deserto hoc infra fol. 136. B. et consequenter.

De Arabibus habitatoribus deserti et de eorum moribus et insolentiis et miseriis eorum.

(25 a) Deserti vel solitudinis inhabitatores sunt Arabes, miserrimi et bestiales homines, quos nonnulli Ismaelitas esse dicunt, et Agarenos, qui se Sarracenos nominant. Alii eos nominant a proxima provincia, dicentes eos Madianitas. Alii eos Beduinos appellant. Alii eos Zigeros e Chaldaea emersos vocant, quae a septentrione haeret Arabiae desertae magnae. Alii eos ex Aegypto fusos affirmant, ut Diodorus Libr. II. veterum historiarum. Dicit enim, quod Actisanes, qui Aegypti rex summa aequitate imperans latrocinia novo more compescuit, sontes neque morte plectens, neque linquens impunitos, unde omnes reos in unum cogens miti sententia damnavit; amputatis enim naribus in deserta loca ire compulit, ne suis moribus vicinas gentes inficerent, neve eorum erga reliquos injuriae essent occultae, sed ut tamquam in oram deserti relegati omni re egentes cogente necessitate sibi victum exquirerent. Communiter tamen a tota regione dicuntur Arabes. Hi incertis sedibus huc atque illuc semper vagantur per desertum hoc, armati clipeis et hastis, non quidem ut pugnent, quia seminudi sunt, sed ut spolient. Quae suspicio frequentiam in illis locis viatorum congregat

ut imminens periculum mutuo auxilio declinetur, solum enim in interiori deserto habitant et non in interiori, in quo non habitavit bestia, nec homo, nec avis, in eo nutrimenta habere possunt. In locis autem, ubi suspicantur mercatores vel alios transituros, figunt tabernacula, et ubi sunt paludes pro suo et pecudum potu, ubi latitant aut in cavernis petrarum aut in turguriis ex sarmentis factis, et dum aliquos cernunt venire, equos, asinos et cameos suos ascendunt et cum hastis et clipeis in via se ponunt. Prodeunt etiam de cavernis eorum foeminae, seminudae sicut viri, miserrimae ac turpissimae, cum pueris et lapidibus accurrunt partem spoliorum accipere paratae. Crudeliter autem contra advenientes procedunt cum clamoribus et vibratis hastis, et pedites mulieres et juvenes cum lapidibus. Dum autem conveniunt ambae turmae, saevitiam remittunt Arabes et pacifice pedagium exigunt dicentes, se esse dominos deserti et omnium, quae muris non sunt inclusa aut sepibus circumdata, tectis operta aut fossatis munita etc. Porro si pars adversa recusat solvere pedagium, non permittunt eos procedere, nisi sint fortiores se, et hoc viso jam pedagium non exigunt, sed supplices eleemosynam petunt, paucis autem denariis contentantur, et si dantur eis paximatii, gaudentes accipiunt et abire permittunt. Nemo autem faciliter cum eis congreditur nec eos irremuneratos dimittit, quia cum multis turmis deserta perambulant, et dum auditum fuerit, socios caesos aut spretos, confluunt et concurrunt et nimis graves fierent contrariis nec quiescerent, donec eos insequerentur et totaliter spoliarent. Offensi enim crudeles sunt et implacabiles, nisi se vindicaverint, Quapropter S. Jeronymus in epistola ad Dardanum eos nominat barbaros, dicens: Post terram sanctam sequitur vastissima solitudo, plena ferocissimis barbaris. Hanc solitudinem et omnem locum sub divo dicunt esse suum, igitur in omnibus viis ab obviantibus pedagium exigunt, et non solum in deserto, sed tamen desertum dicunt suam propriam patriam, in qua habitant sine civitate, sine villa, sine castro, sine domo, in petrarum cavernis et sub tabernaculis, nec aliunde nisi de praeda vivunt et tantum defectum atque penuriam sustinent, quod apud nos canis sufferre non posset. Si quando autem praedam invenire non possunt, furtis vitam sustentare quaerunt,

cujus gratia suum deserunt desertum, et non solum orientis regiones pervagantur, sed in extremas occidentis partes se diffundunt, ubi nescio qua causa non Arabes, nec Chaldaei, sed Zigari vocantur, quos vulgus noster vocat Zigiuer, qui primo orti e Chaldaea, ut dicitur primo Phys. in supplemento Chron L. IV. in eis conterminam Arabiam desertam descenderunt et inde per regiones diffunduntur, de quibus infra fol. 80. vide. Hi Arabes deserti valde annosi cum (b) his miseriis sunt, et centenarii et vetulae centenariae per desertum leviter sicut canes currunt, semper sitibundi et esurientes rarissime saturantur panibus, et dum solemne instaurant convivium, panes subcinerilios faciunt, carnes vero adhuc cruentas manducant et deficientibus lignis ipsos carnes crudas super latum lapidem ponunt, et ita caro exsiccatur sub lapidibus et calefit, quo facto levato superiori lapide inferiorem pro mensa retinent et ita carnem sine alia decoctione manducant. Vescuntur etiam quibusdam radicibus et herbis et lac camelarum et asinarum bibunt et rodunt durissimos paximatios. Unde de hoc sic dicit Jeronymus contra Jovinum: Arabes et Sarraceni ichthyophagi, Ismaelitae et omnis eremi barbari camelorum lacte et carnibus vivunt, quia hujusmodi animal pro tempore et sterilitate regionis facile apud eos gignitur et nutritur, et nefas arbitrantur, porcorum vesci carnibus. Sues enim, qui glande et castaneis, radicibus, filice et hordeo ali solent, apud eos non inveniuntur, cum haec alimenta non habeant. Hi super petras solis ferventes calore assant pisces de mari rubro captos et hoc solo alimento victitant. Et quia incertis sedibus huc atque illuc in solitudine vagantur, ideo viatores conglobantur, ut imminens periculum mutuo auxilio declinetur. Ex his patet, quod olim sicut hodie deserti perambulatio insecura propter Arabum invasiones, quam passus fuit Malchus, ut habet Jeronymus in epistola captivi monachi, sicut habetur in Vitis Patrum.

De his miseris videtur esse illud Job. 30. Horum, inquit, patres non dignabar ponere cum canibus gregis mei, et vita ipsa reputabantur indigni, egestate et fama steriles, qui rodebant in solitudine squalentes calamitate et miseria, et mandebant herbas et arborum cortices et radix juniperorum erat cibus eorum.

Qui de convallibus ista rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant. In desertis habitabant torrentium et in cavernis terrae vel super glaream; qui inter hujuscemodi laetabantur et esse sub sentibus delicias putabant. Haec ibi. Textus ille ita positus est, ac si litteraliter de illis Arabibus deberet intelligi.

Dum autem spoliis deficientibus in deserto manere non possunt, egestate coacti congregantur per turmas et uxoribus et pueris in deserto dimissis in aliquam regionem incidunt et nocte civitatem aliquam aut villam irrumpunt, domorum ostia frangunt et, quaecumque ad manum venerint, diripiunt et ita cum praeda ad uxores et parvulos in desertum refugiunt, verum homines non occidunt, nisi casu contigerit. Has autem insolentias faciunt in Syria, Palaestina et Aegypto et nonnumquam magnas civitates intrant et exspoliatis aliquibus domibus cum praeda revertuntur, unde bina vice, tempore quo ego fui in Jerusalem, sunt in civitatem latenter ingressi in tenebris et insultum magnum fecerunt, nec potest aliquis eos domare, sed omnes eos timent. Nec hoc videtur mirum scienti Scripturam sacram. Nam tempore potentissimorum regum, quando stabant ordinatissima regimina, terram Arabes illi turbaverunt, ut patet 2. Paral. 21., ubi habetur, quod Arabes ingressi Jerusalem omnia diripuerunt abducentes etiam de domo regis uxores ejus et filios etc. Iidem Arabes in reaedificatione Jerusalem et templi valde infesti Neemiae fuerunt, ut habetur Neemiae II. de Gosem Arabe, qui prohibuit reaedificari Jerusalem. Et Neem. IV. congregati fuerunt Arabes contra aedificantes civitatem sanctam. Et ego credo, si quis hodie conaretur muris et portis ac seris bene claudere Jerusalem, quod Arabes omnibus modis obsisterent. De his Arabibus habetur 2. Maccab. XII., quod collecto grandi exercitu, in quo erant quinque millia viri et quingenti equites, contra Judam Maccabaeum processerunt, sed (26 a) victi fuerunt a Juda et petierunt dextras sibi dari promittentes, pascua se daturos et in caeteris profuturos. Judas autem arbitratus eos sibi in multis utiles pacem fecit et ipsi Arabes discessere in tabernacula sua. Ex hoc textu patet,

quod eodem modo, quo nunc, sic et tunc vexaverunt patriam; et 1. Maccab. II. etiam habetur de eis.

Hos Arabes nullus rex aut monarcha umquam domare potuit, ut dicit Diodorus Veterum Historiarum Lib. III. c. 13. sic inquiens: Inter Syriam et Aegyptum Arabia deserta, inaquosa, in paucis fereus fructus, ideoque latrociniis vicinis gentibus infesti sunt atque invicti bello. Qui regionem aquis carentem tenent, puteos effodiunt exteris ignotos, quae res hostium pericula depellit, nam qui eos prosequuntur, aut errantes siti pereunt fontium inscitia, aut vix redeunt labore defatigati. Ob hanc caussam Arabes ea loca incolentes cum bello expugnari nequeunt. Libere vivunt neque ulli umquam externo regi, non Assyro, non Medo, non Persae profuerunt, nec Macedonum reges eos subdere poterant, quantumvis magnis copiis valuere. Haec ille. Pertranseuntes karavanas regias invadunt, sicut plebeias, nulli parcunt.

Contra hos Arabes infert Dominus onus Esa. c. 21. Saepe etiam egrediuntur desertum penuria aquarum coacti, et cum bestiis suis, uxoribus et filiis in aliquam regionem veniunt et juxta aquas in locis pascualibus tentoria figunt, tabernacula erigunt et ibi in praejudicium incolarum degunt et animalia occurrentia rapiunt, nec est, qui eos audeat tangere, nec revertuntur in desertum, nisi spoliis saturati cum praeda gravi et multa sublata.

Ingrediuntur etiam Aegyptum sicut alias terras, non obstante rege Soldano et Mamuluccis, qui tamen magno odio eos habent. Undique vidi eos dispersos, tam in Syria, quam in Aegypto. Sic et per nostras regiones vagati sunt, sicut patet. Nullam conantur capere civitatem, nec possidere quandam villam, quamvis possent; quia dicunt, quod ipsi soli sint veri nobiles, de praeda et non de laboribus viventes, sub divo in campis et silvis degentes: hoc esse proprium nobilium etc. Hanc opinionem etiam habent nobiles Sueviae, qui nullum ad torneamenta admittere volunt in civitate residentem. Ob hoc Arabes, quamvis sint miserrimi, sunt tamen elati et de superbis moribus et uxores eorum argento et auro ac lapidibus pretiosis sunt ornatae in sordidissimis vestibus et turpissimis vultibus, non enim habent aquam ad lavandum et in

fumosis resident cavernis et tabernaculis. De quibus Job. 39. dicitur: Tabernacula eorum in terra salsuginis.

In hos miseros bestiales homines effudit ipse Machometus maledictus primo venena suae pestiferae doctrinae eosque ad se inclinavit et inde cum eis gladiis, hastis et arcubus caeteras gentes ad se vi duxit et ita mundum pervertit adjutorio illorum miserrimorum, sicut Romulus et Remus attractis ad suam sequelam latronibus, fugitivis, pastoribus pecorum et ignobili populo et confuso Latinorum regno suum regnum sanguine innocentum Romulus imbuit.

Incipit deserti peregrinatio et de triplici via solitudinis, sicut haberi potest ex textu Bibliae, et de via beatae Virginis cum puero Jesu in Aegyptum.

Evagatio per vastissimam solitudinem facilis nunc describenda erit, praecognitis asinis et asinariis, camelis et camelariis, solitudine et Arabibus, deserti incolis. Pro majori tamen intellectu notandum, quod ex Scriptura sacra triplex reperitur deserti via. Alia est enim via, per quam filii Israel de monte Synai venerunt in terram sanctam. Alia, per quam Abraham descendit per desertum in Aegyptum et Jacob et filii ejus, quando fuerunt vocati ad Joseph, et eâdem via creditur descendisse Joseph cum sponsa sua, beatissima Virgine Maria et puero Jesu, in fuga Herodis, Matthaei II. Alia, per quam Propheta Helias et Hlizeus ingressi sunt per desertum ad montem Synai, non quidem simul, sed successive ut habetur 3. Reg. XIX.

Filii quidem Israel fuerunt ducti (b) de Aegypto non directe per viam, quae dirigit ad terram sanctam, sed per viam maris rubri adscenderunt ad montem Synai, sicut jusserat Dominus, nec a monte Synai via propinquiori fuerunt ducti, sed longe per desertum longum ducti et reducti et circumducti, quousque finirentur XL anni. Causa autem, quare non propinquiori via per Palaestinam Aegypto conterminam fuerint inducti, ponitur Exodi XIII. Palaestina enim habuit civitates magnas, plenas gigantibus. Quos si filii Israel in primo agressu vidissent, reversi in Aegyptum fuissent propter

terrorem et nondum completae fuerunt iniquitates Philistinorum, sicut Amorraeorum, ut iam expelli potuissent. Et ita via filiorum Israel fuit multum longa et curva et per desertum ab alia parte maris mortui adscenderunt per regnum Og, regis Basan, et per regnum Seon, regis Amorraeorum, usque ad locum, ubi Jordanis faucibus maris mortui allabitur, et ibi exsiccato Jordane contra Jericho in terram sanctam venerunt. Abraham vero et Jacob et filii eius, Joseph et Maria et caeteri, descenderunt in Aegyptum per viam communem negotiatorum super littus maris magni, habentes ad dextram mare, ad sinistram vero desertum, et hodie communis strata est et via regia descendentium de Gaza in Aegyptum, quamvis et ipsa via sit arenosa et laboriosa, in qua ostenduntur quaedam insignia itinerationis beatae Mariae Virginis et Joseph cum puero Jesu, utpote locus, in quo a latronibus fuerunt invasi et comprehensi. Dicit enim Anshelmus, quod dum Joseph cum Maria Virgine et puero Jesu per viam eam descenderunt et quiescendi gratia in quodam loco residerent Virgoque beata puerum Jesum lactaret, ecce, Arabes latrones de penetralibus erumpentes eos circumdederunt, ut caperent et spoliarent; juvenis autem quidam, filius principis latronum, videns puerum in gremio matris, tactus divinitus miro amore exarsit in puerum, non dubitans, divinum quid in puero latere et postulato puero a matre eum cum ingenti veneratione accepit et deosculabatur dicens: O puer inclite, mihi, dum oportunum fuerit, miserere! Haec dicens cum fletu puerum matri reddidit eosque de manibus sociorum eripuit et via secura ostensa abire permisit. Hic autem juvenis dicitur fuisse latro ille, qui in cruce cum Christo pendens dixit: memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. Tertia vero via est a Gaza in desertum contra montem Synai directe, per quam S. Elias transivit et caeteri sancti, qui visitare montem Dei Oreb volebant. Et haec est via nostra, et modo, qui sequitur, processimus.

Recessus peregrinorum a Gaza contra desertum magnum ad montem Synai.

Nona die Septembris mane venerunt camelarii cum Trutschelmanno et omnem supellectilem nostram eportaverunt in medium curiae ponderantes similia et librantes, ut scirent, quot cameli nobis essent necessarii et inveneruut tantum pondus, quod XXII cameli non sufficerent portare, nec volebant nos ducere, nisi adhuc tres camelos (27 a) disponeremus. Ex hoc autem ortum est magnum litigium inter nos et Trutschelmannum. Nos volebamus, quod ipse expensis suis residuos camelos disponeret, prout in V. articulo conventionis nostrae expressum erat, ut habetur P. 1. fol. 219. Ipse vero noluit hoc facere dicens, multam suppellectilem inutilem (nos) habere, qua rejecta, si defectus esset camelorum, ipse teneretur supplere, alias non. Reputabat enim quasdam res superfluas, quae nobis erant valde necessariae. Antequam autem illas res vellemus abjicere, conduximus expensis nostris adhuc tres camelos. Sic ergo habuimus XXV camelos, XXX asinos, VII camelarios et VI asinarios, duos capitaneos ductores Arabes et duos Sarracenos, Calinum parvum Elphahallum cum juvene Aethiope, et erat summa hominum nostri exercitus XL personae. His itaque compositis affuit hora comestionis. Comedimus ergo et bibimus in laetitia, pro eo, quod tempus recessus nostri advenerat. Emimus autem in fine malogranata, dulcia vel amara, ad placitum, prout unusquisque volebat, ut per viam deserti sugeremus. Erant autem ista poma in optimo foro, nam pro uno madino poterat unus habere XL aut L malogranata magna et recentissima. Transacta itaque meridie venit Trutschelmannus in equo sedens et asinarii cum asinis. Quamvis autem asinarii essent Christiani, tamen ad modum Arabum capita sua mitraverant, ut minus per desertum infestarentur ab Arabibus. Adduxerunt etiam camelarii camelos eosque rebus nostris oneraverunt duas tamen sportas vacuas dimiserant, ad quas posuimus duos milites peregrinos debiles. Cum autem cameli jam onerati essent, jussu Trutschelmanni accinxerunt se milites peregrini gladiis et aliqui emerant arcus et tela ad modum Sarracenorum

et aliqui habebant bombardas et parati cum armis defensionis asinos ascendimus et cum exercitu nostro de civitate Gaza armati exivimus. Et quia in Arabiam divertere volebamus, placuit Sarracenis armatura militum peregrinorum, camelariorum et asinariorum, omnes enim cum gladiis et pugionibus habebant arcus. Si autem in Syriam a Palaestina fuisset iter nostrum, nequaquam nos dimisissent cum armis exire civitatem. In exitu autem urbis descendimus de colle, in quo civitas sita est, in campestria et contra meridiem processimus et Bersabeae civitatem, quae terminum australem terrae sanctae facit, non longe ad dexteram habuimus. Cumque inter hortorum sepes per communem stratam non longe processivissemus, minaverunt camelarii camelos extra viam in agrum quendam et ibi prostratis camelis onera dejecerunt et manere ibi per noctem decreverunt, quod tamen nobis displicuit, quia multum adhuc de die superfuit. Calinus autem major dixit nobis, quod onera camelorum non essent aequaliter divisa et quod jurgium esset inter camelarios, igitur necesse esset omnia ordinare illo sero, quae pro quieta expeditione nostri (b) exercitus expedirent. Campus autem, in quem declinavimus, dicebatur Gasmaha. Descendimus ergo de asinis et tentoria nostra fiximus, sub quibus quiesceremus. Quidam tamen pro sua quiete sibi propria umbracula suis vestimentis fecerant et sub eis quieverunt. Fixis tabernaculis extraximus de sepibus ligna et coximus pro coena cibos et pro prandio diei sequentis. Sic enim fieri oportet, quia camelli onerati a mane usque ad sero continuant gressum nec pausam aut interceptionem patiuntur, et ideo concomitantes eos etiam continuant et prandium sedendo in asinis sumunt et numquam per totam deserti viam potest sumi prandium de cibo calido, aut quiescendo, sed de cibis in sero coctis. Protulimus etiam de saccis nostris vinum pro coena illa et pro prandio crastino, simliter et paximatios et haec aequaliter divisimus singulis; quilibet habuit flasconem, in quam portionem vini accipiebat. Coena parata, quam ad unum ignem coximus, sub tentoriis nostris consedimus et manducavimus; praemoniti autem fuimus, ne umquam omnes simul ad dormiendum nos poneremus, sed semper aliquis de peregrinis vigil exercitum circumiret

aliis dormientibus, ne latrones aut fures occulte subintrarent et nostra subtraherent; verumtamen ista vigilia et custodia erat nobis magis necessaria propter nostros famulos, camelarios et asinarios, quam propter alienos: furabantur enim nobis paximatios, ova et quaecumque poterant, nec poteramus adeo bene vigilare, quin in mane reperiremus perforatos saccos et panes extractos vel ova de sportis sublata. Saepe reperimus eos in facto furti, nec deprehensi erubuerunt, sed potius nos deriserunt. Propter haec ergo post coenam omnes convenimus et ordinem fecimus de vigilibus ulterius ponendis. Cecidit autem sors primae noctis vigilandi post noctis medium super me. Igitur cum sol occasum peteret, stravimus nobis sub papilionibus et posuimus nos dormitum. Sic autem erat exercitus noster ordinatus noctibus. Primo stabant nostra tentoria simul et tabernacula et supellictilia nostra in medio jacebant. Per circuitum autem nostrum jacebant camelarii et asinarii cum suis sarcinulis et cum bestiis, nec patiebatur Trutschelmannus noster, quod aliquis singulariter extra cuneum jaceret aut ambularet longius, nisi quantum opus necessitatis requisivit aequalem elongationem. Eo ergo modo, quo dictum, singulis noctibus rem ordinavimus cum cibo et potu, cum custodia et aliis, ut dictum est.

Porro cum jam noctis medium esset, excitavit me miles, qui ante vigilaverat, ad vigiliam meam complendam et surrexi et exercitum Domini cum psalmodiis circuivi, baculum manu tenens. Subito autem prope nos factus fuit ingens et horribilis ululatus multorum conclamantium et collugentium, nec aliud intelligere potui, nisi quod essent voces hominum lamentantium. Stabam ego et timens ac mirans auscultabam, cogitavi autem, quod forte Sarraceni festum aliquod tragoediarum aut comoediarum celebrarent, aut certe horridum malum vel plaga aliqua subito eis accidisset, (28 a) aut quod satyri et alia deserti portenta per hujusmodi ululatum vellent nobis solitudinis ingressum prohibere. Quid autem fuerit, usque hodie ignoro; quidam tamen dixit mihi, quod esset multitudo luporum ululantium etc. Sed hoc credere vix possum, quia clamor ille subito incepit et post modicum subitus desiit et silentio interposito iterum incepit et interjectiones dolentium habuit.

Clamore cessante processi ad serviendum vigiliae meae et reperi Trutschelmannum Sarracenum Calinum majorem, insistentem orationi flexis genubus et modo sarracenico gestus habentem, cumque me audivisset, oratione cessavit, interrogans me, cur non in tentorio manerem, cui cum dixissem propter custodiam vigiliae, contentus fuit, convertit autem se contra desertum ad meridiem et ostendit mihi stellam perlucidam, noviter ortam, dicens, eam esse et dici ab omnibus stellam S. Catharinae et ecce, inquit, sub hac stella est mons Synai, ad quem tendimus, et quando noctibus erit peregrinandum, non alia via sumus processuri, nisi contra faciem illius stellae processiverimus, usque quo penitus sub ipsa fuerimus in monte Synai. Post recessum vero a monte Synai retrospicere solebam ad stellam illam, eamque vidi in Aegypto existens et in Alexandria degens et per maris longa spatia; tandem autem post transitum Cypri, dum in Cycladum insulas venissemus, eam amplius videre non poteram, propter nimiam elongationem et climatis alterationem. Et ita transivit nox illa prima.

De ulteriori processu in deserto.

Decima die, dum aurora surgeret, surreximus et nos, et dejectis tentoriis depositisque tabernaculis et omnibus colligatis ad recessum nos aptavimus. Porro camelarii nostri tardi erant et quasi cum taedio et involuntarii camelos onerabant et multa de rebus nostris jacere dimittebant, unde magnos clamores et rixas habuimus ad invicem. Nos enim maledictiones teutonicas intulimus et ipsi nobis arabicas et conclamavimus, nec ipsi nos, nec nos eos intelleximus. Taedet me profecto scribere nequitias eorum, quibus nos quasi omni mane in oneratione bestiarum turbabant, cum industria enim aliquid jacere permittebant, vel lectulum, aut sportam, aut saccum, scientes nos oculum habere ad illa. Hoc autem ideo faciebant, ut peregrinus ille, cui derelicta res erat, cogeretur eos petere accipere, et ipsi petebant vice versa eum pro denariis vel panibus, et simulabant, se rem velle dimittere, nisi dato pretio. Et ita in principio ante experientiam et

antequam nosceremus nos invicem, bene multas pecunias et paximatios eis dedimus, sed post acceptam notitiam et cognitam conditionem, imperavimus et coegimos eos facere, quod nobis placuit. Surreximus autem ante lucem et collitigavimus simul usque ad solis ortum et simulabant se cum camelis velle redire in Gazam, (b) quod tamen nobis molestissimum fuisset. Cum ista simulatione valde turbabant nos, tandem Trutschelmannus noster in eos fremuit et omnia nostra recipere coegit et ita a loco et de campo Gazmaha recessimus per planam terram, sed pro majori parte sabulosam et sterilem. Cum autem quasi per unum milliare theutonicum venissemus, Calinus magnus, dominus Sabatithanco, Trutschelmannus noster, magister hospitalis S. Johannis in Jerusalem, Sarracenus, qui a Joppen usque huc in omnibus viis nos conduxit et rexit, recepit licentiam a nobis cum filio suo et commisit nos Calino parvo Elphahallo, Sarraceno, et commendavit camelariis et asinariis et rediit in Jerusalem; non enim tenebatur nobiscum proficisci per desertum, prout continetur in VI. articulo conventionis, ut patet P. 1. Fol. 219. De hoc viro Calino magno et de parvo, nobis derelicto, vide P. 1. Fol. 221. Audivi interim, quod ille Calinus magnus mortuus sit, et filius ejus Abram dictus ei in officio illo successerit. Videbatur mihi esse bonus et tractabilis adolescens, de elatis tamen et superbis moribus. Igitur post Calini recessum, qui huc usque tutor noster fuerat, confortavimus nos ipsos et animavimus ad patientiam et ita processimus. Vidimus autem ad dexteram mare magnum, quod non vidimus a die, qua de eo a Joppen recessimus, vidimus etiam stratam publicam, quae ducit in Aegyptum, et civitatem Bersabeae, finem terrae sanctae, vidimus illo die. Insuper autem nos vidimus terram desertam et vastissimos montes, contra quos quasi pavidi processimus, quia videbatur nobis terra tenebrosa et montes caliginosi, non quidem ex nebulis aut vaporibus, sicut plerumque contingit, sed ex terrae vastitate. In processu venimus in campum arboribus diversis et magnis repletum, in quo creditur Helias sub junipero quievisse et confortatum ab angelo fuisse, ut habetur 3. Reg. XIX. Ibi stabant therebinthi multi, in via vero stabat una arbor densa, quae florebat et suavissimum odorem flores

ejus dabant, fructus tamen flores illos delectabiles subsequentes non sunt, nisi spinae acutissimae, albae quidem usque ad aculeum, quem rubeum habent, ac si essent sanguine tincta, et est adeo acutus, quod levissimo et tenuissimo tactu laedit manum, creduntque nonnulli aculeum veneno ex sua natura infectum, ut ea de causa ita faciliter laedat. Nonnulli dicunt coronam Domini Jesu de talibus spinis plexam, cum etiam circa Jerusalem crescant. De his arboribus spinosis multas per desertum vidimus, volui tamen de hac specialem facere mentionem propter Sarracenorum et Arabum superstitiones, quas exercent juxta eam. Nullus enim per eam pertransit, qui non de sua veste peciam discerpat et peciam ad arborem suspendat, unde adeo repleta est peciis dilaceratis, quod homo a longe eam videns putat, eam habere folia alba. De hoc vide infra fol. 33. (a) et fol. 63 dicitur causa illius ritus. Stabant etiam ibi multae et magnae arbores fici, sicut querci, quae pendebant plenae fructibus, alterius tamen speciei a ficubus communibus, de quibus collegimus et comedimus. Dicuntur tamen ficus illae ficus Pharaonis et septies in anno producunt arbores illae fructus ex se, non mediocres, sed bonos valde.

(29 a) Die advesperante venimus juxta quandam villulam Lebhem dictam et ibi depositis sarcinis et fixis tentoriis manere oportuit. Libenter enim nos peregrini longius processissemus, sed ductores nostri nolebant. Dixit autem nobis Calinus, quod quieti essemus, quia statim venirent dies et loca, in quibus labor et miseria nobis immineret et bestiis, ideo non oportere in principio festinare, sed paulatim arduum laborem aggredi. Porro tentoria nostra fixa erant juxta quendam puteum, cisternam veterem, magnam et altam, quae non habebat aquam, nisi modicam crassam. Hanc cisternam nominant Sarraceni puteum S. Mariae. Dicunt enim, quod Joseph ducens Virginem cum puero Jesu in Aegyptum defectu aquae coactus a via regia huc declinavit et hic aquam accepit, Christo filio, matri et pro se. Nos vero, quia aquam non reperimus in eo, misimus asinarios nostros cum asinis et utribus ad alium longe distantem puteum et aquam inde nobis attulerunt. Stabat etiam prope nos muschea, quae erat villae

parochia, in hanc ingressi fuimus eamque lustravimus cum derisione superstitiosi et fatui ritus Sarracenorum.

Quidam miles de peregrinis, aliis de muschea fugientibus metu Sarracenorum, mansit in ea et gravatus somno posuit se in ea dormitum et obdormivit; dum autem coenare deberemus, non apparuit ille et cucurrimus per campum ad quaerendum eum, sed minime invenimus, nec erat cuiquam suspicio, quod in muschea quiesceret, propter periculum, quia, si aliquis Sarracenus eum in fano reperisset, vel eum occidisset vel captivum duxisset. Et eramus multum turbati de perditione socii. Tandem autem, dum satis dormivisset, de muschea venit ad nos et duplex gaudium habuimus pro eo, scilicet, quod non fuit perditus et pro eo, quod a nullo Sarraceno fuit inventus. Dispersi autem sumus per campum et ligna collegimus pro igne ad instaurandam coenam et coquendum pro prandio futurae diei, ut supra dictum est. Coena autem facta quieti nos dedimus, ordinatis tamen vigilibus, sicut patuit supra.

Processus in desertum Cades Barneae.

Undecimo die, qui est Protei et Jacynthi martyrum, sed et Felicis et Regulae martyrum apud Thuregum quiescentium, ante lucem excitati fuimus et ad recessum nos disposuimus, cum multis autem rixationibus et clamoribus bestias oneravimus et camelarii nos et nos eos valde turbavimus, quia infideliter egerunt nobiscum, ut praecedenti die dictum est. Inde autem recedentes in campum sterilem et latissimum venimus, cujus finem videre non potuimus, nisi a parte occidentali, ubi mari magno terminabatur, quod tamen longe distabat.

Porro in illis campestribus nec homines nec bestias vidimus, nec habitationes, nec domos, nec arbores, nec gramina nec arbusta, (b) sed solum terram arenosam et solis ardoribus adustam. Per hanc latitudinem processimus multis horis cum taedio afflicti calore solis. Post meridiem autem in terram venimus tumorosam et collibus inaequalem sed sterilem, et ibi inter duos colles tentoria fiximus hora vespertina. Dicebatur autem locus arabice Chawatha, in quo multa signa et

vestigia reperimus, quod olim fuerint hominum habitationes. Reperimus enim supra nos XII magnas muratas cisternas veteres, per quarum circuitum jacebant multae fracturae laterum et fictilium et scoriae fabrorum, et videbatur nobis, quod illae cisternae non fuissent factae pro aqua potabili recipienda, sed ut in eis limus praepararetur pro lateribus et fictilibus. Vidimus autem in ipsis cisternis cadavera magnorum et horridorum serpentum et animalium nobis incognitorum. Reperimus etiam unum coemeterium gentilium et alias multa foramina et fossas factas ab hominibus ad quaerendum marmora alba, quae de visceribus illius terrae extrahuntur. Secundum omnem loci illius situm puto, regionem illam esse Cades Barneae, in qua fiximus tentoria cum festinantia, ut coqueremus nobis escas, nam illo die nondum pransi fuimus. Praecedenti enim vespera paravimus nobis carnes pro prandio illius diei, sed dum carnes de sacculis produceremus in asinis sedentes, reperimus eas putrido foetore infectas et cum nausea eas projecimus et caseum cum paximatiis vel biscotis pro prandio sumsimus, excessivus enim calor, quem habuimus, per latissimum campum nobis carnes corruperat. Misimus autem asinarios nostros cum utribus et amphoris ad afferendam aquam recentem de quadam longe distante cisterna, nos vero per regionem dispersi sumus ad colligendum sarmenta et ligna pro igne, sed non reperimus nisi arida arbustula, quae ex humore praecedentis hiemis creverant et iam funditus exaruerant; has cum radicibus de humo extraximus et cumulum magnum pro igne comportavimus, nec erat aliquis inter nos, qui ab hoc labore haberetur supportatus; currebant enim per campos sacerdotes religiosi, comites, carones et milites ad colligendum ligna aut materiam combustibilem. Sarmentis autem comportatis diu cum desiderio exspectavimus aquas, sed tardabant asinarii valde, quia pastores regionis eos a puteo repulerant, et cum hoc puteus longe distabat. Tandem autem obtentis cum difficultate aquis venerunt in occasu solis cum utribus repletis. Erat autem nobis primitus valde abominabilis aqua in utribus, quia de utribus colorem rubeum quasi sanguinolentum et saporem salsum contraxit ex corio et omnem qualitatem delicabilem amisit in utribus et cibi cocti

cum aqua illa colorem et saporem pellis novae contraxerunt. Sed et amphorae nostrae, viasci et flascones, ad quae de utribus aquas recepimus, eodem foetore infecta erant. His tamen non obstantibus ad tantam sitim saepe venimus, quod deficientibus aquis in nostris amphoris ora nostra ad utres posuimus et aquam infectam de foetida pelle sugere delicias computaremus et magnas grates (30 a) camelariis et asinariis diceremus pro admissione ad illam emulsionem, imo saepe denariis argenteis emimus, ut de pelle carnulenta et foetida aquam sugere possemus. Igitur coena facta stravimus nobis sub tentoriis et non sine timore dormivimus, nam humus illa erat multis foraminibus serpentum perfossa, a quibus inifici timuimus. Sed Deo protegente nihil molestiae illatum fuit nobis in illo loco.

Ulterior contra desertum processus ad interiora.

Duodecimo die mane ante lucem camelos oneravimus et asinos stravimus et de Chawata in tenebris recessimus, lentissimo autem gradu procedere coacti sumus cum camelis et asinis pro eo, quod tota terra illa fuit cavata per aspides et serpentes et ubique erat plena foraminibus, ita, quod bestia raro potuit passum facere vel pedem ponere sine immersione profunda, nec erat peregrinus, qui illo mane non cecidit ter aut quater de asino cum cadente bestia. Porro unus de nostris camelariis viso longo et magno serpente arcum tetendit eumque sagitta laesit, vipera autem laesa in altum se tulit et quasi ad vindicandum se contra laedentem conabatur, qui evaginato gladio serpentem per medium divisit et partes a se invicem longius projecit, jubens nos per medium procedere, ne partes iterum reunirentur; putavit enim partes reuniri, nisi homines per medium partium transirent. An autem hoc sit superstitiosum, nescio. Nam et in nostris partibus idem vidi fieri in serpentum divisione. Transivimus autem bene per duas horas vel tres in illa forata terra, per quam nequaquam potest esse transitus in vere, quando aspides et serpentes suum cursum habent.

Deinde in desertiora loca venimus, et incepit regio magis ac magis deserta et inhabilis fieri. In locum autem quendam venimus, in quo videbatur fuisse concursus multarum aquarum, quasi lacus ibi fuisset, et ibi erant multae foveae magnae ex aquarum decursu factae, et licet regio ibi esset plana, terra tamen erat distortissima, et oportebat nos sine intermissione ascendere et descendere cum magna fatiga. Porro in meridie veram regionem vastae solitudinis attigimus, in qua profecto non habitavit homo nec habitare potest. De planitie enim montana ascendimus in terram solis ardoribus adustam et penitus infructuosam, montibus scopulosis et collibus arenosis, torrentibus saxosis et horribilibus plenam. Intrantibus autem nobis solitudinem habuimus obviam karravanam i. e. exercitum hominum cum camelis et asinis et vehementer expavimus timentes, eos esse latrones eremi. Sed cum convenissemus, nullus se movit contra nos et cum silentio ambae turmae se invicem pertransibant. Valde enim formidulosi fuimus ad quorumcumque contravenientium aspectum, quia multa mala fuerunt nobis praedicta, quae passuri essemus ab Arabibus per desertum. Post hoc in quendam districtum venimus et a longe tentoria (b) et tabernacula vidimus secus viam nostram, quibus visis contristati fuimus et ad sustinendam tribulationem nos praeparavimus, non enim est ibi locus praeparandi se ad defensionem vel ad repugnandum, sed solum ad patienter sustinendum et ad succumbendum. Cum ergo ad illa tentoria venissemus, stabant quidem ante tentoria viri nigri orientales cum lanceis, parati ad se defendendum, non ad invadendum, et nos respiciebant, nec verbum unum loquebantur nobis. Celeriter ergo eos cum silentio pertransivimus contenti de eorum quiete, sicut et ipsi de nostra, si quidem et ipsi formidabant.

In processu ulteriori venimus in campos adustos et latos, per quos ad magnum spatium patebat inspectio deserti. Et vidimus in multis locis prope et longe a nobis fumos quasi ab ignibus ascendentes, de quibus perterriti fuimus, quia putavimus, ignes illos esse exercituum et turmarum Arabum. Sed Calinus dixit nobis, et experientia nos edocuit, quod in illis locis nec homo nec ignis esset, sed venti flantes turbines

excitant, et tenuis arena et terrae pulvis elevatus in altum apparet esse fumus ab igne.

Porro, die advesperascente ingressi sumus regionem, cujus montes, colles et humilior terra et omnia, quae apparebant, erant alba. Interea in unum torrentem venimus, quem nominabant Gayan, in quo tentoria fiximus in albissimo solo. Ibi cum multis laboribus et discursibus vix potuimus congregare materiam pro igne, non duo ligna, quia nulla ibi penitus erant, sed arida arbustula, quae tempore remissi fervoris humore habito de terra saliunt et ad solis tactum arescunt, et sunt potius herbae quam arbusta. Sunt autem omnia ita reperta spinosa et odoris aromatici et fumum suavem faciunt. Coximus ergo et coenam fecimus, sed et nostri camelarii et asinarii collegerunt cumulum sarmentorum ad coquendum sibi subcinericeos panes, quos sic faciunt. Incendunt ignem copiosum et juxta ignem expandunt pellem in terram et super pellem effundunt farinam, quam secum ducunt, in quam aquam fundunt et pastam faciunt. Pasta parata et in panem latum et tenuem formata et sarmentis igne consumtis, carbones removent a loco, ubi ignis arserat, et pastam ad locum calidum illum ponunt eamque cineribus et carbonibus cooperiunt, et ita coquitur et fit panis subcinericeus valde sapidus. Mox autem accepto pane calido in frusta et morsellos confringunt in unum capisterium et oleum olivae superinfundunt, impinguantes morsellos, et ita manducant, sicut nos offas solemus manducare. Et quando istum cibum comedunt, gaudent et aestimant se regalibus deliciis frui. Quando vero ignem habere non possunt, soli suum cibum coquendum exponunt, in mediis enim aestibus diei ardor fornaci Babylonis comparatur, tanta enim vis solis est, ut quibuslibet coquis ad pulmenta sufficiat, unde S. Pastumius vidit in deserto ollam cum oleribus sine igne fervere, ut habetur in Speculo Histor. L. 19. C. 14. Carnes autem assant inter lapides a sole calefactos, ut dictum est supra Fol. 25. (b) Igitur in illo sero incepimus cibos de nostra (31 a) provisione accipere, quia omnia recentia, quae de Gazara tuleramus, consumta erant. Cum autem jam sol occasum petiisset, jussit Calinus ignes ex toto exstinguere, ne quidem favilla aut scintilla in tenebris reluceret, et commisit diligentius vigilare,

dicens, locum illum insecurum et frequentibus incursibus Arabum formidulosum. Et ita custodes diligentes posuimus et dormire incepimus nec aliquam inquietudinem passi sumus, quamvis in terribili loco essemus.

De periculo tempestatum in arena.

Tertia decima die transacta media nocte surreximus et dejectis tentoriis ac involutis et rebus bestiis impositis a deserto Gayan recessimus. Statim autem ad montem arenosum venimus, quem cum difficultate ascendimus, quia noviter per ventum tempestuosum illuc fuit translatus, et nondum erat arena bene condensata et bestiae incidebant sicut in profunda nive. Insuper ventus in praesentiarum flans sub pedibus nostris arenam tulit et montem iterum deportare et transferre ad locum alium institit, et ipsum jugum, in quo processimus, ad horam continue defluxit, sicut aqua agitante vento, nec valuimus ab alia parte in torrentem descendere propter defluentem arenam, ne in tempestatem veniremus. Magis enim in illis terris, quam in ullo mari naufragium patiuntur, qui in arenarum tempestatem venerint. Tandem autem, sicut oportebat, in vallem descendimus non sine arenae molestia, qua profusi fuimus, cujus profusio in centuplo nobis fuit molestior, quam quantacunque abundantia pluviae. Cum in vallem venissemus, per jam injectam arenam descendimus. Erat autem vallis stricta, cincta ab utraque parte montibus arenosis, et si, quod clementia divina nos tuita avertit, facti fuissent venti contrarii, ab utraque parte arena in vallem defluxisset, et nos usque ad suffocationis pericula coangustasset intolorabilis tempestas, prout saepe perambulantibus desertum in locis istis contingere solet. Repente ergo recurvam vallem processimus et in unum magnum torrentem venimus, quem Arabes nominabant Wadalar. Hic torrens, ut vestigia patentia ostendebant, suo tempore redundat aquis, quas per suum alveum transmittit in mare magnum, quia directe od plagam vergebat maris. Montes hunc torrentem cingentes non erant arenosi, sed petrosi, unde in suo fundo fruteta, arbusta et herbae erant; inter herbas autem alias quaedam erat, quae da sua radice multos ramusculos emittebat,

non quidem in altum, sed super terram trahebantur in longum per gyrum radicis, et pendebant in ea multa mala pulchra, viridis coloris glauco mixto, in quantitate (b) duorum pugnorum, formae sphaericae. Haec poma dum vidissemus, allecti pulchritudine cecidimus de asinis et collegimus carpentes, nostri autem ductores cum risu processerunt scientes vim illorum malorum, quam nos ignoravimus, sicut nec ipsa poma novimus nec umquam videramus. Carpentes autem poma quidam statim ad os applicuerunt, ut ederent, sed tanta erat amaritudo, quod labia ante dentium appositionem obstupescebant et contrahebantur, nec alicujus animalis fel quantumcumque acutum est tam immensae amaritudinis. Unde in multis horis habui os infectum, solum ex appositione. Erat autem cucurbita silvestris, quam coloquintidem nominant, quae dicitur 4. Reg. IV. mors in olla. De illis pomis accepimus ad nos et volebamus deferre in patriam, sed tam acuta fuit earum amaritudo, ut omnia inficeret, quae tangerent poma illa. Unde manus nostrae multis diebus erant amaritudine infectae, quae nec aqua nec aliis fricationibus potuit abstergi, et cultelli nostri similiter, quibus ea divisimus. Duo poma ego prima vice posui in sportam nostram, in qua habui carnes et paximatios et caseum, quae ita infecta amaritudine fuerunt, quod ea nullo modo potui gustare, et ita carnes, panes et caseum simul cum coloquintide coactus fui effundere, sed et sporta contraxit amaritudinem, ita, quod ea, quae postea imposui, amara fierent. In illo ergo torrente per virentia illa processimus contra occidentem sequentes torrentis alveum. Verum cum multum descendissimus, defecerunt montes petrosi, et iterum in arenam tenuissimam et subtilissimam incidimus, quae de montibus in vallem fluebat, et in illo loco nec gramen nec folium nec quidquam viride apparebat; nulla enim ibi gramina sata provenire possunt, quippe instabili loco arentibus arenis ad omnem motum ventorum cedentibus. Ea ibi sola messis est, quae celeritate proventus per naturam solis sive aeris ventorum casus evadere solet. Fertur enim, quod in talismodi locis a die jacti seminis 30. die maturescunt. Cum ergo venissemus, ubi limbus vallis humilior esse coepit, avertimus nos a torrentis fundo et marginem ascendimus arenosum contra

meridiem et ab alia parte descendimus in alium torrentem, qui vergebat contra orientem a meridie, per quam aquarum decursus dum est, defluit in mare mortuum. Si quis per illum torrentem ascendisset, forsan ad X milliaria ad mare mortuum venisset, quod suam linguam extendit a Sodoma usque in solitudinem hanc. Porro torrens ille petrosus erat, montesque utrinsque lateris cum petris et rupibus erant albissimi, ac si omnia essent nive operta. Directe autem hunc torrentem transgressi sumus, nec per eum ascendimus nec descendimus, sed ab uno margine descendimus et per alium limbum ascendimus. Dum autem in altum venimus, in jugo paululum processimus, quia per abrupta descendere non statim potuimus, scopulis in modum dentium ab inferiori porrectis; opportunitate vero descendendi nacta per prona descendimus, et in alium torrentem profundum, (32 a) saxosum, asperrimum et penitus sterilem, omni viriditate carentem, incidimus, qui dicebatur Magdabee. In ille torrente in loco quodam satis rigido prostratis camelis et oneribus solutis tentoria fiximus et ad manendum ibi illa nocte nos disposuimus et asinarios nostros pro aqua ad quandam paludem misimus, quam dicebant non longe distare. Non enim cum exercitu nostro ausi fuimus tentoria figere juxta paludes aut cisternas deserti, quia, ut communiter, ibi Arabes sua tabernacula figunt, quibus cohabitare erat grave. Nos etiam per torrentem pro sarmentis colligendis ad ignem nutriendum dispersi sumus, quousque asinarii cum aqua venirent, quorum adventum cum desiderio exspectavimus propter aquam recentem speratam; laboriosum enim diem habuimus et calore incensi sitibundi eramus. Cum autem asinarii venissent cum aqua et eam de utribus in utensilia coquinae transfunderemus, non apparuit aquae species, sed potius lactis. Erat enim aqua albida et crassa et magis appetitui contraria, quam illa, quae in utribus erat inveterata et rubra ac amara facta propter corium. Accepimus ergo illam aquam albidam et cibos cum ea coximus, rubram autem pro potu bibimus. Attuli autem Calino cyathum cum aqua albida et alium cyathum cum aqua rubra interrogans eum, quae sanior esset ad potandum? Et respondit, quod aqua alba esset mala et insana, rubra vero ex corio et acuta esset non solum non mala, sed medicinalis

et valde utilis. Ex hoc ausum accepimus sine metu bibendi aquas utrium. Cum autem pro coena fecissemus iguem, ecce ventus vehemens surrexit a mari magno sursum per torrentem flans et sarmenta ardentia dispersit ignemque exstinxit, ita, quod nocte illa coquere nequivimus. Insuper pulverem terrae elevavit et tentoria nostra et lectulos replevit et omnia, quae habuimus, pulveribus et arena erant respersa, unde illa nocte stetimus in pulveribus sicut in nebula spissa, non stante vento mota, et totus torrens erat tenebrosus, aer caliginosus, et coelum videbatur atrum propter densitatem pulverum. Ideo omnes eramus sicut coeci, mediis oculis respicientes, nec poterat dormiens adeo caute se suis stratis involvere, quin subintraret ventus cum pulvere. E regione autem maris magni hic ventus processit et tempestas magna in mari erat, quia vidimus corruscationes et fulgura in parte maris, quae ibi non fiunt, nisi cum vehementi maris concussione. Cum autem nos iam ad quietem posuissemus, venit peregrinus ille, qui vigil erat pro ista nocte, in tentorium nostrum denuncians nobis, quod duo Arabes vagi ingressi essent nostrum exercitum, et se juxta nostrum tentorium locassent inter saccos et sportas nostras. Surrexi ergo, quia tunc eram nostrae societatis procurator, et inveni illos duos vagos et aperto uno sacco tradidi eis paximatios pro sua coena et eorum amphoram replevi aqua de utribus nostris et signavi eis, ut recederent a tentorio et rebus nostris, quod et fecerunt et gratissimi de dono eis collato exstiterunt. Si nihil dedissemus eis, a nobis non recessissent et in duplo plus furati fuissent. Manserunt autem in exercitu nostro per aliquot dies, quia quorundam camelariorum notitiam habebant, alias non sustinuissemus eos nobiscum. Observant (b) enim latrones deserti Arabes tempus tempestatum, et aere obtenebrato et hominibus quodammodo excoecatis se in exercitum ingerunt et furantur, quaecumque inveniunt. Et quandoque aliqui tribus diebus proficiscebantur nobiscum, quos nemo novit, et unde aut quando invenerint, nemo scivit. Unde ideo Calinum rogavimus, ut illos nobis ignotos repelleret, qui dixit, quod per diem neminem posset a nobis repellere, sed noctibus vellet eos extra nostrum cumulum jubere discedere, suasit tamen, imo petivit nos, quatenus sic occurentibus non

denegaremus panem et aquam, et securiores essemus. Unde semper in sero omnes nobis ignotos convocavimus et eis panem et aquam ad mensuram participavimus hortantes eos, ne se juxta tentoria nostra locarent, sed abirent, quod si secus facerent, eos cum fustibus et baculis a nobis repellere vellemus, sicut nec nostros servos accumbere nobiscum permisimus.

Gravis et singularis casus F. F. F.

Quarta decima die, quae est exaltationis S. crucis, et erat dominica XV. post Trinitatis, mane ante lucem surreximus disponentes nos ad recessum. Orta est autem iterum dura et grandis altercatio inter peregrinos et camelorios et asinarios, sicut quasi singulis diebus contingere solebat. Hoc enim detestabile malum in hac peregrinatione sustinuimus, quod famuli nostri, quos grandi conduximus pretio et excessiva pecunia emimus, pro nostro famulatu erant nobis infideles et furabantur omnia, quae poterant. Noctibus occulte ad saccos paximatium se conferebant et foramina lacerabant, et quanta poterant accipiebant, forabant enim rodentes sicut glires, nec poteramus adeo diligenter vigilare, quin omnibus noctibus rapinam a nobis deportarent, sunt enim artificiosissimi fures, scientes in oculis intuentium rapere. Ad hoc etiam erant involuntarii ad tollendum supellectilem nostram, propter quam tamen ipsos cum camelis emimus, et omni tempore instante oneratione abjiciebant res nostras et nobiscum contendebant, nec pacifice tollebant abjecta, nisi novum argentum, quod dare minime tenebamur, viderent. Supra modum saepe turbaverunt nos illi miseri; si non timuissemus majus periculum nobis superfuturum, saepe verberibus et plagis eos affecissemus, quia eos vivos deglutire potuissemus, ut communi modo loquendi utar. Multa in his vindictae divinae commisimus et injustitias manifestas toleravimus. Igitur oneratis bestiis a deserto Magdabee recessimus et intravimus vastiorem et horribiliorem solitudinem, quam heri et nudius tertius habuimus, nec amplius aut hominum aut bestiarum deprehendere vestigia poteramus. Igitur gressum et transitum contra S. Catharinae stellam accepimus sine via per

torrentes, valles, montes et colles progrediendo versus plagam meridionalem. Interea regionem et desertum Gebelhelell arabice dictum ingressi sumus, in quo deserto altissimi montes sunt coagulati limpidissimis rupibus, et toto die illo inter medium montium transivimus. Sole autem occasum petente in desertum Magareth dictum venimus sub montanis in locum arenosum ibique tentoria fiximus et sarmenta comportavimus ad coquendum. Porro prope nos, ut apparebat, erat mons singularis rotundus altus et ad ascendendum facilis, in ejus cacumine quasi quoddam aedificium apparebat; hunc montem (33 a) desideravi ascendere ad videndum, quid esset in eo, et ad circumspiciendum per desertum. Grave tamen mihi erat solum ire nec spem habui de inveniendo socio inter peregrinos. Assumsi tamen animum et derelicto exercitu quasi oraturus solus in campum processi et in cumulos arenarum veni, inter quos deambulans contra montem festinus ivi nullo sciente. Post horae autem spatium ad radicem montis veni, multum autem fefellit me montis aspectus, qui remotior a nostris tentoriis distabat, quam aestimabam, et multo altior et major erat, quam apparebat. His tamen non obstantibus coepta perficere volui et per montis clivum praecipitem intra scopulos et per saxa asperrima ascendi et cum multo labore et sudore usque in ejus cacumen veni, ubi nihil aliud inveni, nisi magnam congeriem lapidum super se invicem positorum in altum. Steti ergo et circumspexi et nihil vidi per circuitum, nisi vastissimam solitudinem, montibus, collibus et torrentibus distortam, in qua nec bestiae nec aves nec homines habitant, tentoria autem nostra et exercitum videre non potui propter remotionem, montes autem albos et nigros vidi et totam terrae superficiem solis ardoribus adustam, nec aliquid viride vidi parvum aut magnum, sed infelici sterilitate maledictum. Cumulus autem lapidum in cacumine erat viae signum, nam ubique per desertum in acutis montibus sunt cumuli lapidum erecti, quibus monstratur, per quas valles sit ingrediendum, et nisi illa signa essent, nemo posset desertum penetrare, quia ut plurimum majores valles non perviae sunt, sed in extremitatibus clausae, et ita postquam aliquis tribus aut quatuor diebus ambulasset sequens vallis viam, tandem redire cogeretur. Sic etiam est in mari

scopuloso, in quo in collibus ponuntur viae maris signa lapidum cumuli; quae si non essent, multae naves montium vias ingredientes syrtim et charybdim inciderent. Sic et hic multi homines perirent, si illa signa in montibus non essent. Verumtamen Sarraceni et Arabes signa ista etiam in superstitiones et abusus convertunt, montes enim certis temporibus ascendunt et juxta signa Machometum invocant et in ejus honorem ista signa exaltant, nam cumulus ille plenus pendebat panniculis et peciolis camisiarum et vestimentorum. Istis enim solent loca, in quibus aliquid divinum esse putant, honorare, ut patet supra fol. 28 b. Nam dum quis orationem finit, a vestimentis suis peciolam discerpit eamque ibi suspendit et vadit. Causa illius stulti ritus ponitur fol. 53 a. Arripui ergo panniculos et peciolos et omnia de lapidibus in terram projeci et cruces apposui, in summitate vero cumuli crucem de arundine factam locavi et super latos lapides cruces cum aliis acutis lapidibus depinxi, memor exaltationis sanctae crucis, quae erat illo die, ut pagani ascendentes titulum Christi ibi invenirent et Christianos ibi fuisse deprehenderent.

Post hoc cum descendere vellem, acutius visum per campum duxi, ut tentoria nostra viderem et gressum meum ad ea dirigerem, sed nihil videre potui nec fumum ab igne nostro et prae angustia tremere coepi timens, ne forte per invia illa ad socios non scirem viam et declinarem huc vel illuc errando et tenebrae noctis me comprehenderent, quia, si quid horum accidisset, filius mortis fuissem. Hoc autem solum consolabatur me, quia per arenam transiveram et vestigia impresseram, quae sperabam me secuturum. Descendi ergo et in pede montis vestigia quidem mea inveni, sed paene obvoluta, ventus enim ea obtexerat et si (b) ad modicum tempus plus in monte tardassem, totaliter vestigia operta fuissent et ego pro certo vitae meae spem amisissem, adeo enim eram alienatus, quod ad quam plagam me verterem ignoravi, quia grandis planities sub monte fuit, in qua tamen multi aggeres arenarum erant et cumulis terra tumorosa fuit. Secutus ergo fui mea vestigia ad aliquod spatium, sed dum in altiorem terrae situm venissem, penitus deleta erant, nec ea

quovis modo videre poteram; cum multo autem timore circuivi et reversus per nova iam facta vestigia ad loca, ubi antiqua videram, ut diligentius ea observarem, sed non inveni et infremui in me ipsum gravissime arguens de curiositate et de praesumtione et non longe aberat, quin mihi ipsi prae tristitia barbam evulsissem, faciem caecidissem, pectus durius verberassem, o, inquiens, heu me miserum, cur dereliqui socios meos! qua temeritate in hac terra invia et horribili recessi a fratribus! ubi eos putas inveniam? ad quam plagam pergam? Ecce, sol in occasum jamjam mergitur et tenebrae subsequuntur et ego jam non Felix, sed infelicissimus, quo ibo, quo curram? O Deus meus adjuva me! Et haec dicens subito prorupi in ultimum psalmum de VII. poenitentibus: Domine exaudi. Et orationem pulchram et efficacem in eo reperi. Processi ergo in incertum cum illo psalmo et saepe eum repetii et tandem ad unum altum arenarum cumulum veni, in ejus latere antiqua mea vestigia inveni; quae si libuisset, libenter deosculatus fuissem prae gaudio. Numquam me ipsum cum tanto gaudio intuitus sum, sicut in his vestigiis. Dum autem actus imitarer et sequerer vestigia, incidit mihi, quod forte essent vestigia alicujus Arabis, et coepi dubitare, quod non enderent ad plagam, a qua processi. In hac ambiguitate diligentius imitabar vestigia et vidi, ea esse calceati hominis, Arabes autem nudis pedibus per desertum currunt et iterum consolatus processi et a longe vidi aliquid album et putavi esse tres Sarracenos vel Arabes, qui omnes albis linteamentis nduuntur, sed dum propius venissem, erant nostra tentoria, contra quae genibus flexis Deum laudavi et numquam amplius societatem derelinquere proposui. Inveni autem duos peregrinos coenantes sub tentoriis, ad quos dum ingressus fuissem, arguebant me de tarditate veniendi ad coenam dicentes, e diu me exspectasse. Quibus respondi, me occupatum uisse. Et post coenam eduxi eos foras et montem eis ostendi t, quae mihi acciderant, retuli et mirabantur, me tam cito evenisse. Cum hoc sol occidit et locavimus nos ad dormiendum unusquisque in lectulum suum.

Dicta dura propter mare arenosum.

Quinta decima ante noctis medium inceperunt asinarii clamare conquerentes, sibi duos asinos a funibus solutos et per fures abductos. Hoc clamore omnes fuimus inquietati et resedimus in lectulis colloquentes de occurrentibus negotiis, asinarii autem currebant per regionem et bestias simul (24a) invenerunt; se ipsos enim solverant et abierant. Adductis autem asinis imperavit Calinus camelos onerare et recessum anticipare, erat enim adhuc valde mane, puta, medium noctis. Surreximus ergo et parati de Magareth deserto recessimus et rigidissimum eremum ingressi sumus, in quendam autem districtum venimus frigidissimum, in quo contra morem orientalium regionum tantum frigus passi sumus, ut pedes nostri, manus et nasi rigescerent et dentibus fremeremus. Hoc frigore valde debilitati fuimus, quia hucusque semper fuimus quasi in extremis caloribus et nunc extremum frigus intravimus nec vestibus contra frigora operti fuimus. Cum magna ergo festinantia per illum districtum processimus optantes, citius solem oriri, quo recalesceremus, quem tamen saepius hactenus occidere desideravimus, ut refrigerationem habere possemus ab immensis caloribus. Inter alia omnia, quae peregrinationem solitudinis reddunt tolerabilem, hoc principale est, quod cottidie, imo quasi omni hora, novas regiones intrant, quae alterius sunt conditionis et aeris et terra ac montes alterius formae et coloris, quibus homo miratur de praesentibus et futura videre desiderat. Semper enim aliquid novi occurrit, quo homo in admirationem rapitur, vel propter mirabiles habitudines montium, vel propter colorem terrae et rupium et lapillorum varietatem, vel propter nimiam asperitatem, sterilitatem et vastitatem, quae omnia curiosos delectant. Fateor hoc de me ipso, quod majorem delectationem habui in solitudinis vastitate, sterilitate et in ejus horribili dispositione, quam umquam habuerim in Aegypti fertilitate, habilitate et in ejus desiderabili pulchritudine. Igitur circa solis ortum de regione frigoris egressi sumus et in regionem alterius conditionis incidimus; nam in torrentem arenosum venimus et per montes novos in tempestate factos ascendimus cum difficultate

multa; non fuisset autem possibile ibi transire tempore advectionis illorum montium et collium et aggerum; illo enim accurrit arena tamquam procella in aqua super terram et aerem replet, nec potest homo contra niti, ut supra dixi. Cottidie pereunt homines et bestiae per desertum involuti procellis arenarum, sicut in mari obruti procellis aquarum. Sic exercitus Cambysis arena austro mota exstinctus fuit, ut dicitur in Spec. Nat. c. 58. In magno stabamus periculo, nam arena contra nos defluxit et nullus alium nec videre nec audire potuit et vix cum difficultate poterat caput suae bestiae semicoecatis oculis videre, erat enim aer arena plenus et super terram currebat sicut rapidissimus fluvius et timore grandi quilibet angebatur, ne forte bestia sua tramite perdito alia loca intraret et de societate veniret, quia, ut saepe dixi, nullus poterat circumspicere, nam oculi erant nobis pleni pulveribus, os similiter, cappa mea nigra ita erat arena plena, quod nigredo non apparuit. Tandem autem circa meridiem cessavit tempestas et de isto (b) torrente in alium ascendimus per arenosos tumores et acutos, qui erat latus et magnus. Et fuit delectabilis ascensus per torrentem illum. Calinus autem convocatis omnibus ad se dixit: ecce, domini peregrini, optio datur vobis: si placet vobis abbreviare viam vestram et cum quiete sine tempestatibus tribus diebus procedere, ascendamus torrentem illum, verum tamen nullas reperiemus paludes aut cisternas in isto torrente, de quibus nos et bestiae nostrae bibamus et jam de facto aquae deficiunt de utribus. Si autem placet ire pro aqua habenda, oportet nos transcendere torrentem illum et in alium descendere et ibi forte cisternam reperiemus aquosam; scio quidem, ibi esse cisternam, sed an nunc habeat aquam, nescio. Si habet aquas, timeo eam vallatam Arabibus et nobis aquam denegari ab eis et cum hoc tribulari. Si non habet aquas, prolongamus sine profectu et utilitate viam pro multo spatio. Facite et consulite, quid placet, intrabo vobiscum utrumque periculum. Ad hoc breviter respondimus, quod potius eligamus ab Arabibus vexari et exactionari, quam siti mori et ariditate cruciari. Speramus enim, quod recipiant panes a nobis et argentum et dent nobis aquam. Sic ergo a torrente illo ascendimus et in alto ad

planitiem magnam venimus decalvatam omni arena, totam enim arenam deportaverat ventus. Manifeste autem videre poteramus, pro tempore ibi esse montem arenarum. In processu autem ad finem illius campi venimus et deorsum in aliam regionem arenosam respeximus et erat latitudo magna sub nobis, solitudo dicta Hachseve. In ista latitudine vidimus multa tabernacula et tentoria simul fixa, tamquam ac si esset villa et ignes et currentes homines et bestias et obstupuimus. Erant enim Arabes, deserti habitatores, et per circuitum cisternae tentoria sua fixerant. Itaque cum pavore descendimus contra eos. Qui cum nos vidissent, cum lanceis ante tabernacula stabant sua exspectantes nos. Cum autem in campum venissemus ad jactum lapidis ab eorum tentoriis, nostra tentoria ereximus et nostras bestias exoneravimus in latere eorum. Interea pueri eorum nigri et nudi, solis ardoribus adusti, ad nos currebant, quibus statim dedimus paximatios, quos cum ingenti laetitia accipiebant (et) ad tabernacula sua revertebantur, post quos alii pueri venerunt, quibus similiter dedimus; insuper et aliquae mulieres venerunt gestantes in utero et brachiis parvulos; et his similiter divisimus. Quo facto, confregimus corda Arabum illorum, et invitaverunt nos ad recipiendam aquam pro nobis et nostris bestiis, et utres et amphoras replevimus sine omni contradictione contra omnem spem. Erat autem aqua turbida et aliquantulum salsa, sed tamen potabilis erat et grati fuimus, quod eam habuimus. Porro hoc indubitatum habeo, si parvulos ad nos currentes repulissemus et eis panem non dedissemus, numquam aquam cum pace habuissemus, imo cum lanceis coacti fuissemus dare et paximatios et argenteos. Mansimus autem ibi ad tres horas et societatem, quam potuimus habere cum Arabibus illis, habuimus. Nam juvenes nostri milites saltabant cum juvenibus eorum in campo et ad brevium simul currebant et lapides grandes levabant seque sic tentabant cum omni amicitia. Post hoc cum festinatione bestias oneravimus et cum jam in recessu essemus, vocavimus capitaneum illorum Arabum ad nos et ex liberalitate ei ducatum dedimus pro eo, quod ita pacifice nobiscum (35 a) conversatus fuit. Arabs autem ille cum multa reverentia accepto aureo exhibuit se, si

nobis placeret, proficisci vellet nobiscum et nos defendere ab incursibus. Nos autem eum licentiavimus et a lacu recessimus proficiscentes cum festinantia. Ingressi autem sumus in occasu solis terribilem solitudinem, dictam Minschene, ubi erat torrens ingens cinctus rupibus et petrosis montibus, quae omnia erant albissima et terra tota erat ut calx exstincta. In illo torrente tentoria fiximus ad manendum ibi illa nocte, cum multis autem discursibus vix materiam pro igne faciendo comportavimus. Porro ante nos etiam quieverat ibi unus exercitus camelorum, quia multa stercora ibidem erant, et quia stercora illa arentia erant, ea collegimus et ad ignem comportavimus, non enim erat una plantula in illo loco.

Sexta decima statim transacta media nocte excitavit nos Calinus ad recessum et cum impatientia et murmure surreximus, incipiebat enim nobis labor itineris gravis et molestus fieri et praecipue nostris infirmis, qui graviter gemebant pro labore itineris; nam tota die in solis fervore et partem noctis in frigore et rore incedere, sine coctis et calidis cibariis, cum tanta siti, grave est homini sano, taceo de infirmis. Saepe miratus fui in deserto existens, quod sacra Scriptura ita graviter reprehendit murmur filiorum Israel et quod ita dure correcti fuerint pro murmure, sicut patet 1. Cor. X., quomodo murmurantes a serpentibus perierunt. Murmurabant enim vel pro labore, ut habetur Num. XI., vel pro siti et inedia, Exodi XVI., vel pro loci vastitate, Num. XX., vel pro aliis humanis defectibus. Et semper fuerunt gravissime puniti. Confusus steti in mente mea et saepe timui divinam punitionem pro murmure nostro et haesitavi, an labor noster esset meritorius cum tanta impatientia. Igitur oneratis camelis et stratis asinis de deserto Minschene recessimus et in ortu solis in solitudinem asperrimam et regionem aridissimam et, si fas est dicere cum filiis Israel Num. XX., in locum pessimum ducti sumus, qui in veritate nec seri potest, nec aliquid ibi crescere potest pro vita humana. Dicitur hoc desertum Larich et sunt in ejus dextera parte montana albissima et similiter a tergo. Sed contra orientem habuimus latissimos campos, quorum lapides et arena nigra et adusta erat, ac si ignis recens per campos illos combustibilia consumsisset, odor etiam

ignis de ipso humo evaporabat. Porro finem illius latitudinis non poteramus videre, nec montibus claudi nec collibus. Cum autem miraremur de horrida latitudine et interrogaremus Calinum Sarracenum de fine campi, (b) dixit nobis, quod non est visus homo in terra, qui ad finem vel terminum illius campi venerit per viam illam. Si enim, inquit, aliquis velociter ageret cursu, ita, quod singulis diebus decem alemannica milliaria faceret, duobus mensibus nec ad aquas nec ad homines veniret. Et cum hoc tantus ardor adurit campos illos, quod etiam homo habita aqua non posset vivus penetrare usque ad finem ejus. Terminus enim illorum dicitur esse juxta montes paradisi terrestris et ideo fulgores gladii flammei, quem Dominus ante ingressum paradisi statuit, hos campos adurunt et accessum prohibent. Sane opinari [quis] posset, hos campos esse campos Elisii, qui sunt campi maximi et latissimi extra hominum habitationem, in quibus nemo vivens moratur. Ad hos campos, dicunt poetae, revocat Mercurius animas humanas ab inferno. Arbitrati namque sunt, omnes hominum animas a principio creatas simul fuisse et deinde conceptis hominibus immissas; morientibus nobis ad inferos descendere ibique cruciari, donec commissa in vita purgarentur et inde revocante eas Mercurio transitum facere ad Elysios campos, ac inde post mille annos a Mercurio deduci ad Lethen fluvium, ut eo potato obliviscerentur praesentis vitae labores et sic desiderarent iterum redire ad corpora, ad quae Mercurius remittebat.

Hos campos quidam profundius lustrantes dixerunt se invenisse sepulchrum vel tumbam lapideam unius gigantis mirae magnitudinis, in quo nonnulli aestimant tumulatum fuisse Og, regem Basan, de quo habetur Deuter. 3., quod ejus lectus vel cuna, in quo puer jacebat, erat ferreus et monstrabatur in Rabath et habebat cubitos novem longitudinis et quatuor latitudinis. In tantum autem virum crevit gigas ille, quod ad sepulturam ejus requirebatur magnus campus et hoc, si acceptetur expositio hebraica super locum praefatum, quae mira inducit de magnitudine illius viri, ut habetur videlicet Deuter. III. Ex his patet, quod de hoc campo aliter loquuntur Christiani fideles, aliter Judaei, aliter poetae, aliter

naturales. Nos Christiani dicimus, hos campos aduri fulgoribus flammei gladii, si verum est, quod attingant regionem paradisi. Judaei dicunt, hunc campum esse quodammodo sepem camporum Elysiorum. Naturales vero credunt, hunc campum extendi huc a zona torrida et quod per eum quis poterit vita comite in regionem torridae zonae pervenire.

Processimus ergo toto illo die in terra mirabili habentes a dextris montes prae caumate calvos et albos, a sinistris vero campos Elysii adustos et nigros, in quibus non una plantula vel graminula reperitur. Cum autem sol occasum peteret, pervenimus in unum horridum torrentem, per quem suis temporibus fluxus impetuosus decurrit. In hoc torrente tentoria fiximus et ad pernoctandum in eo nos disposuimus. Solebam autem semper fixis tentoriis nostris adire Calinum eumque de nomine loci interrogare. Cum more solito ad eum hoc sero venissem et interrogarem de nomine illius deserti et torrentis, parum deliberavit et ridendo dixit, locum illum Albaroch dici, quod quidam alii Arabes et Sarraceni circumstantes audientes similiter riserunt, signantes mihi, ut scriberem Albaroch. Habui enim in manu atramentum et pennam cum papyro ad scribendum et ita, ut mihi dixerant, scripsi Albaroch in oculis eorum, et me scribente et legente valde riserunt. Porro caussam risus eorum pro tunc quidem ignoravi, sed postea scivi, trufavit enim me Calinus et alii pagani et nomen bestiae Machometi pro nomine loci tradidit et ideo riserunt. Habetur enim in Alchorano, quod quadam die, dum staret Machometus in Mecha ante fores domus suae, venit angelus Gabriel et adduxit secum per habenas pulcherrimam et velocissimam bestiam, (**36 a**) cui nomen erat Albaroch, et erat bestia illa talis formae: erat major asino et minor mulo, et habebat faciem decoram hominis et crines ejus erant de perlis, pectus de smaragdo, cauda de rubino, oculi clariores sole, pedes et ungulae ut cameli, et supra humanam aestimationem erat pretiose sellata. Haec bestia nullum hominem super se admisit sedere, nisi Gabriel ei testimonium de bonitate perhiberet; juravit autem Gabriel bestiae per viventem Deum, quod numquam hominem meliorem Machometo invenisset, ideo deberet eum suscipere. Hoc

audiens bestia dixit, quod numquam ita libenter portasset aliquem hominem, sicut illum Machometum. Et ita Machometus ascendit et Gabriel staffam vel strepam sibi tenuit et cum in bestia sederet, advenit magna multitudo angelorum circumstantes bestiam. Coepit autem bestia tam suaviter et leviter [incedere], quod nemo potest dicere et cum hoc ita repente processit, sicut flat ventus, et venit usque in Jerusalem ad templum, ubi invenit omnes patriarchas et prophetas missos a Deo, ut eum honorarent, et multa mira fuerunt sibi ibi ostensa. Cum hac fabula multos simplices seduxit Machometus; quadam autem die, cum eam vulgo ingenti praedicaret, recesserunt ab eo sexaginta millia hominum, fictionem intelligentes. Haec fabula ponitur in Fortalitio fidei Libr. IV., de bell. Sarracenorum, Cap. de fundamento legum Machomet. Putavit forte Sarracenus Calinus noster, quod hoc nomen Albaroch aliquid divinum in se haberet, quod menti meae me nolente vel nesciente inhaerere posset. Sed stultitia est inhumana in Alchorano illo phantasticissimo.

Regio satis mirabilis.

Decima septima die mane diu ante lucem de praedicto torrente consurreximus et oneratis bestiis mox de ipso torrente ascendimus clivum dextri lateris et in alium latum torrentem ab alia parte descendimus. Erat autem torrens ille asperrimus et saxosus, cujus saxa, petrae et lapides erant nigri, ac si in igne jacuissent, superiora autem montium utriusque lateris erant albissima, ac si nive nova essent conspersa, nives tamen illae nullae erant et forte numquam fuerunt nec erunt, sicut nec inferius erat ignis denigrans lapides, sed sol mira sua virtute hos denigrat et illos dealbat. Sic etiam sua virtute quaedam mollificat, alia indurat, quaedam dulcia reddit, alia amara facit, contrarias una virtute inducens qualitates, secundum materiae subjectae dispositionem. In processu venimus in torrentis latiora loca et ventum frigidissimum contrarium habuimus, quo non modicum afflicti frigore fuimus, et optavimus habere vestes hiemales. Deinde limbum torrentis ascendimus et ab alia parte in grandem vallem descendimus, quae non

erat nec saxosa, nec arenosa, sed fuit limosa et terra argillosa de tenaci limo albo, figulis apto. In ista valle pessimum iter habuimus, quia aqua terram illam inaequalem fecerat, et erat plena fossatis non mediocribus et strictis, et sine intermissione oportebat nos ascendere et descendere, et hoc camelorum gressui fuit disproportionatum et asellis nostris laboriosum nobisque laesivum. Si autem fossae istae adhuc habuissent aquas, sicut habuerant, nullo (b) modo patuisset nobis transitus per vallem illam. Multis horis laboravimus in illa mala via, et tolerabilius fuisset nobis continuus ascensus vel descensus, locus saxosus vel locus arenosus, quam praedicta via. Deinde ad finem vallis venimus in latitudinem quandam bonae viae, et a longe de ipsa latitudine consurgebant in altum montes proceri quidem, sed non lati ac magni, contra quos processimus multis horis, antequam ad eos veniremus. Cum autem ad eos venissemus, mirabamur non parum montes istos, nam de plano, ut dixi, consurgebant, et erant albi et ita rotundi, ac si opere tornatili essent facti, nec potest faciliter discerni, an fuerint arte vel natura formati. Quidam putant, quod essent pyramides sepulchrorum antiquorum regum Aegypti, qui tales moles super sua sepulchra erigi faciebant, prout oculis nostris vidimus in Aegypto trans Nilum juxta Thebas, ut infra patebit Fol. 79 b. Accessimus autem proprius et mirabile opus almi opificis esse deprehendimus, et nullius mortalis hominis arte compositos, nisi vellemus ignaris vulgi poeticas fabulas hic speculari et dicere, hos montes in hunc campum per Titanos apportatos per Herculem eis impositos, ut montem monti superponerent et in coelum ascenderent, quod facillime hic suaderi insipienti posset; vel quod montes illi essent ex Atlantibus in montes a Perseo transformatis. Inter hos montes unus cunctis praeminens est et valde admirabilis, quia ita formatus exsistit, ac si sagaci ingenio esset manu factus industriosi artificis, quare etiam singulare nomen prae aliis adeptus est, et dicitur Calpis ab ipais Arabibus. Credo autem nomen hoc sibi non casu advenisse, vel vulgi more impositum fuisse, sed ab una columnarum Herculis transsumtum fuisse, quae eodem nomine Calpis nominatur. Sunt enim duo montes, Abila scilicet et Calpis, celsitudine se in sidera levantes, sibi oppositi, quorum primus

stat in Mauritania, alius in Hispania, et inter hos effluit mare mediterraneum per terrae medium. Hos montes asserunt esse columnas Herculis. Siquidem veteres quidam tradunt, hos duos montes perpetuo jugo fuisse junctos, nec mare mediterraneum ex oceano emissum, sed monte continuo fuisse inclusum herculeaque virtute fuisse divisum, et ex oceano, quod ante non erat intromissum terris mare, quod postea in hodiernum usque diem mediterraneum dictum est, et ita angusto freto Europam ab Africa separasse. Et quia forte mons iste Arabiae similis est illi, qui est in Hispania, eodem nomine vocantur ambo. Est etiam in Sicilia alius mons, eodem nomine vocatus eadem ratione. Igitur monte Calpis posttergato et multo itinere die isto completo venimus in desertum, quod Arabes nominant Meschmar, et in torrentem aridissimum ingressi ibi exoneratis bestiis tentoria fiximus et cum multa difficultate parum sarmentorum collegimus pro igne ad coquendum aliquid. Porro ad latus sinistrum erat mons candidus et altus, in longum tractum porrectus, non longe a nobis. Hunc montem solus adii, volens videre, quid tum in ejus radicibus esset. Inveni autem in eo multas magnas cavernas et specus ingentes, per fundum montis ducentes, locaque illa fuisse deprehendi metallorum antiquorum quaesitorum; quae ut vidi, statim in mentem venit, quomodo multi sancti patres leguntur sibi mansiones elegisse in hujusmodi derelictis fabrorum habitaculis, ut S. Hilarius et S. Paulus, primus eremita, de quo Jeronymus in epistola de laudibus eremi dicit, quod venit in desertum procul ad exesum montem, ubi invenit grandem speluncam lapide clausam, et remoto lapide animadvertit intus grande vestibulum et forte, et desuper per petrae aperturam lucem, fueratque locus, in quo furtiva moneta cudebatur ea tempestate, qua Cleopatrae Antonius vinctus est; et prope id vestibulum haud pauca erant habitacula, in quibus erant scabra, etiam incudes et mallei, quibus pecunia signabatur. Sic et ego antiquas fabrorum inveni speluncas. (37 a) In has cavernas quidem introspexi, quantum potui, sed ingredi non praesumsi timens, latere ibi nocivas bestias, nec erant cavernae illae a natura montis, sed opere humano effossae. Cumque mirans girarem, inveni cumulum vetustissimarum scoriarum, quae de metallis

purgatis per ignem ejiciuntur, et erant scoriae non ferri vel alterius metalli, sed auri Arabiae optimi, quod olim hic fodiebatur. Unde beatus Jeronymus de distantiis locorum hos montes nominat Catachrysia et dicit, quod juxta eos filii Israel in deserto degentes per tempus manserunt, et quod Moyses ibi scripsit Deuteronomium. Non dubito, quin olim sancti monachi in his specubus sibi cellulas aedificaverint, quia in Vitis Patrum saepe legimus, sanctos habitavisse in cavernis derelictis a fossoribus metallorum. Accepi ergo aliquas scorias et ad dominos milites eas detuli, qui pro munere eas a me patierunt sibi dari, quia erant insuetae figurae.

Gravis diaeta.

Decimo octavo die transacta media nocte recessimus de deserto Meschmar et montes Catachrysiae posttergavimus et in unum districtum venimus, ubi ad dextrum latus montes albos quasi nive infusos habuimus, ad sinistram vero rubros quasi cruore infectos, sed et terrae superficies ita planis tabulis apideis erat obducta, ac si naturaliter pavimentata fuisset politis tabulis de durissimis saxis, unde bestiae nostrae cum tremore ibi incedebant timentes lubricitari. Deinde ascenso clivo praecipiti in alium torrentem venimus de plana et bona via. Hic torrens suo tempore videtur aquis copiosis redundare. Ex illo torrente descendimus in loca quaedam plana, in quibus reperimus virgulta, arbusta et spineta virentia, quibus inspectis laetati fuimus, quia speravimus, nos ibi aquas reperturos; non enim illa crescere possunt nisi in locis humentibus. Intravimus ergo arbusta illa et vidimus quidem aquas ibidem fuisse, sed nunc nullas adesse. Veruntamen hoc refrigerium ibi reperimus, quod rami et folia arbustarum madescebant rore matutino et guttis noctium plena erant. Porro unus de peregrinis sitiens ramum unum madentem rore avulsit et ori suo applicuit, ut rorem lamberet pro refrigerio suo. Sed dum se putavit refrigerativum rorem lambere, os acutissimo sale invenit se infectum habere, perterritus autem putavit, esse delusionem vel Dei plagam, alios consocios hortabatur de rore fugere, nihil dicens de amaritudine, et omnes invenimus rorem illum nihil

aliud esse nisi humorem acutissimi salis et ita experientia didicimus, terram illam esse terram salsuginis, de qua habetur Jeremiae XVII., ubi peccatori comminatur Deus, quod erit sicut myricae in deserto, quae habent folia amara et rore salis perfusa. Per istas ergo myricas processimus et nullas aquas reperimus, magnam quippe penuriam aquarum habuimus (b). Unde hac die aperuimus illa vascula, quae de Gazara nobiscum eduximus aqua repleta; dictum enim nobis fuit in Gazara, quod aquae illae non comprutescerent in vasculis bene conclusis, et dum necessitas urgeret, possemus eis uti; apertis autem vasculis tantus exhalavit foetor de aqua putrefacta, quod nemo poterat eas, non dico, bibere, sed nec contrectare, nec asini nostri, qui erant tam multum sitibundi, eam aquam poterant bibere. Coacti ergo sumus aquam effundere, quam per longa deserti spatia nobiscum duximus, pro qua ducenda multa litigia cum nostris Arabibus camelariis habuimus et speciale pretium pro ea solvimus, quia speravimus, quod in tam extremis necessitatibus profutura nobis fieret. Frustrati autem spe nostra sitim amplius sufferre non poteramus, clamavimus ergo ad Calinum pro aqua, rogantes eum et ductores nostros, quatenus non respicerent ad viae prolongationem, sed nos per quaecumque deserti devia duceret ad aquas (aut) paludes pro habenda aqua. Acquieverunt ergo nobis et divertimus a vero tramite multum ad dextram et in latissimum ac aridissimum campum devenimus. In illo campo obviam habuimus karravanam, hoc est exercitum negotiatorum Madianitarum cum multis camelis, et portabant species de mari rubro. Hi conquerebantur nobis, quod iam multis diebus caruissent aqua, et obnixe instabant, ut saltim cuilibet unum haustum aquae daremus, quia iam quasi in puncto deficiendi essent constituti. Dedimus ergo eis reliquum aquae, quia venturi eramus ante vesperarum tempus ad paludes. Post horam aliam karravanam obviam habuimus de remotioribus orientis partibus, homines autem illi cum silentio praeterierunt et nos torvo vultu respexerunt, sicut communiter orientales et occidentales male se invicem respiciunt, ex natura enim odium est inter eos, et nisi ratione se cohiberent, in se ipsos statim irruerent, sicut faciunt

iracundi canes contra se venientes, vel equi mali, qui se morsibus salutant.

In processu per campum venimus, ubi campus deorsum se inclinat, et per taediosum et longum clivum descendimus et intolerabili solis aestu et siti affligebamur. Tandem supra limbum cujusdam horribilis et profundissimi torrentis venimus, quem nominant Hallicub, qui in utroque latere rupium parietibus altis claudebatur, et erat vorago arcta et adeo profunda, quod respectus in eam horrorem nobis incuteret, nullam autem aquam in ea vidimus nec audivimus, per omnia tamen vallis disposita erat, ac si fluvius per eam decurreret. Murmuravimus ergo contra Calinum pro eo, quod super torrentem arentem nos duxit specificans nos de aqua, cum non esset ibi; et ipse, uti vir mitis erat, consolabatur nos dicens, torrentem jam quidem aquam fluentem non habere, sed stantem in cavernis petrarum et in foraminibus lapidum et in fossatis terrae. Jussit autem nos de asinis descendere et bestias asinariis resignare et in loco, ubi per petras pateret descensus, in voraginem descendere. Camelarii ergo et asinarii duxerunt bestias in locum planum supra voraginem et ibi eas exoneraverunt, nos vero supra marginem cucurrimus et locum descendendi per rupes quaesivimus, quo invento in profundum descendimus; reperimus autem aquas in cavernis et scissuris, quae remanserant, dum torrens aquis inundaverat ante plures mensea. Erat autem aqua calida et dirissimi odoris, crassa et quasi bituminea, coloris viridis et plena vermiculis, qui in aquis putridis crescere solent, saporis tamen innoxii. His aquae dispositionibus contrariis (38 a) non obstantibus repente cecidimus super ventres nostros et manibus hausimus et bibimus cum multa aviditate, sine cura et sine aquae colatione. Sitibundus enim non discernit potum nec videt, quid bibat, sed solum festinat, ut bibat. Credo firmiter, si homo ad simplicem sitim hanc aquam bibisset, nequaquam grave nocumentum evadere posset, sed sitis vehemens multa consumit et labor praecedens et consequens. Nam postquam ventres aqua replevimus et appetitui satisfecimus, tunc aperti sunt nobis oculi, et vidimus aquam vermibus scaturientem et immundam, quam cum vermibus et immunditiis sorbuimus.

Aestimo, quod ego biberim cum aqua ultra centum vermiculos vivos; sic et alii. Colavimus ergo aquas per panniculos et amphoras nostras replevimus et utres vacuos, abjicientes vermes et grossiores immundicias, quae nos improvidi imbiberamus, unde vehementer timuimus vitae nostrae et pavidi expectavimus tristes operationes illius inhumani potus. Sed Deo nos protegente nihil penitus passi sumus nec aliquam vel minimam molestiam sensimus, et non dubium, si cum tanta siti venissemus ad aquas recentes et frigidas et claras, fuissent nobis mortiferae propter intemperatum appetitum. Demum ductores nostri reperta in quodam loco via cum camelis et asinis descenderunt ad aquas et bestias aquaverunt, quae profecto non tam irrationabiliter potaverunt sicut nos, sed in superficie sorbebant, ne vermes cum aqua simul sugerent. Ascenderunt autem aliqui peregrini et infirmos nostros etiam in vallem duxerunt pro eorum recreatione, erat enim vallis profunda et umbrosa propter superpendentes minaces rupes et protensas petras, et erant in valle virgulta et salices et cavernae in petris delectabiles, in quibus sedimus. Lavimus autem ibi capita et corpora nostra, et camisias et sudariola et mundavimus nos a vermibus, quos nominant pediculos, quibus nullus caruit, quantumcumque nobilis. Unde una de principalibus vexationibus et miseriis maris et deserti sunt pediculi, qui omni momento crescunt in maximo numero. Saepe miratus fui eorum subitaneam generationem; cum enim quis jam in hoc sero se mundat, statim alio sero sequenti tantumdem invenit et adeo grandes, ac si per mensem camisiam non visitasset. Vae illis, qui comam nutriunt, quia silvam et refugium pediculis secum habent, eisque, deteriusve, qui pigritia victi se non omni sero absolvunt. Erat inter nos quidam miles strenuus, qui numquam digitis pediculos tangere voluit, nec colligendo, nec occidendo, sed semper duos lapides accepit et ubi in camisia pediculum vidit, ipsam camisiam super lapidem unum posuit et altero lapide pediculum tundens mactavit. Multam jocunditatem habuimus cum isto milite cum sua mactatione.

Mundatis nobis ignem in valle fecimus et pro coena paravimus cibos cum magno gaudio. Numquam in hoc itinere

melius recreati fuimus quam ibi. Ego in hoc valle rescripsi mane totum iter a Gaza usque huc; scripseram enim sedens in asino dispositiones et habitudines regionum et viarum in tabula de cera, quam cingulo portavi et ibi totum in libello rescripsi et de cera delevi, ut consequenter alia scriberem. Saepissime descendi de asino et itinera, montes et valles descripsi, quia non esset possibile mente retineri singula, nisi homo quasi singulis horis laboraret. Cum autem dies advesperasset, consedimus ad coenam et manducavimus, post coenam deliberavimus manere in valle per noctem et incepimus sub petris aptare loca pro quiete, sed dum Calinus haec percepisset, descendit et (b) nullo modo nos ibi dormire permittere voluit, sed ascendere ad sarcinas coegit. Ascendimus ergo locum, ubi onera et bestiae erant et tentoria fiximus et ad quietem nos locavimus. Solitudo autem haec, campi et valles nominantur Elphogaya in arabica lingua.

Profectio ulterior arduissima.

Die decima nona in media nocte surreximus et de solitudine Elphogiae profecti sumus. Incidimus autem in unam valde asperam vallem et in tenebris per rupes et lapides transitum fecimus. Quamvis autem luna splenderet, radii tamen ejus non poterant ad nos pertingere, quia montes obicem praestabant. De illa demum valle ad ascensum ardui montis venimus et clivum praecipitem et asperum valde conscendimus per viam taediosam et longam, quae duravit usque ad solis ortum; in solis ortu ascensu terminato venimus in regionem sterilem, in qua erant campi rigidissimi et latissimi, et dicebatur regio illa Rachhaym. Illius regionis humus, lapides et petrae erant rubea et videbantur quodammodo iguea; processimus ergo contra meridiem et ventum contrarium, frigidum, fortem et penetrativum habuimus, quia in alta regione eramus et nullorum montium obstaculo protegebamur a ventorum impulsu, et valde afflictivum erat nobis, pati frigus in illo mane. Dum autem per horam et amplius in illa altitudine processissemus, venimus ad finem camporum et regionis illius, de qua per horribilem et valde praecipitem clivum est descensus ad

inferiorem solitudinem, cumque in supercilio staremus et pavidi ad inferiora longe sub nobis respiceremus, inceperunt camelarii nos respicere cum quadam laetitia et digitis aliquid demonstrare contra meridiem, sed nec eorum signa nec verba intelleximus; Calinus autem veniens demonstravit nobis regionem a longe, valde montuosissimam, qui montes erant altissimi et videbantur nobis caliginosi et quodammodo nigri, quia procul distabant. Inter hos montes ostendit nobis montem magnum et excelsum valde, duo cacumina quasi duo capita habentem, quorum tamen unum multo altius altero erat. Cumque omnes montem intueremur, dixit: ecce, domini peregrini, hic est mons sanctus Oreb et Synai, in quo vestra laboriosa peregrinatio terminatur. Hoc cum audivissemus, statim de asinis cecidimus et protensis manibus, flexis genubus contra montem sanctum, Deum adoravimus. Finita autem oratione surreximus et ad partem dextram mare rubrum vidimus in parte satis magna et videbatur nobis mare rubrum de prope esse, ac si quis in sex horis posset in equo vadens accedere, sed Calinus dixit nobis, quod essent tres magnae diaetae. Sub monte vero, in quo stabamus, erat regio campestris lata, post quam erant montes, qui continue in altitudine proficiebant usque ad altissima montana deserti Synai. Visis his eduximus de sacculis nostris cibos et jentaculum sumsimus, simul sedentes. Post hoc infirmos nostros de camelorum sportis levavimus, ut pedestres nobiscum per praeceps descenderent. Et quamvis involuntarii essent, tamen oportebat eos per se ambulare per illum descensum periculosissimum. Cameli ergo praecedentes descendebant cum timore et tremore et passum post passum cautissime faciebant, timentes sibi et suis oneribus et tardissime ibant, uno enim facto passu moram longam (**39 a**) faciebant, antequam alium inchoarent, quia praeceps et periculosus descensus erat. Cumque quasi usque ad medium saltus venissemus, camelus ille, ad cujus latus unus infirmus peregrinus de potioribus et nobilioribus per desertum pependerat, volens [voluit] per rupem unam descendere; et dum anteriores pedes submitteret, posterioribus superuis stantibus, subito sella cum oneribus per collum et caput bestiae dilapsa est, et per praeceps omnia ceciderunt longe deorsum rotando

ruentia. Porro omnia, quae in sportis fragilia erant, confracta sunt et dissipata; in una enim sporta erant multa vascula de confectionibus medicinarum et de liquoribus saporosis et aquis distillatis, quae omnia effusa fuerunt; portabat enim camelus ille apothecam dominorum peregrinorum. Et si infirmus dominus ille mansisset in sua sporta, sicut libenter fecisset, in mille frusta comminutus fuisset et, si mille colla habuisset, confracta fuissent. Bonum est infirmo, ut non admittantur ei, quae appetit; ille enim valde rogabat nos, ut eum in sporta dimitteremus descendere, cui nullo modo acquievimus, quia periculum vidimus, quod ipse impediente aegritudine videre non poterat. Cum multis ergo laboribus recollegimus res, quae ceciderant et quae inveniri poterant, et camelum reoneravimus et ita ulterius processimus cum majori cautela et bene ad quinque horas in labore descendendi laboravimus, quousque in campestria devenimus. Cum ergo in planum sub monte venissemus, convertimus nos et clivum, per quem descendimus, respeximus, sed nequaquam videre poteramus viam, per quam descendimus, propter praeruptas petras et minaces rupes et praecipites saltus et recurvas metas et mirabamur, quomodo descendere potuimus, quia videbatur nobis impossibile, cum oneratis bestiis per tam arduissimum clivum descendere, et amplius mirabamur, quomodo de cacumine in praeceps descendere potuerimus, cum ipsum cacumen videretur nobis extendi ultra clivum, quasi necesse esset de petra cacuminis in clivum saltum facere deorsum, vel cum funibus submitti. Fatebantur domini milites omnes, qui tamen multa in mundo experti fuerant, quod numquam tam periculosam viam vidissent. Igitur, cum in campestribus essemus, videbatur nobis et ita erat, quod in alia regione essemus, ibi enim desertum incipit magis humanum fieri et virgulta ac gramina reperiuntur, per loca ibi pastores et pecora habitare possunt. Ibi ros amplius non est sal, sicut superius Fol. 27., sed mel et manna, ut patebit fol. Hic incipit provincia Madian, quae multas nationes habet habitabiles et plures inhabitabiles. Processimus ergo per campestria et volebamus eodem die procedere usque ad montana, sed infirmi fratres nostri prae labore murmurabant et gemebant; propter eos ergo

in illis campestribus tentoria fiximus in loco, quem Arabes nominabant Ramathaym; erant autem in loco petrae cavae, non altae a terra, et in istis cavernis locavimus nos pro quiete diei: non enim poteramus manere sub tentoriis propter nimium solis ardorem, qui per pannos tentoriorum penetrabat et interiora quasi aestuarium calefaciebat. Ideo Madianitae et Arabes (b) et Aethiopes habent tentoria de pellibus, ne solis calor penetret, uti Habacuc III. Sic ergo quievimus in cavernis petrarum usque ad vesperas et facto vespere sarmenta collegimus et coximus cibos. Post coenam autem, dum sol occidisset, libenter in cavernis et speluncis dormivissemus, sed Calinus coegit nos descendere in campum ad tentoria nostra. Campus ille jacebat plenus pulcherrimis lapillis, qui erant perspicui et clari, diversorum colorum, nigri, albi, viridis, rubei, grisei, blavi, glauci; de quibus mirantes collegimus. Invenimus ibi etiam vestigia struthionum, magnarum avium, quae per desertum ambulant. Quales sint istae aves, dicetur fol. 83. Saepe alias eorum vestigia in deserto deprehendimus.

Processus.

Vicesima die duabus horis ante lucem a loco praedicto surreximus et recessimus. Ad finem autem desertae latitudinis venientes montana asperrima ingressi sumus per vallem spatiosam et speciosam. Habuit enim vallis ista humum floribus et graminibus opertum, in quo etiam arbores procerae erant spinarum, quae tempore illo florebant et vallem totam suavissimo odore replebant. Non videtur mihi, quod de ullo flore suaviorem odorem spirare senserim, quam de floribus spinarum; non enim alium fructum ferunt arbores illae, nisi spinas. De his arboribus dix isupra fol. 28. b., ubi dixi de superstitionibus Sarracenorum, quas exercent juxta has arbores: imitantur enim in multis antiquorum paganorum errores, qui arbores florigeras et alias plantarum species suaveolentes dedicabant Hamadryadibus et Dryadibus, diis hortorum, florum et arborum. Sic et hanc vallem cum suis arboribus et floribus praefatis diis credimus singulariter fuisse dedicatam ex eo, quia nomen vallis his consonare videtur, quam vocant

Hinischenam. Porro montes ab utraque parte vallem claudentes sunt altissimi saxei et coloris rubei et videbantur, quasi essent oleo inuncti, ita dabant resplendentiam in locis, ubi radii solis rupes tangebant, unde ex ammiratione accessi ad unam parietem rupis, quae videbatur a longe oleo humectata, et manu experientiam accepi, nihil humidum ibi esse, sed ex nimia petrarum limpiditate illam resplendentiam lapidibus accidere, sicut patet in politis lapidibus.

Circa meridiem vidimus in montis cujusdam cacumine bestiam stare, quae contra nos deorsum respiciebat. Nos vero hanc videntes aestimavimus esse camelum et mirabamur, quomodo camelus in solitudine viveret et, verbum inter nos ortum est, an etiam cameli silvestres reperirentur? Calinus autem ad nos accessit, bestiam illam rhinocerotem vel unicornu esse asseruit, demonstrans nobis unicum ejus cornu de fronte ejus procedens. Cum magna diligentia hanc nobilissimam bestiam respeximus et vehementer dolebamus, quod non proximior nobis fuit, ut magis determinate eam inspexissemus. Est enim bestia haec singularissima in multis conditionibus: in primis dicitur, quod sit bestia saevissima et unum cornu quatuor pedum habet in medio frontis ita acutum et validum, ut quidquid petierit aut ventilet, aut perforet eumque [idque] ad saxa limat, et est mirifici splendoris et ossa de illo cornu cum gemmis pretiosissimis computantur et auro ac argento includuntur; (40a) tantae est fortitudinis, ut nulla venatorum arte aut virtute capiatur, sed, sicut asserunt, qui de naturis rerum scripserunt, virgo puella proponitur, quae occurrenti sinum aperit, in quo ille omni ferocitate deposita caput ponit sicque soporatus velut inermis capiatur et interimatur jaculis venatorum. Si autem omnino vivus captus fuerit, teneri non potest impatiens, et si vi teneatur, illico prae tristitia moritur, quia animal indomabile est. Tam fortis est, ut Scriptura sacra Num. 23. Dei fortitudinem ei comparet; et ita indomabilis, ut Job 39. dicatur: numquam alligabitur ad arandum rhinocerontem loro tuo etc. Et David in libro psalmorum de unicornu loquitur in bona significatione et in mala. Est enim animal magnum, equino corpore, elephantinis pedibus, cauda suilla, buxei coloris, mugitu horridum, bellum habet

cum elephante, quem vincit cornu potens in meliori parte corporis, et ut dictum est, virgines miro modo veneratur.

Pompejo magno fuit unus unicornus Romam adductus pro spectaculo, ut dicit Albertus de animalibus. Longam ergo moram fecimus sub monte, in quo bestia stabat, et videbatur nobis, quod sicut ejus aspectus fuit nobis delectabilis, sic et aspectus noster sibi, fixa enim stabat bestia, nec fugit nisi nobis recedentibus.

In processu pastorem vidimus minantem gregem per crepidinem montis, quod mirabile fuit in oculis nostris, eo quod diu hominem non vidissemus, aut bestiam saltim domesticam. Deinde in locum venimus, in quo deprehendimus habitasse noviter Arabes, quia adhuc stabant ibi aliqua tuguriola de sarmentis, alia erant combusta, quorum ignis nondum ad plenum exstinctus erat, timuimus ergo, ne forte nobis in aliquo loco occurrerent, sicut et accidit, ut patebit. Die advesperascente desertum Schoyle dictum ingressi sumus et in valle non parva tentoria fiximus et diligentiori cura nocte ista vigilavimus, ne Arabes super nos repente irruerent.

Gravis deserti diaeta.

Die XXI., quae est Matthaei apostoli et evangelistae, quae erat dominica XVI. post Trinitatis, summo mane a Schoyle recessimus et per vallem satis amoenam ascendimus habentes petrosos montes ad utrumque latus et valde excelsos, et erant montes isti insuetae et mirabilis formae, quasi essent cascati, et terrae fundus limosus et graminosus. Accipi autem faciliter potest forma et dispositio illorum montium in subjecta fictione poetica, ita tamen, quod ponantur montes citeriores fuisse ante hos anteriores. Siquidem Diana, montium dea et venatrix rhinocerotum, et praeses viarum, a littoribus maris Eritbraei venit in terram Madiau vecta curru pretiosissimo, quem albi cervi trahebant, tendebat autem in altissima montana, quae veteres Orchades nominabant, nos vero eos post datam Moysi legem Oreb et Sinai dicimus, et ibi venari volebat. Dum autem in locum hujus vallis, qui nondum vallis erat, venisset, impeditus fuit cursus cervorum currum suum trahentium, (b) quia

mergebantur pro eo, quod humus erat limosa, et lutum densum et tenax, cui infigebantur cervi cum curru. Quod cernens Diana Herculem advocat in sui adjutorium, qui mox advocatis Titanis imperat eis jussis obtemperare Dianae, quae uti viarum praeses et montium dea imperavit lutum terrae coagulari, et coagula sibi invicem superponi ab utraque parte, antequam in saxa per solem coquerentur. Sic ergo Titani montium portatores magnis coagulis congestis ipsa coagula nondum decocta coacervaverunt ab utraque parte, et coagula inferiora pressa a superioribus ex pondere sunt facta extensiora, ita, quod infimus ordo coagulorum est latissime extensus, secundus minus, tertius adhuc minus, usque ad summum, in quo frusta et coagula videntur stare integra, et ita facta videtur esse illa via et coagulatio montium juxta viam; non enim sunt montes isti facti per coacervationem petrarum, sicut alii montes petrosi, sed per coagula terrae argillosae nondum desiccata et decocta, sed postea indurata. Et in hac fabula videtur montium istorum figura. Igitur nobis procedentibus per longam illam vallem vidimus turbam magnam hominum cum mulieribus et parvulis, cum camelis, asinis et equis ad radicem montis stare paratos nobis occurrere. Cum autem eis appropinquavissemus, processerunt viri in occursum nostrum cum iracundis gestibus et vocibus et accurentes invaserunt primo camelos et disligantes onera solverunt et unum de saccis paximatiorum sciderunt paximatesque in terram fuderunt in impetu, quos foeminae eorum et pueri collegerunt, et ad haec dissimulaverunt nostri ductores et quidam de nostris camelariis eos detrahere spolia juverunt. Dum autem nostri ductores clamores nostros non animadverterent et nostra paulatim dispergerentur, accurrimus nos et saccos paximatiorum de manibus eorum evulsimus vi et eis durum et audacem vultum ostendimus. Hoc autem cum vidissent, cessaverunt a violentia et in Calinum conversi cum eo durissime litigaverunt, puto, quod eum invaserint, quia nos eis resistere permiserit. Attraximus autem omnes res a camelis dejectas ad nos et armata manu circumstetimus ad custodiendum, mulieribus tamen et infantibus accurrentibus panes non denegavimus. Calinus autem hortabatur nos, ne tenaces essemus, sed inter nos taxam poneremus, qua quilibet peregrinus

aliquid daret, madinum vel duos, et congregata pecunia eis pedagium exinde solveremus. Hoc ergo fecimus, et cum eorum capitaneo concordavimus pro certa summa madinorum; qua soluta dimiserunt nos procedere, quidam tamen juvenes adhaeserunt nobis usque ad montem Synai. Post longam viam in ista valle transcursam ad terminum vallis venimus iterum in campum spatiosum, in quem ab alia parte radices altissimorum montium protenduntur, inter quos montes mons sanctus Synai erat. Processimus ergo per campum in opposita montana et per vallem unam ingressi taediosos circuitus fecimus, nunc huc, nunc illuc, secundum recurvationem vallis divertendo. Longe autem deducti fuimus a directo tramite contra montem sanctum ducente et valles praeterivimus, quae videbantur ad eum dirigere; nam directe ad meridiem stat mons Synai, sed obsistentibus montibus nunc contra orientem, post modicum contra aquilonem et aliquando contra occidentem devia vallium secuti sumus, in quo magno taedio affecti fuimus, dum cerneremus montem Synai aliquando a tergo stare. Porro, circa meridiem venimus, ubi vallis iterum reflectebatur contra meridiem, et altos montes (41 a) posttergavimus et caput montis Synai clarius vidimus cunctis cacuminibus super eminere. Fol. 38. b. Est enim in illo deserto Synai mirabilis regio de excelsis et acutissimis montibus. Cum ergo contra montem sanctum paululum cum gaudio procederemus, dimissa valle meridionali, quae videbatur ad radices ejus deducere, per vallem aquilonarem post ductores nostros divertimus et monti Synai iterum terga vertimus, ex quo cum murmure et magna impatientia processimus. Ortum est autem verbum inter peregrinos, quod Arabes, camelarii nostri, studiose nos per devia deserti circumducerent et nos taedio afficerent, quatenus eis pecuniam daremus, ut propinquiora itinera transirent, quia a vallibus divertebant, quae videbantur contra locum optatum inducere, et ad valles contrarias se convertebant, et ideo illi peregrini, qui suspicabantur dolosam circumductionem, murmurabant et Calino ac ductoribus maledicebant. E contra alii peregrini dicebant, quod illa esset vera via et ibi esset nullus dolus et increpabant murmurantes de maledictionibus et inter haec corrixabantur illi milites simul et inceperunt se opprobriis et objurgationibus dehonestare et sibi invicem

aledicere et exprobare et facta fuit inter duos tanta commotio, uod de asinis prosilierunt et evaginatis gladiis crebris ictibus mucrone petere decertaverunt. Quia tamen ambo milites rte dimicandi instructi erant, quilibet suo ense ictum alterius epulit. Ad haec alii peregrini videntes accurrentes niteantur eos ab invicem separare, nemo tamen ausus fuit propius ccedere, quia quilibet timebat cuti suae, cum ambo nimis urerent et gladiis improvise dimicarent. Accurrerunt etiam Arabes, qui erant nobiscum, et licet nudi essent, audacter tamen se ingesserunt subintrantes in medium gladiorum; et hoc facto duellum fuit dissolutum, nec amplius se gladiis impetere poterant sine laesione Arabis innocentis. Si ita divisi non fuissent, vel ambo vel unus peremti fuissent. Arabes enim sine metu se ingerunt maximis periculis mortis, non propter fortitudinis virtutem, sed propter perfidiae errores; credunt enim, cuilibet homini a Deo constitutam esse mortis horam et genus et quod illa nec promoveri nec praeteriri possit, etiamsi se sponte occidant, vel voluntario praeciptio aut suspendio se perimant. Putant se mori aut occidi non posse, si non adsit hora constituta, imo sine armis protectivis ad bella nudi procedunt. Post divisionem induximus eos cum difficultate, tum ut jurarent nobis servare pacem, et juraverunt, se servaturos pacem usque in Cairum duntaxat, quia ibi esset rex Soldanus et judices, et coram illis vellent adstare et judicii decretum subire. In hoc certamine imminebat nobis omnibus grande periculum, quia si unus alium vulnerasset, sui socii in ejus adjutorium consurrexissent contra alium quem et sui socii conati fuissent defendere, quia in tres societates eramus partiti, ut habetur P. 1. Fol. 122. B. Praeter hoc fuissemus captivati et regi Soldano praesentati, tamquam violatores salvi conductus ejus. Ideo Calinus dimicantibus astitit et nomine regis Soldani pacem imperavit, sed non curaverunt, quod totum ad lucem venisset. Igitur sedato tumultu processimus per longam viam monti sancto terga vertentes, quia dicebant nobis Calinus et Arabes, quod per nullam vallem ad radices montis Synai possemus intrare, nisi per unam, ad quam oporteret nos descendere, per quam etiam patres nostri, filii Israel, ad montem sanctum venerunt.

Post longum descensum recurvabatur vallis iterum contra meridiem ad montem sanctum et laeti processimus in oculis (b) Synai montem habentes. Sole autem occasum petente venimus in unum latum campum, undique altis montibus circumscriptum, et campus rotundus in medio montium et humus herbosa et multum delectabilis (est). In medio campi erant in una circumferentia multi rupes et scopuli do terra prodeuntes et monticulum facientes et sub istis scopulis tentoria fiximus et pernoctare ibi decrevimus. Dicitur autem regio illa et campus arabice Macharea estque campus ita montibus septus, quod non poteramus exitum videre nec cernere, ubi intravimus, aut ubi exituri essemus. In illo campo pascebat Moyses oves Jethro, soceri sui, de quo habetur Exodi IV., et abhinc minavit gregem ad interiora deserti, ad radices montis Synai, quod nullus pastor ausus facere fuerat, sed omnes extra hic et alibi in vallibus manebant, ut patebit.

In ipsis rupibus, quae juxta nos stabant, ostenderunt nobis ductores locum inter rupes aptum sessioni, a quo est respectus per illius campi latitudinem. In illo loco dicunt Moysen sedisse, dum pasceret oves Jethro, sacerdotis Madian. Pro cujus intellectu notandum, quod Madian fuit civitas in littore maris rubri sita, a qua tota regio a mari usque in desertum dicebatur Madian. In civitate autem residebat primas patriae, qui dicebatur sacerdos Madian et erat tempore Moysis Jethro, qui etiam dicebatur Raguel et Civeus et Obab. Ad hunc primatem confugit Moyses ab Aegypto, ut habetur Exodi II. Cumque Moyses bene ei serviret, tradidit ei unam ex filiabus suis uxorem et fecit eum pastorem gregum ovium suarum, quod erat magnum, quia tota substantia antiquorum dependebat a gregibus bestiarum. Morabatur ergo Moyses cum gregibus ovium in locis deserti graminosis et herbosis, sicut erant valles deserti Synai et singulariter in isto loco erat cum aliis pastoribus, quia erat spatiosus et pascualis, et multis annis in pascuis exercebatur et quandoque in civitatem, quae longe aberat, descendit ad uxorem, sed pro majori parte anni fuit in deserto cum ovibus, sicut pastores boum et vaccarum in alpibus cum eis manent per multum anni spatium. Erat autem campus ille terminus pascuarum, nec permittebatur

aliquis pastor, ut ulterius contra montem Synai intraret cum grege, quia publica fama erat, quod mons ille esset mons Dei et Deus habitaret in eo; idcirco nemo accedere audebat, praecipue cum aliqui intrantes non fuerint amplius visi, sed mortui manserunt intus. Ex quo patet, quod ante Moysen erat locus et mons in honore habitus, sed cum multis gentilium superstitionibus. Quidam enim dicebant, Deos montium Orchades ibi conventum habere et neminem viventem secum pati, et ab his etiam montes Orchdes denominabant. Alii dicebant, quod mons ille Apollini consecratus esset, qui fuerat pastor armenti Admeti, regis Thessaliae, et Deus sapientiae factus. Alii Mopsum ibi honorabant, qui grineo deserto praeerat et post mortem responsa ex templis ibi constructis dabat. Moyses vir fidelis aliter de hoc monte sentiebat: erat enim homo sapientissimus, qui primum litteras Judaeis tradidit, a quibus Phoenices suas acceperunt et a Phoenicibus Graeci, ut dicit Eupolius philosophus. Sed et arma bellica eum invenisse affirmat et litteras Aegypti sacerdotibus tradidisse tantumque apud Aegyptios fuisse, ut eum Mercurium esse dicerent. Insuper ejus formam describit dicens, eum hominem longum fuisse, flavum, canum, prolixiore capillo ac barba, statura et facie dignitatis permaximae. Hic ergo vir insignis, cum, ut dictum, ab Aegypto exularet et in hoc loco greges pasceret, (42a) haud dubie a Spiritu sancto instigatus persaepe ad intima deserti penetrare, tempore Deo placito cum suo grege ad interiora processit ad radices montis sancti, sicut patebit. Nos ergo adhuc ista nocte foris mansimus, ingressuri cum Moyse in crastinum.

Dicta delicabilia propter manna inventum.

Vicesima secunda die, quae est festum S. Mauritii et sociorum ejus, valde mane consurreximus et oneratis bestiis stellam beatissimae virginis S. Catharinae, quae prope nos stare videbatur, secuti sumus et contra parietes montium nos circumstantium processimus. Cum autem ad parietem petrosi montis venissemus, invenimus scissuram petrae arctum ingressum praebentem, per quem et Moyses ingressus cum suo

grege ad interiora deserti pervenit: per illam arctitudinem vix poterant onerati cameli ingredi. Cumque introrsus essemus, in aliam planitiem venimus, multum amoenam, in qua erant gramina, herbae et virgulta. Refrigeravimus autem nos cum rore decidente, quod utique dulcius erat melle, omnino dissimile illi rori, quem gustavimus die XVIII., ut supra patuit. Nam rores circa haec sancta loca cadentes ostendunt, quam dulcis fuerit manna ibi data patribus. Et hodie cadit manna vel ros mannae per circuitum sancti montis Synai in duobus mensibus, in Augusto et Septembri, quod colligunt Arabes et vendunt peregrinis. De hoc manna multum vidi et comedi. Vincentius in Speculo naturali L. V. C. 85 dicit: manna est ros cadens super herbas aut lapides et coagulatur sicut mel et exsiccatur sicut gummi et inviscatur et postea colligitur, descendit autem nocturnis horis in orientalibus partibus, sed quum in modica quantitate reperitur, multum sophisticatur, purum autem et non mixtum aromaticum est valde et pretiosum, subalbidum, nihilque eo dulcius et ultra modum jocundi saporis et illius generis esse dicitur, de quo Hebraei vixerunt in deserto XL annis, quod ibidem concreatum est divino miraculo, in melius mutata specie et sapore. Nam hoc naturale manna multum deficit a miraculoso, non enim omni nocte invenitur, nec omni anni tempore, sed illud semper mane reperiebatur, ubi populus Dei morabatur, illud autem reperitur etiam in quibusdam partibus Graeciae.

De manna filiis Israel dato dicitur Exodi 16.: cum operuisset ros superficiem terrae, apparuit in solitudine minutum et quasi pilotusum in similitudine pruinae super terram. Textus ille hunc habet intellectum: primum enim cadebat pruina super terram et postea manna desuper et postea ros aliquantum congelatus desuper, ita, quod manna erat intermedium quasi, munde custoditum et repositum inter duo stramenta, scilicet pruinae et roris. Hoc autem manna, quod hodie invenitur, non operit superficiem terrae, sed dependet in foliis herbarum et in acuminibus lapidum, sicut ros, nec habet ex se saporis dulcedinem, sed contrahit eum ex qualitate quadam herbarum, graminum, vel lapidum, super quae cadit. Antiqui dicebant, quod ros est filius lunae et aeris. Ros autem

nvisibiliter descendit, terram refrigerat et foecundat, suavis st et lucidus, modico calore siccatur; ros cadens facit foe- nditatem; in favum ab apicula deportatus in mellis mutatur lcedinem; in concham vero marinam descendens vertitur in retiosam margaritam. De rore ergo dulcissimo illius deserti ane illo suximus (b) cum delectatione. De manna autem monasterio S. Catharinae emimus, quod tamen sophisticatum bene falsificatum reperimus, prout conjecturare possum ex raedictis. Contigit enim nobis de manna, sicut de balsamo icetur fol. 78 sqq.

Cum ergo per praedictum angustum ingressum venisse- us in latam vallem a herbis odoriferis refertam, altissimis upibus cinctam rubei coloris, in illa valle et in cohaerentibus allibus ab omni parte montis Synai habitaverunt filii Israel er tribus et familias suas sub tentoriis et tabernaculis eo empore, quo Moyses erat cum Domino in monte. De quo licetur clarius fol. 83 b.

Per aliquas ergo horas ascendimus contra orientalem plagam et demum dimissa illa plaga contra meridiem aliam vallem magnam et pulchram ingressi sumus et procul ante nos vidimus terribilem et altissimum parietem petrosi montis, versus quem ascendimus, et mirabamur, in quo loco de valle illa egressuri essemus, cum ante nos et in utroque latere nullum exitum cernere possemus, sed solum altissimis petro- sorum montium parietibus conclusos nos videremus. Cum autem paene usque ad grandem parietem, qui in prospectu nostro stabat, appropinquassemus, ecce scissura montis a summo usque deorsum erat in latere sinistro, per quam est via et non alia ad montis sancti radices. Ingressi ergo sumus per arctam viam istam et asperrimum iter habuimus, camelis et asinis grave. Et cum paululum per voraginem illam ascen- dissemus fieretque vallis latior, ecce, structuras vidimus et aedificia et humana habitacula et ecclesiam oblongam, eratque beatissimae virginis S. Catharinae monasterium cum ecclesia et cum oratorio beatissimae Virginis Mariae ad Rubum dicto, in radicibus sanctissimi montis Synai. Haec cum vidissemus, de asinis cecidimus et cum gaudio magno prostrati contra locum adoravimus. Nam in eodem loco, ubi monasterium

nobis apparuit, S. Moyses insigne prodigium vidit, scilicet ignem rubum comburentem et ejus viriditatem et florem nullatenus depascentem et ejus ramos fructiferos nullo incendio devastantem, quamvis flamma velox et vehemens nimis esset.

Stabat autem rubus mirabilis ille in loco, ubi nunc est oratorium Mariae ad Rubum in capite ecclesiae; unde cum hoc Moyses ammirans vidisset, dixit in se ipso: vadam et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Et dum per districtum pergeret et rubo flammescenti appropinquaret, exorsus est ei Dominus loqui, ut habetur Exodi III.

Ab eo ergo loco post camelos et asinos contra monasterium properavimus et dum ad plateam, quae est ante fores monasterii venissemus, invenimus ibi sedentes multos Arabes more suo armatos, qui fame cogente de penetralibus deserti ascendunt ad monasterium pro frusto panis paximatii. Ad horum conspectum multum conturbati fuimus, timentes tribulari ante portas monasterii ab eis. Ascenderant etiam multi nobiscum, qui nobis in deviis deserti adhaeserant.

Exoneravimus ergo bestias nostras et omnem supellectilem in unum cumulum congregavimus eumque circumstetimus, ne aliquid raperent praesentes raptores. Audientes autem fratres adventum et praesentiam nostram egressi sunt aliqui et bene susceperunt nos et juverunt nos omnem supellectilem intus ad locum hospitum portare. In loco hospitum erant plures cellulae omnino vacuae, et per istas divisimus nos per societates. Erat etiam juxta cellulas una capella Latinorum cum altari et ibi, quia nondum meridies transivit, (42a) unus de peregrinis missam nobis legit, quam cum devotione audivimus. Post Missam ligna ad coquinam emimus a monachis et de provisione nostra, quam de terra sancta tuleramus, cibos coximus et manducavimus, deinde ad quiescendum nos locavimus et quiete finita in ecclesiam S. Catharinae virginis venimus ad ejus sepulchrum et oratorium S. Mariae ad Rubum et ad alia loca sancta transivimus, de quibus in ordinaria processione dicam. Et his peractis mansimus in monasterio in locis nec septa ejus egressi sumus illo die.

Tristitia peregrinis adveniens.

Vicesima tertia die eramus parati adscendere in montes nctos Synai, Oreb et S. Catharinae, sed infirmi peregrini, estri confratres, supplicabant nos, quatenus usque in cra-inum exspectaremus, ut interim roborati nobiscum possent scendere. Condescendimus autem petitioni eorum et cum atientia mansimus in quiete, veruntamen post Missam et randium iterum loca sancta intra monasterium visitavimus ro indulgentiis (†) et claustrum transivimus videntes singula.

Porro circa vesperam venit unus de capitaneis Arabum, rinceps latronum deserti cum multis complicibus armatis et n monasterium ingressus locavit se cum suis prope locum et abitacula nostra, qui exspectabant et observabant introitum t exitum nostrum; nam propter nos venerant, ut jura sua njusta a nobis exigerent. Erat autem hoc nobis singularis crux et omnis gaudii nostri triste temperamentum, nec pote-ramus de habitaculo nostro in ecclesiam S. Catharinae des-cendere nisi per medium nostrorum exactorum. Erant enim gradus, per quos de nostro commodo in curiam descendimus et de curia in ecclesiam virginis Catharinae, ipsi autem Ara-bes in curia jacebant die et nocte et nos descendentes et as-cendentes diligentissime considerabant, nec ad puteum pro aqua poteramus venire nisi per medium eorum. Nihil autem nobis faciebant, nec bonum nec malum, nec nos proclamabant, sed tamen eorum exspectatio nobis molesta erat. Hora coe-nae appropinquante coximus pro coena et pro crastini diei prandio, sicut per desertum facere consuevimus, quia in alia die non eramus habituri tempus vacans ad praeparationem prandii, sicut ostendetur.

Quomodo peregrini adscenderunt montem sanctum Oreb et Synai et quomodo diversae adversitates eis acci-derunt in ascensu illo, et de montis et viae dispositione.

Die XXIV. tribus horis ante lucem solis surreximus et in capella latina Missas celebravimus, quibus peractis venit

frater monachus monasterii et sacrista, nomine Nicodemus, ducturus nos in montes sanctos. Recensuit autem peregrinos et quemlibet in singulari respexit et quos debiles judicavit, nequaquam proficisci nobiscum voluit dicens, viam esse arduam et sanis gravem. Sic ergo quidam peregrini infirmi remanserunt, quidam autem (b), licet infirmi essent, omnino manere nolebant. Accepimus sacculos nostros cum cibariis et flascones cum vino et amphoras cum aqua, quae per biduum sufficerent, et ea asinariis nostris tradidimus portanda, quia parati erant ascendere nobiscum pro nostro servitio. Sic ergo nobis dispositis eduxit nos frater Nicodemus de monasterio per portam, per quam ingressi fueramus, et declinavimus ad plagam meridionalem in radice montis sancti Synai et Oreb, cui et ipsum monasterium adhaeret. Mons quippe ille sanctus est binomius. Dicitur enim a monasterio usque sursum ad capellam sancti Heliae Synai, et deinde ab illa capella usque ad cacumen dicitur Oreb. Et haec duo nomina ab effectu sortitur mons ille. Quia enim mandata et praecepta sunt ibi data, dicitur Synai, i. e. praeceptum; et quia Dominus in igne ibi apparuit et mons igneus ac candens et fumans fuit, ut habetur Exodi XIX., ideo Oreb vel Choreb, i. e. ardor, nominatur. Igitur dum ascendere montem sanctum incepimus et cum silentio, timore et devotione subiremus, exortum est litigium, clamor et indignatio inter asinarios nostros, qui portabant onera nostra, et inter Arabes, qui concomitabantur nos, et erat litigium pro saccis et oneribus nostris portandis; nam Arabes nolebant, quod asinarii nobis servirent, dicentes, servitia illa ad eos pertinere, sicut et conductus et pedagia deserti dicebant ad se spectare. Conabantur ergo Arabes illi onera recipere, et illi nolebant dimittere, ex quo factum fuit tantum disturbium, quod nos ipsi accepimus onera et nec istis nec illis dimittere volebamus, sed humeris nostris imposuimus et conversi in monasterium reverti incepimus, ut cum adjutorio Calini et abbatis monasterii et Arabum capitanei pacifice ascendere possemus. Hoc cum vidissent Arabes et asinarii, uniti sunt et pacem ac silentium se habituros promiserunt, tantum ne in monasterium reverteremur precabantur et reacceptis oneribus a nobis cum tranquillitate ascendimus.

Cumque per praeceps adscenderemus et ad montis ardua enissemus, defecerunt peregrini illi debiles nec procedere oterant et mox reducti deorsum in monasterium (sunt.) Nos ero processimus ascendentes per lapideos gradus, qui ibi unt a monachis facti, cum sine eis nemo ascendere posset ropter praecipitem clivum et rupium altos parietes. Est enim ni montis crepido obscura et horribilis, per cujus medium ater rupium parietes gradus sunt locati, per quos tamen emo pedetentim ascendere potest, sed reptando manibus et edibus, sicut Jonathan ascendit 1. Reg. XIV. Conscenden- ibus ergo nobis ecce fons vivus mox obvius fuit, qui ab nitio ibi miraculose emanavit, ex caussa, quam paulo post nfra dicam. Et quamvis adhuc jejuni essemus, de fonte amen bibimus, quia sudavimus ex labore et sitivimus.

Consequenter procedentes (44 a) per montis crepidinem riam asperrimam atque oppido [?] saxosam venimus ad capellam, quae beatae Mariae titulo venerabilis habetur in memoriam ubscriptae rei fundatam, juxta quam in tugurio capellae an- nexo habitat frater unus de monasterio, qui ostium capellae nobis aperuit. Cum autem capellam ingrederemur, frater Nicodemus, ductor noster, originem illius capellae et fontis nobis dixit italica locutione sub hac historia. Quodam tempore serpentes, viperae, bufones et alia animalia venenosa adeo in monasterio et per ejus circuitum multiplicata increverunt, quod monachi penitus non poterant ibi morari, et decreverunt, locum deserere et monasterium derelinquere et ad alium lo- cum securum et mundum se transferre. Die ergo constituto convocavit abbas monachos omnes et indixit processionem cum maturitate et devotione fiendam ad montem sanctum Synai, et peracta visitatione montis sancti transmigrationem a loco illo insinuavit. Acceptis ergo crucibus et reliquiis cum cantu ascenderunt in montem sanctum usque in ejus cacumen, ibi legem et tabulas de manu Dei accepit Moyses. Deoscu- atis ergo cum lachrimis locis sanctis descenderunt tristes, quia invitissime a loco illo et monte emigrabant, a quo tamen illo die cum omnibus monasterii rebus migrare intendebant compulsi praedicta necessitate. Cum autem ad locum hujus capellae descendendo venissent, ecce subito splendor ingens

emicuit et in splendore Virgo gloriosa mater Domini dulcissima eis apparuit et, ne a loco tam sancto discederent, praecepit securitateque pollicita mox disparuit. Fratres ergo hac visione consolati ulterius descenderunt, gravis tamen tentatio eos movit metuentes, ne forte phantasma esset, quod viderant. Cum ergo ad locum fontis, ubi tunc aqua nulla erat, venissent, substiterunt ibique Deum devotius exoraverunt, ut, si vera fuisset apparitio, id aliquo signo eis dato ostendere dignaretur. Mira res, mox illis orantibus fons vivus de durissima petra ad latus eorum erupit, ubi prius nec aquae vestigium apparuit, orantesque plurimum laetificavit et a tunc usque in hoc nunc fluere non cessavit: de petra scaturiens ascendentibus montem sive descendentibus multae est consolationis. Signo ergo habito fratres cum laetitia descenderunt et monasterium cum tota circumferentia mundatum a vermibus repererunt et non modo procul inde aufugerunt, sed usque in hodiernum diem nequeunt appropinquare loco eidem, et si quandoque serpens ab extra apparet, statim, ut muris appropinquaverat, moritur.

Cum haec a fratre Nicodemo audivissemus, Deum laudavimus et ingressi capellam intemoratam Mariam Virginem salutavimus et indulgentias (†) septennes accepimus dictis antiphonis et versiculis ac collectis in processionali terrae sanctae signatis.

Ab illo demum loco ascendentes multo cum labore ad arcum venimus lapideum, qui ab uno latere crepidinis usque ad aliud tensus in modum portae curvatur et de magnis quadratis lapidibus vetustissimo opere est factus, nec patet via sursum, nisi per illam portam, quae tamen valvis caret. Ibi certa didicimus narratione, quod nullus Judaeorum hanc potest ingredi portam, et hoc pluries fertur probatum, quia vel terrore vel aliquo miraculo, hic dum venerint, (b) repelluntur et produntur, etiamsi occulte accedere conati fuerunt. Magno enim desiderio aestuant videre locum lationis suae legis, sic ut nos appetimus videre locum crucifixionis nostri legislatoris. Sed sub hac porta subsistunt, rigescunt, tabescunt, contremiscunt et rejiciuntur divino miraculo. Contigit namque ante hos annos, quod quidam Judaeus mutato habitu et dissimulato

judaismo peregrinis Christianis se associavit et cum eis per desertum usque ad hunc locum pervenit, cumque peregrini, qui ante eum ibant, per portam intrarent, sequebatur eos usque ad portam nec amplius procedere voluit, sed attonitus et stupefactus stetit; quem cum interrogaverunt, quid haberet et quare non intraret, magno cum gemitu et lacrimis respondit: o fratres peregrini, video supra arcum crucifixum, qui me ingredi non sinit, nec immerito. Sum enim, fateor, heu, Judaeus et Christo crucifixo usque nunc semper fui inimicus et me Christianum peregrinum simulavi, ut legis nostrae latorem, Moysen, hic honorarem. Sed video plane me ad Moysen non admitti nisi per crucifixum, quapropter ex nunc crucifixo Christo credo et me baptizari promitto et Christianus mori desidero. Statim autem, ut haec verba finierat, crux disparuit et ipse sine impedimento cum aliis ascendit, glorificans Deum et post hoc baptismum suscepit et contra Judaeorum coecitatem cunctis, quae sibi acciderant, recitavit. Ab hoc ergo tempore nullus Judaeorum praesumsit adscendere. Si enim possent libere transitum habere, semper essent ibi peregrini Judaei.

A porta illa ulterius ascendimus ad non modicum spatium et ad aliam, portae praefatae scilicet, venimus et ingressi portam in quandam delectabilem planitiem venimus, quae finis et terminus est montis Synai; nam usque ad hunc locum nominatur mons Synai. De illa vero planitie consurgit mons rotundus, altus et totus petrosus, qui est mons Oreb. Totus tamen mons cum utraque parte inferiori et superiori quandoque Oreb nominatur. Et nonnumquam superior pars propter suam petrositatem dicitur petra Oreb. Cum ergo per portam ingressi essemus, ascendimus per campum illum graminosum, qui erat inter nos et montem Oreb, quia campus declivus aliquantum erat, et ad unam ecclesiam pulchram et magnam venimus. Sunt autem tres capellae contiguae, uno murorum ambitu clausae, una est sanctae Marinae, secunda sancti Helizaei prophete, tertia sancti Heliae prophetae.

Porro per parvum et demissum ostiolum est introitus, per illum ergo portulam venimus in capellam S. Marinae virginis et prostrati orationes consuetas legimus de processionali et indulgentias (†) recepimus. De hac sacra virgine habetur

delectabilis legenda in Vitis patrum, quomodo multis annis conversata fuit in monasterio virorum, incognita, quod esset mulier et quomodo patientissime se habuit, quando de impraegnatione puellae cujusdam inculpata fuit et pro hoc facto rigidissimam poenitentiam tamquam nocens sustinuit, in qua et diem extremum clausit et post inauditis miraculis claruit et hic in hoc sanctissimo loco habere capellam meruit.

Demum secundam capellam S. Helizaei ingressi sumus et orationibus praescriptis decantatis indulgentias (†) recepimus. Hic Helizaeus vivus maxima miracula fecit et mortuus mortuum suscitavit, ut habetur 4. Reg. XIII. Creditur etiam, quod ad imitationem magistri (45 a) sui, Heliae, cujus discipulus erat, hunc montem sanctum crebrius visitaverit. Dicunt etiam, quod translato Helia in curru igneo, sicut dicitur 4. Reg. II., quod Helizaeus huc perrexit et eum in specu suo quaesivit putans eum ductum ad hunc locum, vel admisit, ut viri hic eum quaererent. De quibus habetur 2. Reg. II.

Post hoc tertiam capellam S. Heliae ingressi sumus et orationibus lectis indulgentias accepimus duplicatas (††), in capella scilicet in specu suo, qui est retro altare, in quo zelosissimus Domini vates Helias demoratus est, postquam memorabile illud peregit facinus de confutatione prophetarum Baal et interfectione 470 virorum, quos interfecit in torrente Cison; ut diffuse habetur 3. Reg. XVIII. Quo comperto Jezabel nequissima mulier juravit decapitare S. Heliam, qui timuit et per deserta fugiens in hoc specu absconditus mansit: 3. Reg. 19. longa de his habetur historia. Est autem specus S. Heliae caverna in petra arcta, in qua homo non potest erectus stare sed aut incurvatus aut genubus flexis aut sedendo potest ibi manere.

His visis egressi sumus et supra ecclesiam minacem petram, grandem, rotundam dependere vidimus, de qua dicitur, quod corvus cibum, quem S. Heliae portabat, super lapidem hunc ponebat, ad quem S. Helias de specu scandens cibum tollebat. Solebat enim Deus providere prophetae sancto per ministerium corvorum, ut habetur 3. Reg. 17., qui portabant ei mane et vespere panem et carnes.

Consequenter progressi in montem Dei Oreb scandimus. Porro in ipsa semita jacet grandis fractura et petrae pars,

quae de alta rupe scissa deorsum per praeceps ruit et viae directae sursum ducenti obstaculum existit, ita, quod propter molem istam oportet facere circuitum. Hanc autem rupturam petrae dicunt tempore Heliae factam esse, quando ei Deus mandavit, ut de specu exiret. Et dum staret coram Domino, ecce Dominus transiit et spiritus grandis et fortis subvertens montes et conterens petras, 3. Reg. XIX., de facto enim juxta illam partem montis est horrida petrarum et rupium eversio et ruptio, quasi singularis tempestas ibi grassasset. Et hoc intelligunt factum esse in conspectu Heliae, non solum imaginative, sed et corporaliter. Unde Magister in Spec. hist. dicit, quod tria illa, in quibus non erat Dominus, erant corporalia. Primo ventus fortissimus, conterens petras; secundo terrae commotio, subvertens montes; tertio ignis magnus, comburens et consumens et incendens rupes. Et illius horribilis tempestatis signa hodie apparent.

Ascendimus ergo per contritos lapides et eversas rupes cum magno labore et sudore et paene usque in verticem venimus.

Sub cacumine in montis collo venimus ad petram, in qua foramen erat et istud foramen est illud, de quo habetur Exodi XXXIII. Cum enim Moyses colloquio Domini frueretur, desiderabat videre faciem Dei et claritatem Dei. Cui Dominus: non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo et vivet. Ecce, est locus apud me, inquit, et stabis super petram eamque pertransibit gloria mea. Ponam te in foramen petrae et portegam te dextera mea. In ipsam ergo voraginem licet arctam et strictam, in qua Moyses recurvus in ventre jacens fuit a Domino positus, immisimus nos etiam devotionis caussa. Cum labore enim ad imitationem prophetae in hoc foramine nos involvimus. Est enim foramen paululum a terra estque demissum et non altum, nisi quod (b) homo in terra stans potest extensis brachiis cum capite se intromittere. Si autem vult etiam pectore intrare, oportet, quod se levet a terra et tunc brachia, pectus et caput sunt quidem intus, sed crura cum tota posteriore parte extra dependent ab umbilico, et ita homo jacet quasi inter duas molas, quia cum ventre jacet super partem petrae inferiorem et dorsum premit pars

superior. Si quis autem vellet, posset se totaliter in petram trahere, quia foramen profundum est, sed quomodo sine adjutorio et sine extrahente reexiret vix video, quia non patet ei exitus motu retrogrado, sicut movetur cancer. In quo motu habet impedimentum supra et infra, sed non ante, nec retro; non enim tantum est intus de spatio, ut homo se vertat et cum capite primo exeat. Hoc ergo foramen est illud, ut pie creditur, in quod posuit Dominus Moysen, ut contemplaretur Dei posteriora. Si cui placet videre, quid sit Dei facies et Dei posterior pars, videat in Nicol. de Lyra super illum locum et Addi. cum replicis.

Foramine illo perspecto ascendimus ulterius, usque ad cacumen montis sanctissimi, in caput montis supra rupem, in cujus latere est foramen praedictum. Haec est petra, super quam jussit Dominus stare Moysen, Exodi 33.: Ecce, est locus apud me et stabis super petram etc. Super petram illam est hodie aedificata una capella, quae dicitur ecclesia sancti Salvatoris, quae erat ferreo osteo firmiter clausa, statque in loco, ubi sanctus propheta Moyses decalogum in duabus tabulis lapideis digito Dei exaratum accepit stans cum Domino solus in montis vertice, ut habetur Exodi XXXIV. Anno ante nativitatem Domini 1514 fuit lex data Moysi. Hanc capellam aperiente fratre Nicodemo, qui de monasterio nobiscum ascenderat, discalceatis nudisque pedibus pro reverentia et sanctitate loci intravimus nosque, ut justum erat, devotius prostravimus in terram et locum illum, in quo Moyses legem de manu Domini accepit duobus signatum lapidibus deosculabamur et orationibus ibi lectis, prout in processionali terrae sanctae signantur, indulgentias plenariae remissionis (††) accepimus. Post orationem chorum intravimus, altare circumivimus et locum cum ingenti devotione et delectatione vidimus et frequentius vestigia angeli visibili et corporali specie Moysi ibi apparentis deosculati fuimus, similiter et vestigia sancti prophetae Moysis. Sunt enim, ut praedixi, ante introitum chori duo lapides supra sancta vestigia, in uno loco stetit angelus, in alio genubus flexis stetit Moyses, et sunt duo albi marmorei lapides in pavimento locati, et dicunt, quod sub istis lapidibus sint adhuc in petra impressa vestigia genuum Moysis.

His visis de ecclesia egressi sumus et calceamenta nostra reassumsimus et ad latus capellae paululum descendimus ad XV passus et speluncam de superpendente petra ingressi sumus. In ea autem prostrati orationes solvimus et indulgentias (†) accepimus. In hoc specu mansit Moyes, quando non habuit Dominus colloquium cum eo, et in eo jejunavit 40 diebus et 40 noctibus, ut legem Domini mereretur accipere. Est autem spelunca lata et magna, non aliud lumen (46 a) habens, nisi quod per locum introitus spargitur. Esset autem satis commodosum habitaculum pro contemplativo monacho. Ex opposito speluncae est altitudo quaedam, in qua aedificata est una muschea, ecclesia sarracenica, juxta quam plures Sarraceni sedebant, qui etiam ad visitandum locum sanctum ascenderant. Nam Arabes, Aegyptii, Sarraceni, Turci, de longinquis mundi partibus ad hunc locum peregrinantur ob reverentiam Moysis. Demtis enim Judaeis de omnibus mundi partibus huc confluunt homines de omni ritu et secta; Judaei soli non possunt ascendere, et si possent, gentiles eos non admitterent, imo Christiani eos secum orantes non sustinerent.

Insuper grandis in monte est cisterna, bonam continens aquam et frigidam atque sanam, de quam tamen aquam habere non potuimus, quia, in quo hauriremus, non habuimus, et puteus valde altus (est.) Dicunt, hanc cisternam esse Moysis, de qua bibit; quod non consonat Scripturae, quae ipsum dicit ibi jejunasse.

Circuivimus et lustravimus totum montis verticem et vidimus grandes ruinas antiquorum murorum per gyrum, et creditur, ibidem fuisse monasterium, quod quidem totum destructum est praeter ecclesiam, juxta quam semper manent duo fratres de monasterio S. Catharinae.

Habet mons iste hoc singulare, quod rotundus sursum protenditur nec aliis montibus condependet, nec tamen omnibus altior est, sed omnibus singularior et ascensu difficilior. Sunt enim a monasterio in ejus usque summitatem circiter septem millia graduum, demtis locis, in quibus rectis passibus ascenditur et non per gradus. Ex illo monte est respectus ad regiones procul existentes, ad quas tamen clarior respectus est de monte S. Catharinae, ideo ibidem loquar de illis regionibus.

Ex iam dictis patet descriptio sacri montis, commendatio tamen eximia et sanctitas ejus ex canonicis scripturis clarius habetur in multis locis, sicut Exodi III. et XIX. et XX. et Deuter. V., ubi dicitur, quod mons ille ardebat usque ad coelum, et per totum pentateuchum et in psalmis et prophetis. Ex quibus omnibus infertur, quod mons Oreb Synai est mons excellentiae et altitudinis; mons divinae habitationis et angelorum frequentationis; mons luminis, ignis et inflammationis; mons terribilis nubis et caliginis; mons sapientiae et eruditionis; mons misericordiae et promissionis, justitiae et comminationis; mons fulguris et corruscationis; mons tubae et clangoris; mons amicitiae et confoederationis; mons clementiae et propitiationis; mons sacrificii et orationis; mons pinguedinis et coagulationis; mons visionis et contemplationis.

Postquam ergo hujus montis sancti loca perspeximus, consedimus et collationem fecimus manducantes et bibentes, quod nobiscum portavimus, et ultra horam in monte sancto mansimus. In tribus enim horis a monasterio in cacumen venimus. Cunctis autem terminatis, quae in monte sancto agenda erant, disposuimus nos ad ulteriores labores et processimus modo, quo sequitur.

Progressio ulterior.

(b) Descensus peregrinorum de monte Oreb et aliquorum peregrinorum ascensus in montem S. Catharinae.

Expleta collatione paululumque recreati descendimus de monte contra occidentem per praeceps viam periculosam, terribilem et saltuosam valde, ita, quod nonnumquam necesse fuit, ut submitteremus nos deorsum per saltus, in ventrem nos ponendo super praecipites rupes. Saepe etiam in hoc descensu venimus in capitibus rupium in arctas vias dependentes, in quibus casus fuisset crudelis mors, nam deorsum per altissimas rupium parietes quis, mox ut pedem non recte posuisset, cecidisset in valles horribiles; tandemque venimus in quoddam monasterium, dictum ad quadraginta sanctos, et ibi ingressi ecclesiam adoravimus et indulgentias recepimus (†). Interea

duo fratres de monasterio S. Catharinae ibi morantes attulerunt nobis caricas et desiccatos dactylos et aquam, de quibus pro refrigerio et confortatione libavimus. Post hoc, quia nondum meridies erat, consedimus et deliberavimus, an illo die etiam montem S. Catharinae ascendere vellemus, aut quiescere usque in crastinum. In hanc autem convenimus sententiam, ut juniores et saniores et qui vellent, jam ascenderent et loco visitato ante occursum solis reverterent, alii vero seniores et debiliores mane in frigore iter arriperent ad ascendendum. Surrexerunt vero decem peregrini robustiores ad ascendendum parati in intensissimis aestibus, quorum haec sunt nomina: dominus Johannes comes de Solms, miles, dominus Heinricus de Schomberg, miles, dominus Sigismundus de Marspach, miles, dominus Caspar de Siculi, miles, dominus Lazinus, archidiaconus et canonicus ecclesiae transsylvaniensis in Ungaria, frater Felix de Ulma, ordinis Praedicatorum, pater Paulus Guglinger, ordinis Minorum, frater Thomas, conversus ejusdem ordinis, et duo comitis servi, Johannes et Conradus. Hi assumtis secum aliquibus Arabibus montem arduissimum S. Catharinae aggressi sunt.

Ascendimus ergo montem per viam longiorem, asperiorem et duriorem, per invias crepidines, per scopulos praeruptos, per petras superpendentes, per minaces rupes, per horribiles saltus perque praecipites clivos, per intensissimos desuper solis ardores. Hoc vero solum habuimus refrigerium, quod dues in tali ascensu fontes reperimus aquam frigidam continentes, unde refocillabamur. Quidam vero miles fractus tam violento labore penitus defecit et in arduissimo clivo residens amplius procedere non potuit. Eramus autem iam ultra medium ascensus et caput montis vidimus licet longe supra, quod dum miles ille debilis aspiceret, desperavit se posse ascendere et rogavit nos, ut ascenderemus, eumque ibi solum exspectare nos sineremus. Ad hoc nos animavimus eum et sursum erectum aliquantulum procedere coegimus, qui aliquotiens sub manibus nostris quasi amens in terram dilabebatur, ligavimus autem sudarium longum ad cingulum ejus, per quod aliqui eum trahebant, aliqui manus ejus tenebant trahentes per brachia, aliqui ad dorsum ejus stabant et sursum trahebant,

et mirabilem fatigam cum peregrino illo habuimus. Tandem Deo auxiliante (47 a) in verticem montis Synai venimus, ad angelicum sepulchrum beatissimae virginis S. Catharinae. Procidimus ergo et cum devotione locum sacri corporis per angelos apportati deosculati sumus et indulgentias accepimus (†), decantantes prius, quae signata habuimus in processionali terrae sanctae. Porro post orationem consedimus, et inceperunt flagrare desiderio panis et aquae et quilibet optabat se habere secum sportam suam et amphoram. Nescio autem, qua providentia accidit, ut ego solus mecum haberem sportam cum paximatiis, ovis duris, carnibus fumigatis, et caseo, quae pro me ipso tuleram, alii omnia sua inferius cum peregrinis remanentibus dimiserant, et videntes, me esse provisum, congratulabantur quidem mihi et providum me praedicabant, sibi ipsis vero indiguabantur de negligentia, et petebant me unus, ut darem sibi pauxillum panis, alter modicum carnis, alius parum casei et panis, alii haustum vini quaerebant o me. Hoc ut vidi, jucundatus fui et nulli quidquam dedi, sed sportam arripui et omnia, quae in ea erant, in concavitatem petrae, quae juxta nos erat, effudi in loco, ubi caput S. Catharinae positum fuerat, et tali facetia usus nobiles et peregrinos invitavi dicens: ecce, domini mei, provida dispensatione factum est, quod hic omnes vos sitis hospites mei et ego habeam solus exponsas, quod libentissime faciam, utinam laute vobis procurare possem. Nam ecce in hac domo, in ista camera, in hoc lectulo habitavit et quievit dulcissima sponsa mea S. Catharina ultra trecentos annos a sua passione, quae mihi in juventute desponsata inter omnes coelestis regni pretiosissimas virgines deifica sorte a me electa est, denique in ejusdem virginis festo anno 1452 ejus amore saeculo renuntiavi et habitum fratrum Praedicatorum accepi, et anno revoluto eodem die obedientiam publica et solenni professione promissi, sicque perpetua obligatione me in Dei servitium et in hujus virginis obsequium mancipavi. Venite ergo omnes, quotquot estis, et cum laetitia edite. Accesserunt ad hanc invitationem omnes, et cum multa laetitia manducavimus ea, quae apud nos erant. In hoc convivio erant comites, milites, sacerdotes, religiosi, insuper alii erant ibi

saeculares, Christiani haeretici, ibi etiam erant Sarraceni et Arabes, qui omnes de fragmentis sportae meae manducaverunt. Vinum ibi erat in copia, quia alii peregrini acceperant secum suos viascos, sed aquae ibi defectus erat, quod cernens quidam Arabs de convivis nostris accepta amphora per prona montis non cucurrit sed dilapsus decidit et post parvam moram rediit portans amphoram aqua recenti plenam, quam tulerat ex aliqua fonte nobis incognito. Vinum ergo aqua temperavimus et potu ac (b) cibo penitus consumtis, etiam usque ad crustas et minutissimas micas, convivio finem fecimus. Numquam per totam peregrinationem meam fuit sporta mea adeo evacuata et mundata, sicut ibi. Interea sol declinare incipiebat, et hortabantur nos Arabes ad descensum, antequam sol occumberet. Surreximus ergo et currendo repente descendimus et sole iam merso ad fratres nostros revenimus in monasterium ad XL. Sanctos. Descriptio montis et loci dispositio superior patebit in sequentibus.

Ascensus montis S. Catharinae.

Vicesima quinta die, antequam illucesceret, surreximus de terra, in qua sub dio quievimus in curia monasterii, ut in montem iterum ascenderemus cum fratribus nostris, qui heri remanserant. Verum major pars illorum, qui prius in monte fuerant, mansit in quiete. Assumsimus ergo servos Arabes et asinarios et sportas cum cibariis, amphoras cum aqua eis imposuimus et praecedentem fratrem Nicodemum secuti sumus lentissimo gradu propter teneros et infirmos. Est autem a monasterio spatium satis longum per hortos et arbusta usque ad montis clivum, per quod ascendimus cum lunae beneficio. Cum autem ad montis clivum venissemus, intravimus crepidinem quandam montis altis parietibus rupium conclusam et de profundis ascendimus per viam multum asperam, nec inter haec lumen aliquod habuimus, quia conclusi rupibus lunae lumen habere non potuimus. Insuper tantum frigus erat in ista crepidine, ut dentibus strideremus; optavimus habere ignem, sed ignile non habuimus ut ignem faceremus. Quidam autem de Arabibus compatiens frigescentibus collegit quasdam herbas arefactas et manibus confricatis incendio aptavit assumtisque

duobus lapidibus de torrente fortiter collisit ad invicem iguemque provocans igne incendit, et collectis sarmentis iguem magnum fecimus et circumstantes membra fovimus. Cogitavi quod Arabs ille artem illam educendi ignem de silicibus didicerit a Promotheo, filio Lapethi ex Asia et nympha matre, qui aevo suo, ut poetae referunt, erat vir prudentissimus et praeter hoc, quod de luto figmentum hominis formatum igne de coelo furato animavit, primus de silicibus ignem provocandum esse docuit. Nam tum ignoratum fuit, ignem latere sub frigidis silicibus. Porro Vulco dicitur primus ignem invenisse; cum enim fulmine arbor quaedam incensa fuisset, ex eo aliae arbores succensae, omnia conflagrata sunt ligna. Vulco autem calore delectatus deficiente igne materiam adjecit, conservans ignem, quem hominibus ostendens tamquam a se repertum in totum per hoc promeruit, ut rex Aegypti constitutus sit.

Cum ergo refocillati calore essemus, titiones accepimus ignitos et processimus sursum in illa crepidine, in qua nonnumquam erant saltus et petrarum parietes, per quos Arabes primo scandebant et inde sursum unum peregrinum post alium trahebant. Cogitavi aliquotiens illo mane, quam mirabilis Deus; heri prae caloribus vix poteramus spirare et hodie prae frigoribus vix poteramus vivere. Quanto enim altius ascendimus, tanto intensius frigus sensimus. Interea ad fontem quendam venimus, juxta quem iterum iguem accendimus, (48a) et iam de ignis calore laetabamur, sicut heri ibi de aquae frigore recreabamur. Calefactis nobis iterum processimus per arduum saltum adscendendo ad longum spatium. In alto autem venimus ad unius magnae rupis parietem et de sublimitate illius parietis destillabat aqua clara et bona, nobis tamen fastidiosa, quia adhuc mane erat et frigore non mediocriter laboravimus. Destillabat autem aqua illa in concavitatem quandam rupis et quasi quandam piscinam faciebat. Juxta illam piscinam iterum iguem accendimus et nos calore refecimus; tantum enim frigus fuit, ut, si iguem non habuissemus, defecissemus prae algore. In ulteriori processu venimus adscendo de locis petrosis in clivum, praecipitem quidem sed planum, id est, sine rupibus et sine arbustis, et erat ille clivus graminosus, quasi pratum. Nobis itaque

laborantibus in ascensu illo, ecce, dies adspiravit et inclinabantur umbrae, et vidimus longe supra collum id caput montis, ad cujus aspectum quasi conterriti stabamus, mirantes altitudinem adhuc restantem post tantum ascensum. Non potest enim summitas vel caput montis inferius videri juxta radicem, quia sic est ejus dispositio. Primo habet radicem latissimam, in qua arbusta, virgulta et multi rubi crescunt. Deinde sunt rupes eminentes, per quos in crepidinibus est ascensus usque supra montis ventrem, qui est tumor magnus a corpore montis procedens et excrescens, quasi terrae inflatio esset, et propter hunc tumorem non potest videri de imis nec caput nec collum montis; super ventrem est illa latitudo graminosa continens loca egregia ad pascua optimas herbas ferentia. Venter ille longum habet ascensum usque ad cacumina montium ei adhaerentium, ita quod de ventre illo uno jugo est transitus in montium aliorum vertices. In supremo autem ventris consurgit montis Synai collum, rupis enim magna, tortuosa et scopulosa in altum protensa ibi excrescit a ventre montium sicut collum a corpore procedit in homine; et hoc collum est adeo altum, quod stupor est videre, et supra collum est montis caput. Est autem rupes colli directe contra coelum erecta, et scopulis altis et acutis cincta ita, quod homo inferius stans non potest imaginari, quomodo possibile sit, hominem in verticem ascendere. Imo, ante S. Catharinae manifestationem nemo praesumebat adscendere. Unde in Speculo histor. L. 19. C. 17. recitatur de quodam sene visitante patres deserti incolas, qui dicit: vidi, inquit, juga Synai montis, cujus summum cacumen coelo contiguum nequaquam adiri potest. His tamen non obstantibus viriliter opus coeptum aggressi sumus, et usque ad collum pervenimus in aliorum montium juga. Collum autem ipsum arduissimum aggressi per rupes et scopulos sursum scandimus, quasi eo modo, quo quis arborem adscendit, trahentes nos sursum de uno scopulo in alium. Robustiores autem praecedebant et sequentibus manus porrigebant sicque eos sursum trahebant, nec valuissent ibi formidulosi et vertiginosi homines. Non autem ascendimus successive unus post alium, sed quilibet ascendit in proximo sibi loco, ubi sibi videbatur, quod multa essent tenacula manuum

et sustentacula pedum, et ita per gyrum rupis suspensi in scopulis eramus sursum reptantes, sicut formicae arbores adscendunt. Tandem autem, quia improbus labor (lb) omnia vincit, in caput sive cacumen sacri montis venimus; ubi dum essemus, adeo asper et durus fortisque flavit ventus, quod nec orare nec quidquam boni facere voluimus absque igne. Statim autem Arabes comportatis sarmentis et rogo congesto magnum ignem fecerunt, ad quem stetimus, usque dum sol, qui iam dudum ortus fuerat, altius ascenderet et ventorum rigor mitesceret. Nobis ergo calefactis et quodammodo vivificatis accessimus ad angelicum clarissimae virginis Catharinae tumulum et laudes praescriptas in processionali terrae sanctae decantavimus cum jocunditate et devotius oravimus diutiusque meditabamur cum silentio et indulgentias plenariae remissionis (††) accepimus.

In hoc spectabili loco singulari gaudio affecti fuimus; nam hucusque progrediendo semper avertimus nos a terra et patria nostra, sed ab hoc desiderabili loco incepimus nos convertere et vultum firmare contra natale solum, terram patriam et regionem nostram; quod quam gaudiosissimum et delectabile fuerit, non intelligit nisi is, qui in procul existentibus regionibus moram traxerit et in alienis terris exul fuerit et cum populo sibi ignoto, cujus nec mores nec linguam intelligit, conversatus fuerit et in gente alterius sectae, alterius ritus, alterum Deum quodammodo colendo ad tempus manserit. Ille, inquam, intelligit hoc poeticum: Dulce natale solum. De quo etiam Hugo ille Regularis idem testatur, ut, inquit, ait quidam, nescio, qua natale solum dulcedine cunctos ducit et immemores non sinit esse sui.

Habuimus ergo duplicatam in hoc loco sacro jocunditatem et dulcedinem, unam ex memoria recenti natalis soli, ad quod nos convertimus, aliam ex praesentia virginalis tumuli, quod in prospectu vidimus, tetigimus et ad placitum tractavimus. Huius tumuli dispositio talis est. Caput sive cacumen sacri montis Synai est integra petra et una, in summitate plana ita, quod platea (in) supernis est rotunda, non multum lata, circiter sex passuum. Pavimentum plateae est vertex petrae, et per circuitum in margine plateae est

saceria in modum muri vel sepis circumducta, ne quis incaute mbulans in praeceps corruat et ne respicientes ab omni arte deorsum horrescant propter altidudinem et ut securior et liberior fiat ibi deambulatio. In medio petrei pavimenti est una cavatura ad consignationem humani corporis supinum acentis, nec est multum in petram profundata sed tantum, ut corpus jacens in ea repleat cavaturam et aequale pavimento eliquo sit. Haec cavatura non ferro aut aliquo artificum instrumento est facta, sed miraculose impressa. Dum enim angeli de Alexandria corpus virginis ad hunc locum detulissent et super planam et durissimam petram illud collocarent, mox petra, angelica virtute agente, sacro corpori cessit, sicut cedit cera mollis corpori duro et gravi sibi superposito et corpus premens sibi ipsi loculum proportionatum toti corpori configuravit et in eo ultra trecentos annos ignotum hominibus sub angelorum custodia (49 a) jacuit et quievit, in cujus custodiae signum sunt ab utroque latere cavaturae aptae ad sedendum, ac si aliquis ibi sedisset; siquidem et angeli corporis custodes ibi dicuntur sedisse, forte in assumtis corporibus, sicut in Scriptura sacra frequenter commemorantur stetisse, ambulasse, volasse, et angelus resurrectionis dominicae nuntius dicitur super lapidem sepulchri sedisse, Matt. XXVIII. et Marci XVI. Quamvis autem angelus in assumto corpore etiam sedere volens non indigeat sella aut sede, sicut nec sessione, locum tamen sessioni aptum juxta corpus sacrum virginis formaverunt, ut se fuisse custodes sacri corporis semper commanentes funeri indicarent. Quomodo autem corpus virginis hic sit inventum et inde in monasterium translatum, patebit folio 4.

Ad loculum ergo virginis nos prostravimus et in ipsum non ex praesumtione vel ex curiositate, sed ex pietate nos posuimus et corpora nostra commensuravimus cavaturae et ipsam longae staturae fuisse deprehendimus. Demum dum locum illum sanctum debito vel nobis possibili honore venerati fuissemus, convertimus nos ad alia.

De regionibus mundi, quas vidimus in quatuor plagis terrae ex hoc sacro monte et descriptio terrarum, aquarum etc.

In supercilio montis sanctae Catharinae stetimus et terras ac provincias et regiones per gyrum consideravimus, etiam longe existentes; siquidem ad longissimam mundi partem vidimus, quia valde in alto stabamus, nec per nebulas aut alias aeris indispositiones impedimenta habuimus. Conjecimus ergo oculos primo contra orientem in latissimum fretum, in sinum arabicum, qui et mare rubrum dicitur et de mari indico progreditur, nec potuimus contra orientem videre oculis corporeis nisi aquas, quae se extendebant usque in montana Madian, ita, quod quasi per circuitum montis Synai vidimus mare rubrum. Dura nimis et periculosa navigatio est maris rubri, unde Jeronymus ad Rusticum monachum de monastica vita sic de hoc loco loquitur: Navigantes mare rubrum multis difficultatibus ac periculis ad urbem maximam perveniunt utraque enim littora gentes vagae, imo belluae habitant, ferocissimae; semper solliciti, semper armati, totius anni ferunt cibaria; latentibus saxis vadisque durissimis plena sunt omnia, ita ut speculator in summa arbore sedeat et inde regendo et circumflectendo navis dictata praedicet. Felix cursus est, si post sex menses supradictae urbis portum teneat, a quo incipit se aperire oceanus, per quem vix anno perpetuo ad Indiam pervenitur et ad Gangem fluvium, quem sacra Scriptura Phison nominat, ubi nascuntur pretiosissima quaeque, et montes aurei ibi sunt, quos adire propter gryphos et dracones, et immensorum corporum monstra hominibus impossibile est. Haec Jeronymus. De eodem mari indico contra orientem alius sinus recedit magnus, qui est sinus persicus et in Persidem regionem se extendit, a qua et nomen accepit. Haec regio nominata in sacra Scriptura Persida dicitur a Perseo, rege Argivorum, graece, qui eam multis proeliis habitis devicit et gentem, quae adhuc agrestis fuit, humaniter vivere coegit et a se regioni nomen imposuit. De hoc Perseo poetae multa fingunt et de ejus alato equo vide aliqua Parte 1. fol. 78 B. In illa regione erat quondam civitas potentissima,

Persepolis, a Perseo constituta. Plinius dicit L. XV., quod persica poma, quae nos Pfersich dicimus, ab illa regione in nostram sint advecta et ideo dicuntur mala persica, quae quidem in Perside sunt mortifera, hic vero suavia et jocunda, sicut dicit Catholicon. Haec regio est contermina Mediae et non nisi per quaedam abrupta montana intermedia dividuntur, sicut Italia a Germania, et fuerunt olim duo magna regna, de quibus Cyrus rex fecit unum.

Porro Medorum regio ab ortu habet montes Caspios et a meridie Persidem; Persarum vero habet ab ortu Indos, a meridie mare rubrum. In regione Medorum erat Egbathanis, civitas potentissima, quam Arphachsad construxit, ut habetur Judith 1., et Cusis civitas, de qua habetur Esther . . .

Deinde contra meridiem oculos conjecimus in gulfum maris rubri et ultra canale ejus vidimus montana altissima et ibi est desertum rigidissimum Thebaidae, in quo probatissimi monachi fuerant. Hujus deserti terminus est oceanus ad meridiem et Nilus fluvius Aegypti ad occidentem. In hoc eremo deguit ille magnus Antonius, toti mundo notus, et sanctus Arsenius et sancti Macarii tres et plures alii praecellentes sancti.

Primo in ipso mari rubro vidimus insillas steriles, salinis scopulis albescentes. Sunt tamen in ipso mari multae pretiosae insulae et magnae, quas videre non poteramus. In littore maris rubri a nostra parte vidimus nominatissimum portum maris, qui olim dicebatur Beronice vel Ardech, nunc autem vocatur Thor. Ad hunc portum applicant naves, quae veniunt cum speciebus aromaticis de India et inde ducuntur in Aegyptum et ex Aegypto mittuntur per mare magnum usque ad nos. Ille enim est ultimus orientis portus nobis notus, in quo semper sunt multae et magnae naves indianae, quae tamen ita compactae et fabricatae sunt, ut nullum ferrum in eis sit, nec audent habere anchoras ferreas nec catenas nec laminas nec clavos nec arma ferrea nec secures nec bipennes nec aliquod ferreum instrumentum. Ratio autem hujus est, quia in littore maris indici sunt scopuli et montes lapidosi, de lapidibus magnetum, per quos naves in Arabiam ire volentes transire oportet. Si ergo navis ferramenta

aliqua continens ibi veniret, statim magnes propter ferrum navem attraheret et illideretur navis in scopulos et frangeretur. Est enim magnes mirabilis raptor ferri. Si cui placet legere, videat in Speculo Nat. L. XX. C. 20.

Sunt etiam in plerisque locis orientis petrae illius naturae, ut homines transire volentes attrahant ad se, sicut magnes ferrum; migrantes autem post tractum rident et jubilant et illisi saxis pereunt. De his loquitur Consiliator Doctrinae 67. et dicit, quod propter hujus impedimenta non potest homo pervenire in oppositam nobis regionem, etiamsi immensitas oceani non impediret.

Dixit nobis frater Nicodemus, quod monachi S. Catharinae habeant partem thelonei cum Soldano rege Aegypti, quod in hoc portu de navibus oneratis tollitur et juxta littus habent hortum magnum palmarum, de quibus tot dactylos colligunt, quod eis per annum sufficiunt et majorem partem fructuum vendunt.

Ultra maris gulfum a meridie descendendo contra occidentem vidimus altissimum montem, quem nominant Olympum Aethiopiae, ad differentiam Olympi Macedoniae. Hic mons in ortu solis flammas de se emittit horribiliter quinque horis. Ab hoc monte incipit Aethiopia, quae olim dicebatur Atlanta, et terminatur ad Nili flumen. Est autem terra lata valde, producens monstruosos homines et bestias mirabiles in suis desertis. Quidam enim solem orientem et occidentem dira imprecatione intuentur et semper soli irati maledicunt propter afflictionem caloris. Ibi currunt satyri adeo hominibus aequales, ut aestimentur homines esse, quamvis non sint, et multa mirabilia sunt in illa regione. Huic contermina est Lybia, regio magna Africae, et Aegyptus.

De hinc contraximus visum et a remotioribus locis in campum desertum fiximus, qui est inter montem Synai et mare rubrum, ejusque latitudinem et vastitatem mirati sumus. Dixit autem nobis frater Nicodemus, quod in istis campestribus esset quoddam monasterium sanctorum virorum, quod modernis temporibus nemo potest invenire, quamvis campanarum pulsus ad omnes horas canonicas audiatur cottidie. Nonnulli ex fratribus monasterii sanctae Catharinae conati sunt

lud exquirere, qui dicunt, se sonum campanarum quidem udivisse, sed monasterium ipsum minime invenisse. Et creunt, ipsum monasterium ex gratia Dei occultari propter pecata Arabum, ne eorum insolentiis graventur sicut alia deserti onasteria: sicut domus Loth fuit Sodomitis occultata, Genes. XIX., t civitas Dothaim Syris, ne Helisaeum caperent prophetam, 50 a) quem capere venerunt, ut habetur 4. Reg. VI. pulchra istoria. Veruntamen Arabes quidam sunt cum fratribus, qui icunt sub juramento, se fuisse in monasterio, sed mox, ut xierunt, viam et monasterium perdidisse. Quandoque dispaent aliqui fratres S. Catharinae, nec scitur, ubi pervenerunt, uos credunt rapi ad hoc monasterium ad supplendum vices orum, qui pro tempore moriuntur, cum eis. Nec videatur hoc uerile vel phantasticum, cum etiam in Vitis patrum similia egamus etiam de hoc, de quo nunc est locutio, deserto; a quo fertur habitasse quidam sanctus, quem nemo invenire otuit; hunc abbas Postumius visitator patrum et sanctorum a desertis commorantium diu quaesivit nec invenire eum otuit, nam quotiens eum viri religiosi adire voluerunt, cursu via petens locum ignotum quendam adiit, congressus vitabat umanos, verumtamen ferebatur se praebuisse, qui, credo, otenti id fide obtinere meruit. Cui inter colloquia percunanti, cur tanto homines opere vitaret, respondit: si homines se frequentarent, angeli a me fugerent, quorum frequentatione tor. Simile legitur de S. Hilarione, quem latrones deserti psum scientes saepe quaesiverunt, sed cellam senis invenire ullatenus poterant. Hoc in Spec. Histor. L. 17. cap. 19. et . 19. c. 17. et est originale Jeronymus de vita beati Hilaionis, c. 9.

Deinde convertimus nos ad aquilonem, ubi jungitur orienti, t contra regionem Arabiae visum conjecimus, quae latissiaas solitudines continet et in pluribus suis partibus ferax st diversorum pretiosorum aromatum; ob quam causam dicur Arabia felix et protenditur inter utrumque sinum persicum t arabicum et propter singularem suae glebae bonitatem felix icitur. Nam in quibusdam locis effossa terra aliquae repeuntur suave olentes glebae. Effoditur in ea regione aurum, uod non igne decoquitur, ut alibi fieri consuevit, sed e

vestigio effossum nucibus ac castaneis simile reperitur, colore ita lucido, ut pretiosos lapides auro inclusos splendidiores reddat. In hac Arabia sita est Mecha, civitas Machometi maledicti et templum sepulchri ejus, arte mechanica adeo mirifice, ut dicitur, suspensum, ut illi, qui nesciunt, opinentur esse virtute aliqua divina. Sunt enim in solo locati magnetes, inferius et superius in testudine in proportionata magnitudine, sepulchrum vero Machometi, quod est ferreum, aeris illius medio inter utrumque lapidem quasi numinis potestate pendet. Quale etiam aliquid in lucerna Veneris de lapide ab artifice fieri potuit, quod gentiles mirarentur. In delubro quodam erat ferreum idolum, etiam taliter suspensum, ut habetur in Spec. Nat. L. IX. c. 20. et infra fol. 72 B.

Verum magis ad aquilonem respicientes contra Chaldaeorum regionem oculos conjecimus, quae Arabiae est contermina, in qua civitas illa grandis Babylonia fuit a Nabuchodonosor constructa, ut in Daniele habetur.

In illa Babylonia erat ille ingens obeliscus, unum de VII mirabilibus mundi. Nam Semiramis regina ex Armeniae montibus excidi fecit lapidem pedum CL in latitudine, spissitudine vero XXIV, quem deductum Babyloniam erexit in stuporem omnium cernentium. Juxta hanc civitatem est campus Duran, in quo convenerunt gigantes post diluvium ad aedificium turris Babel et ubi facta fuit confusio linguarum. In hoc campo erexit Nabuchodonosor statuam auream pro deo, quam Ananias, Azarias, Misael adorare nolentes missi sunt ibi in fornacem ignis. Ibi fuit idolum Bel et lacus leonum. Hanc civitatem castitas Susannae uxoris Joachim decoram reddidit et multa valde de ea in sacris Scripturis habentur. Ex hac regione, ut supra Fol. 25 dictum est, Zigari populi, quos nos Zigineros nominamus, exierunt, qui aetate nostra cum liberis et uxoribus Europam omnem pervagantur et, cum fures subtilissimi sint, in oppida ingredi non permittuntur. Hos Veneti ab omni suo excluserunt regno, tum propter furta, tum etiam propter explorationem, (de) qua suspecti habentur. Eodem modo dominus Eberhardus de Würtemberg, dux, eos ingredi suum dominium non permittit, quia eorum dolos in propria persona expertus est adversitates

us in terra sancta, proditus Sarracenis ab eis. Ut autem anius a fidelibus tractentur, mentiendo dicunt, se esse de eriori Aegypto et in poenitentiam agendam (b) emissos, eo, quod beatam Virginem cum puero Jesu et Joseph bant hospitio suscipere, quando fugerunt in Aegyptum. d fictitium est. Sic etiam fingunt se Christianos et bapntur et rebaptizantur et derisores sacramentorum sunt. eorum quendam sciscitati fuimus, qua ex patria esset? pondit, se Chaldaeum cum omnibus, linguaque chala semper eos uti consuevisse.

Contermina est Chaldaea Assyriae, quae grandis provinest, in qua Ninus Niniven civitatem maximam aedificavit. bae hae civitates, Ninive et Babylonia, supra flumen hratem sunt sitae, una a Nino rege, altera a Semiramide na constructae, longe ab invicem distantes. Est etiam sequenter Mesopotamia inter Euphratem et Tigrim fluvios idisi, post quam sequitur Armenia et multae aliae regiones. nde convertimus nos ad occidentem et ad dextram a longe mus montes Arabiae, quos nominant catenam mundi, qui t ex opposito terrae sanctae ultra Jordanem et mare mortn. Inter haec montana praeeminet mons Nebo, Phasga, Abirim, in quem ascendit Moyses jussu Dei ad contemdam terram sanctam, ut habetur Deuter. 34. Hunc monmanifeste vidimus in monte Synai. De his montanis dicest P. 1. f. 210. et fol. 243.

Vidimus etiam in deserto montem Or, in quo Aaron obiit, abetur Num. 20. Porro propter montana deserti et mon Arabiae praedicta Judaeam videre non poteramus, nec estinam, nec mare magnum, et propter nimiam distantiam; m tamen terrae sanctae et plagam optime novimus. Unde tra terram sanctam et civitatem inclitam Jerusalem proti adoravimus dominicum sepulchrum et loca sancta et aces illas orationes esse speramus, ex eo, quod dicitur eg. 8: Si adoraverunt te contra viam terrae sanctae et tatem, quam elegisti, et templum nomini tuo aedificatum, exaudies eos, Domine.

Vidimus etiam deserta et solitudines, per quas vagabanfilii Israel XL annis, et montes, per quos nos descendimus,

sicut montem Calpis, de quo supra fol. 26. b., et descensum Rochaim, de quo fol. 28 b. dictum est; montem etiam sanctum Oreb Synai, sub nobis longe alios montes per ejus circuitum excrescentem, sed nobis multo inferiorem, nec erat aliquis mons intermedius, et tamen tanta distantia fuit, quod montem quidem et ejus verticem vidimus, sed capellam in monte penitus videre non poteramus. Omnes montes per circuitum videntur esse colles respectu montis S. Catharinae.

Post terrarum circumjacentium de longe et de prope [contemplationem] consedimus et de sacculis nostris produximus cibos et collationem jocundam fecimus ad latus angelici sepulchri S. Catharinae.

Descensus peregrinorum a monte Synai S. Catharinae virginis.

Finitis omnibus, quae in monte sancto erant agenda, locum sanctum deosculati sumus et cum ingenti laetitia descendimus, non eundo, sed currendo et cadendo deorsum, pro eo, quod inciperemus jam repatriare, quamvis adhuc chaos esset inter nos et patriam nostram magnum, non tamen adeo firmatum, ut hi, qui volunt hinc transire ad eam, non possint, aut inde huc transmeare. In ventre autem montis ad fontem venimus, quem nominant fontem S. Catharinae, et ibi bibimus et repausavimus. Ulterius deinde progressi vel prolapsi ad magnum spatium ad alium fontem venimus, ubi virgulas excidimus, quas dicunt esse ejusdem speciei, cujus erat rubus, in quo Deus apparuit Moysi, quas etiam valere (51 a) asserunt et prodesse valde morbum patientibus caducum, dum eas secum ducunt. Si verum sit, judicet prudens. Ab hoc fonte consequenter descendimus et in carectum venimus et in eo virgas longas excidimus, quas dicunt esse de specie virgae Moysis, cum qua tot miracula operatus est, quam etiam reposuit in arcam testamenti, de qua habetur Exodi IV. et XI. et XIV. et in multis locis Scripturae sacrae. Quidam dicunt, quod mulier in partu laborans, si unam illarum virgarum in manu teneat, non patitur periclitationem. Istae tamen sunt saecularium narrationes, de quibus parum curo. Post multum

laborem et fatigas in profundum venimus ad monasterium XL sanctorum paene discalceati. Nam ascensus et descensus illorum duorum montium depauperavit nos quoad calceamenta, ita quod aliqui milites abhinc usque ad Cahirum sine calceamentis essent, alii vero calceamenta sine soleis habebant rupta. Nam calceamentum novum vix sufficit pro ascensu et descensu illorum duorum montium, et in hoc non feceramus nobis provisionem sufficientem. In illo tamen fortunam hanc habui, quando de monasterio S. Catharinae egredi volebamus ad ascendendum montes. Unus miles de infirmis remanentibus protulit calceamentum novum, quod in Jerusalem comparaverat, de corio glauco vel gilfo pretioso, dicens: ecce, frater Felix, hoc calceamentum emi, ut in eo montes sanctos scanderem, sed ex quo ascendere non possum, accipite vos quaeso et participem me facite passuum, quos in eo facturus estis. Cum gratiarum ergo actione indui calceamentum novum pedibus meis, an esset bene proportionatum, et nostrum vetustum et fere penitus dissutum in camera reliqui, quod pro certo vix durasset ad primi montis ascensum. Postquam ergo in monasterium XL sanctorum venimus, offas pro prandio coximus et misimus asinarios nostros ad monasterium S. Catharinae, ut adducerent nobis asinos nostros, quia ambulare amplius non potuimus propter lassitudinem et propter defectum calceamentorum et propter solis fervorem.

Visitatio locorum in monasterio et extra per hortos.

Peracto prandio processionem fecimus ad monasterii loca et primo ingressi ecclesiam prostrati oravimus et indulgentias accepimus (†). Sunt enim in ea tumulati XL monachi pro fide Christi in monasterio ab Arabibus paganis diversis tormentis interfecti et ob hanc causam nominatur ad XL Sanctos. Modo vero ibi habitant solum duo fratres de monasterio S. Catharinae pro custodia loci et illi duo fratres multos insultus patiuntur ab Arabibus vagantibus per solitudinem. Demum per cellas monasterii transivimus, quae sunt misere parvae et de arundinibus plexis et luto obductis factae; murus tamen per gyrum monasterii est bonus et firmus sicut castri muniti, nec est (b) magnum in circumferentia. Viso monasterio portam

exivimus in hortum monasterii, qui certe contra naturam eremi mirum in modum viret, floret et germinat, producens proceras arbores fructiferas et olera pulmentica, herbas et gramina. In eo vidimus ultra tria millia arbores olivarum, ficulneas plures et malogranata multa et amygdalorum arbores numerosas etc. De oleo hujus horti habet conventus S. Catharinae sufficientiam ad nutritionem lampadarum ecclesiae et pro coquina pro cibis condiendis. De pomis hujus horti mittunt monachi singulis annis Soldano regi Aegypti ad Cairum vasa plena pro munere et pro recompensa conservationis et tuitionis eorum, sicut postea patebit. De oleribus ejus toto anno habent salutucium et pulmentum, de graminibus pro bestiis foenum. Et mirum est, reperiri in eremo talem paradisum, ubi omnia arentia exusta solis ardoribus, nullius seminis aut radicis arena sterilis est productiva; sed quid non adinvenit industria humana? Supra hortum sub radicibus amborum montium foderunt monachi fontes tres magnos aliquantulum ab invicem distantes, in quos omnis aqua tempore hiemali de montibus fluens recipitur et per dracones de uno puteo in alium transmittitur et de ultimo in hortum sicut aqua viva decurrit et per eam per fossata derivatur et illa frequens irrigatio aquarum tantam pinguedinem arenis dat, quod quasi terra frugibus apta humus eremi fructificat. Sic etiam legimus fecisse patres antiquos Deo in desertis servientes, ut patet in Speculo histor. Lib. 19. Cap. 14.

In horto illo sunt multae rupes de terra excrescentes et scopuli et petrae, sub quibus sunt cavernae, antiquorum sanctorum cellulae, et per longum vallis spatium durat hoc delectabile viridarium habetque in longitudine unum milliare italicum in latitudine vero, quantum homo bis potest jacere lapide. Conquerebantur autem nobis fratres, quod illo anno non habuissent pluviam, et cum magna parcitate aquam habent in hortum derivare, nisi enim cottidie irrigetur, mox omnia arescunt; conquerebantur etiam, quod iam aliquibus annis locustae sine numero advolantes in arborum floritionem et in hortum cadunt totamque superficiem operiunt et omnem virorem consumunt, flores et folia corticesque arborum rodunt et corrosa arescunt et intolerabile damnum inferunt. Perspecto igitur horto reversi sumus in monasterium et ibi asinarios exspectavimus.

Praeconisatio et laus sanctorum montium Synai Oreb et Synai S. Catharinae, eorumque dispositio.



1. Monasterium S. Catharinae. 2. Montis pars inferior Oreb, Heliae et Helisaei. 3. Mons Moysis. 4. Mons S. Catharinae. 5. Monasterium XL Sanctorum.

Montium sanctorum descriptio ex praedictis et ex figura adstante aliquantulum potest (perspici). Hi ambo montes pro uno monte computantur pro eo, quod eorum cacuminibus differant, in radice tamen et pede unum sunt; nam ab una radice uterque consurgit et uno pede et fundamento sustentantur, sicut dicitur una manus et tamen habet quinque digitos distinctos quidem a se, sed conjunctos in radice. Et ita intelligitur collecta S. Catharinae, in qua dicitur, (52a) quod corpus beatae Catharinae sit ab angelis collocatum in eodem loco, ubi Deus dedit legem Moysi, hoc est, in eodem monte, quoad radicem, sed non in eodem loco montis, quoad verticem. Una ergo

descriptione ambo manifestantur, sicut uno nomine ambo mons Synai nominantur.

Est ergo Synai mons regionis Madian supra Arabiam, juxta sinum Arabiae imminens, alios altitudine superans, cujus summum videtur esse coelo contiguum, qui quidem venerandissimus est ob crebram jam dudum veri Dei apparitionem in une vertice et ob admirabilem beatissimae Catharinae virginis angelicam tumulationem in alio vertice. Haec duo hujus sancti montis cacumina a nullo hominum fuerunt frequentata ante Moysem et Catharinam: nemo quippe audebat verticem Oreb ascendere, quia communis opinio hominum erat etiam ante Moysen, terribilem Deum in illa summitate habitare, quem nemo vivus manens posset intueri nec accedere. In summitatem vero Synai nemo praesumsit adscendere, cum ejus cacumen videtur coelo quodammodo contiguum esse et scopuli praerupti in altum protensi ascendi locum prohibere. In primo etiam vertice videbatur frequentius ignis ardere ante Moysis ascensionem. In secundo vero videbatur semper pruina et nix rigere ante Catharinae tumulationem.

Sunt in mundo plures montes, de quibus ignis spirat, ut Aetna vulcanus et Bobius, sed non hoc agente. Mons autem iste igneas flammas emisit, Deo ipsum miraculose incendente, ut patet Deuter. V. et Exodi XIX. Scribitur enim, montem exarsisse igne, quando Dominus descendit, tubarumque voces exauditas fuisse. Cumque tota multitudo non pauciores quam decies centena millia essent, per V dies in omni loco ardens ignis aspiciebatur, ita tamen, ut nihil ibi consumtum fuerit, sed ipsa quoque herbarum viriditas intacta permansit. Haec Eus. de evang. praep. lib. 8. c. 8.

Sunt multi montes perpetuis nivibus operti, rigiditatem praestantes, hic autem nive canduit virginitatem Catharinae significante. Sunt praeterea multi montes cavernosi, in quibus gentiles superstitionibus vacabant et idola colebant. Hic mons cavernas habet, in quibus prophetae divina oracula exspectabant et sancti monachi divinis contemplationibus insistebant. Plures sunt diis consecrati, ut Minervae Aracinthus mons, Appolini Malea, Jovi Olympus, Aeneae Misenus, Satyris Atlas, Poenio Poenus mons, Moloch mons offensionis, Veneri mons

Paphos in Cypro etc. Hic autem mons Synai soli vero Deo dicatus est, qui est mons, in quo beneplacitum est habitare, in eo etenim Dominus habitabit in finem. Referunt de monte Atlas, quod nubes sua celsitudine excedat et quod ignotas bestias humanae vitae insidiantes habeat, et dicunt, tanta taciturnitate silere per diem, ut non absque horrore quodam et occultae divinitatis suspicione adeatur et aspectus squalidus et nebulosus appareat per diem, nocte vero ad instar coeli crebris lucere luminibus et resonare cantibus atque tinnitibus cymbalorum et fistularum Agypanorum et Satyrorum. Sed in monte nostro sancto est altitudo hominibus proportionata, nec sunt in eo monstra terrifica, lucem et tenebras sustinet sicut alia naturalia, nec sunt ibi draconum aliqua praestigia, sed cuncta divina et sancta.

Climax mons quidam in eadem dicitur esse regione secus mare rubrum, ubi foeminae prolixis barbis insignes dicuntur esse et crudelissime venationibus vacantes, tigresque habentes pro canibus, pardos et leones nutriunt, unde nemo ad montem illum potest accedere timore illorum foeminarum (b) crudelium, quae etiam nudae in viros armatos insiliunt eosque prosternunt, adjutaria habentes belluas, quas edomant. Non tales montem sanctum inhabitant, sed quidam esurientes et miseri, quorum omnis furor bucella panis data mitigatur. Possem multa inducere de terribilibus montium, propter quae hominibus terribiles redduntur et formidabiles, quibus omnibus caret sanctus mons Synai et e contrario conditiones habet desiderabiles, quibus redditur hominibus amabilis, ita, ut de ultimis mundi finibus ad eum homines illustriores confluant. Et tantum de monte Synai.

De reditu peregrinorum in monasterium sanctae Catharinae et multis sanctis locis in via.

Igitur adducti sunt nobis asini a monasterio sanctae Catharinae in monasterium XL Sanctorum, quod ascendimus et ad vallem, quae mediat inter utrumque montem, ad latus horti descendimus. Ubi autem quasi ad finem horti venissemus, per

maceriam ingressi sumus hortum, dimissis extra asinis jubente nostro ductore, et ad petram grandem venimus, in qua specus est capella consecrata; ibi ingressi orationes fudimus pro indulgentia (†). In hoc specu dicitur habitavisse sanctus Onuphrius, unus de magnis anachoretis; de hoc in Vitis patrum pulchra habetur historia: hic dum moreretur, in loco illo tugurium, quod ante specum fecerat, ruit et arbores circumstantes petram ceciderunt et exaruerunt. Ab hoc loco ulterius progressi per vallis descensum venimus ad unam singularem petram, quae stabat juxta viam et non cohaerebat monti, sed per se de terra consurgebat in altitudinem duorum virorum, in pede lata, superius acuta et videtur, quod non habeat radices fixas in terrae profundis, sed stat sicut pyramis artificialis, quasi non petra naturalis sit. Haec creditur esse petra Oreb, de qua Moses percussione virgae aquas eduxit, ut habetur Exodi 17. Insuper et secundum aquae eductionem, de qua habetur Num. 20., credunt ex eadem petra profusam fuisse, quae dicitur aqua contradictionis; non enim diutius dabat petra aquas, nisi ad populi et pecorum adaquationem, ut clarius appareret miraculum. Ideo etiam ipsa petra singularis erat nec monti connexa, nec terrae infixa, ut cernerent filii Israel, quod Deus novas aquas crearet in petra et non de abysso redundantes pro eorum potu. Si enim jugiter fluxissent, non magnum miraculum fuisset, sed consuetum, sicut sanctus Clemens et multi alii sancti suis precibus impetraverunt emanationem aquarum de abysso et fontium redundantiam, ubi prius non fuit aqua, non quod nova aqua crearetur, sed venae de abysso ad locum illum dirigerentur et illae ita manebant scaturientes, sicut superius patet de fonte dato monachis pro (53 a) signo, fol. 44, a. Fons ergo petrae hujus non ex aquis terrae, sed ex thesauro Dei emanavit; ideo dixit Moyses Num. 20.: Aperi eis, Domine, thesaurum tuum, fontem aquae vivae. In thesauris enim Dei etiam inclusi sunt abyssi, juxta illud: Ponens in thesauris abyssos; sed et venti de thesauris illis prodeunt, unde psalmus.: Educit ventos de thesauris suis. Patet etiam ex verbis Domini, quod aquae illae in petra fuerint creatae, quia dicit cap. super. V.: Loquimur ad petram, et ipsa dabit aquas. Ipsa, inquam, dabit, non terra etc. Ex quibus patet, quod fons ille solus non fuit

ilius Nerei dei oceani et Doris uxoris ejus, ex quibus juxta oeticam narrationem nati sunt amnes, nymphae, omnes humilitates, fontes et flumina. Primogenitus filius Nerei et Doris licitur Archelous, fons quidam Graeciae, quem dicunt primum le terra erupisse. Fons autem ille sanctus erupit ex petra ad imperium Domini et peracto ministerio suo cessavit, sicut stella trium Magorum non mansit post ministerium et columba, in qua visus est Spiritus sanctus. Non fuit haec aqua data ad aliquem usum alium nisi ad potum, et credimus non immerito, aquam fuisse dulcissimam, clarissimam, sanissimam et delectabilissimam, quae numquam amaritudine infecta fuerat, sicut aquae caeterorum fontium omnes in oceano et mari infectae fuerunt amaritudine et per colationem terrae mundificatae, nec aqua haec per aliquem usum abominationem contraxit, sicut aliae aquae ad sordes deserviunt et abominabiles inde fiunt, sicut fertur contigisse fonti dicto Aniger: hic i primordio dulcis fuit, clarus et sanus, sed dum Hercules gigas cum centauris congrediens eos vulnerasset, cucurrerunt centauri ad fontem illum et in eo vulnera sua laverunt, unde accidit, quod ab eo tempore usque nunc fons ille habet aquas immundas, foetidas, insanas et salsas. De fonte nostro dicit, psalm.: Interrupit petram in eremo et adaquavit eos velut in abysso multa. Habet enim petra illa hodie signa interruptionis in multis locis; non enim exivit aqua de pede petrae, sed undique ex ea profluxit et prosiliit, sicut hodie in ea cernitur. Haec petra venerandissima redditur et propter mirabilem aquae profusionem et propter imitabilem significationem: significat enim secundum apostolum in ep. 1. Cor. 9. ipsum Christum, petra autem, in qua erat Christus, hanc petram circuivimus et ipsam deosculati sumus.

Deinde consequenter processimus et in vallem Tholas dictam descendimus et ibi vidimus ruinas cujusdam antiqui monasterii, in quo olim plures deguerunt sancti, et secus monasterium antrum magnum et profundum in montis penetralia ducens, in quod antiqui patres sancti transfugerunt, abscondentes se a lumine creato, ut in tenebris lumen increatum cernerent, quia Joh. 1.: Lux in tenebris lucet; et David in psalm.: Nox illuminatio mea in deliciis meis; sicut tenebrae ejus, ita et

lumen ejus. Et erat specus ista quasi schola contemplantium divina, in qua per tenebras corporales ducebantur ad coelestia contemplanda lumina: non sicut specus Acherusiae, quae, ut fertur, ducit ad inferos, quae non longe est ab Heraclea civitate; nec sicut specus Hyberniae, quae dicitur purgatorium sancti Patricii, in quam ingressi vident horribilia et phantasiis gravibus terrentur, ac si in infernum mergerentur, quod non divina fit virtute, nec miraculose, sed naturaliter et phantastice, quia dicit magister Heinricus de Hassia, frater gen. allegans (b) magistrum Nicolaum Orem, clarissimum naturalium doctorem, quod in illo hiatu Hyberniae et in pluribus aliis sunt exhalationes et inspissatus aer, unde provenit, quod intrantes obdormiunt et de mirabilibus somniant et horribilia vident ita clare ac si vigilarent, et tamen dormiunt et prava dispositione loci et corrupti aeris in turgores rapiuntur et prius visa conscribunt tamquam miracula et recitant tamquam veraciter facta et tamen solum ex indispositione virtutis imaginativae eis contigerunt tamquam somniantibus, quae etiam in vigilantibus ostenduntur saepe.

Consequenter de Tholas descendimus et ad monasterium aliud venimus, jam quidem parvum, olim autem admodum magnum, quod dicitur ad S. Cosmam et Damianum, qui, ut in eorum legenda habetur, de Arabia nati fuerunt, de qua regione etiam alii peritissimi medici exorti sunt. Ob quam causam credo eos hic in Arabia habere prae aliis sanctis monasterium. Porro hoc monasterium est in loco constructum, ubi amplius quam XIII millia hominum et septingenti percussi sunt a Deo, absque his, qui perierunt in seditione Corae cum Dathan et Abiram, ut habetur Numeror. XVI. In hoc enim loco dirupta est terra sub pedibus seditiosorum et aperiens os suum deveravit illos cum tabernaculis suis et descenderunt vivi in infernum; quo facto mox complanata est terra, ac si nihil horum accidisset, ut habet magister in Speculo historiali. Ideo hujus diruptionis nullum nec vestigium videre poteramus. In hoc loco cum tremore stetimus severitatem et celeritatem divinorum judiciorum expavescentes, illi enim murmuratores stabant ad seditionem concitandam parati, nec timebant, et ecce, subito terra rupta est sub pedibus eorum; quis hoc audiens non timet? Simile legimus contigisse tempore beati Ambrosii in

Thuscia in valle quadam, ubi terra se aperuit et domum cujusdam divitis cum omni substantia absorbuit, in loco tamen fovea profunda mansit in facti testimonium. Et in Legenda S. Benedicti habemus de quodam sancti viri adversario, quomodo subito solarium cecidit eumque exstinxit. Sic etiam in vita beati Jeronymi, qui quasdam moniales correxerat propter simoniacam juvencularum receptionem, quae dum non emendarent, aperuit se terra et moniales cum monasterio absorpsit.

In tantam autem fatuitatem antiqui devenerunt, ut temporibus suis, sic nulli dubium, pro delictis absorptos pro diis colerent. Nam quidam dictus Amphiaraus gentilis vates dum a principe esset ad bellum Thebanum vocatus, oraculo accepit, si iret vivus, non rediret, unde in antrum se abscondit et nemini nisi uxori se manifestavit, uxor autem a quodam annulum accepit et virum prodidit. Dum autem vir ad bellum pergeret, subito immersus terrae nusquam comparuit; ob id antiqui a diis raptum putavere eumque inter deos recensuere. Sic etiam Melicertus et Yvo absorpti dii sunt facti precibus Veneris ad Neptunum porrectis. Puto, quod etiam in filiis Israel fuerit hic error; nam absorptis iniquis orta est gravis indignatio contra Moysen et Aaronem, dicentes eis: Vos interfecistis populum Domini; quasi meliores et sanctiores essent interfecti. Sic et Romani Marcum Anilium divino cultu venerabantur pro eo, quod se praecipitem dedit in suae animae perpetuam damnationem. Nam tempore, quo natus fuit Alexander Magnus, in medio urbis Romae loco aperta est terra et vorago profundissima facta flammas ex profundo hiatus eructavit, super qua re dii interrogati responderunt, non claudendum hiatum, antequam aliquis se praecipitet voluntarie in ipsum. Sed cum hoc nullus facere vellet, juvenis nobilis et lascivus Marcus Anilius se hoc facturum libenter obtulit hac conditione, ut per annum sineretur vivere secundum suam voluntatem. Quo sibi concesso toto anno rebus, uxoribus et filiabus Romanorum utebatur ad libitum et anno elapso armatus sedens in nobilissimo equo laetus contra hiatum velocissimo cursu processit et insiliens vivus ad infernum ut Dathan et Abiram descendit et ruptura terrae complanata fuit.

Consequenter a loco praedicto nos avertimus et descendendo in vallem illam latam et spatiosam venimus, per quam nudius tertius intravimus ad monasterium S. Catharinae, sicut habetur supra fol. 40, a. b. Est autem vallis amoena et spatiosa per modum crucis inter montana expansa et quamvis sint montes per circuitum (54 a) alti, sunt tamen valles clari et lucidi propter distantiam montium ab invicem; quando essent aquae in illa regione, esset nobilis pro hominum inhabitatione, pro civibus et villis. In his vallibus castrametati sunt filii Israel, postquam mare rubrum transierunt, ut habetur Exodi XXI. Dicitur autem regio illa desertum Synai e regione montis Synai, in qua filii Israel pro majori parte habitaverunt in illis XL annis, quos per Dominum detenti in deserto fuerunt.

Descendimus ergo in locum, ubi valles convectuntur et ubi magna latitudo est et planities. Ibi vidimus eminentem petram, quae erat ad modum cathedrae praedicantis, in qua dicunt Moysen stetisse et verba Domini populo pronuntiasse et legem sibi traditam promulgasse et a populo ibi responsa accepisse et Deo in montem retulisse et Domini voluntatem ibi frequenter proposuisse populo Israel.

Fuit profecto locus ad praedicandum aptus et inferius pro populo valde spatiosus, quod necesse erat, quia populus multus fuit, scilicet sexcenta millia peditum virorum, absque parvulis et mulieribus. Sed et vulgus promiscuum et innumerabile ascendit cum eis, oves et armenta et animantia diversi generis, multa nimis, ut habetur Exodi. 12.

In hoc loco, quia latus et spatiosus est et ad eum omnes valles per gyrum habent prospectum, filii Israel in absentia Moysis, quando erat cum Domino in monte, aureo vitulo, quod fecerat eis Aaron, sacrificaverunt et per ejus circuitum nudi chorizaverunt et totam plebem de omnibus mansionibus et tentoriis congregaverunt ad solemnitatem vituli proclamantes: hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Aliqui etiam de principibus et senioribus in locum ascenderunt, ubi Moyses consuevit stare ad alloquendum populum et populo vitulum demonstraverunt ed ad adorandum eum exhibuerunt.

Hoc horribile et immane facinus est in loco hoc commissum in perpetuum Judaeorum opprobium. Nam hodie, dum quis Judaeo loquitur de hoc vitulo, rubore perfunditur; hoc ego ipse expertus sum multis vicibus, cum Judaeis conferens. In hoc ergo loco filii Israel secundum psalmum obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro, et fecerunt vitulum in Oreb et adoraverunt sculptile et mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis foenum.

Circa hoc ergo non immerito cadit dubitatio, ex quo filii Israel idololatrare volebant, quare potius vitulum pro deo suo constituerunt conflatilem, quam hominem conflatilem vel leonem, aut ovem, aut Veneris aut Jovis aut Saturni aut Aesculapii imaginem? Quid istum infelicem populum in amorem vituli attraxit? (b) Respondeo: Aegyptii, inter quos habitaverunt multo tempore, erant idolatrae et colebant Apim in specie tauri sive leonis, Jovem vero in specie arietis. Porro Apis erat quondam homo, rex Arginorum. Hic cupiditate ductus acquirendi aliud regnum transfretavit in Aegyptum et populum rudem devicit, eisdem regimen humaniter vivendi tradidit et vinum facere et bibere eos docuit. Unde in tanta veneratione incepit haberi, ut eum pro suo deo colerent et Isim conjugem suam pro dea haberent. Hic Apis a fratre suo Typheo occulte occisus fuit, quem Isis uxor sua et Aegyptii omnes aestimabant se abscondisse et eum multo tempore quaesiverunt, tandem autem juxta Nilum quaerentibus viderunt taurum vel bovem album de aquis ascendere et in littore saltando ludere cunctis inspectantibus. Hunc taurum aestimaverunt Apim esse et cum universo genere musicarum venerunt et saltante tauro saltaverunt, currente eo cucurrerunt et per campum secuti taurum choreas ducebant, quas ante hoc factum nemo sciebat. Illum ergo taurum, vel potius diabolum in tauro, Apim vocabant eumque pro Api ut Deum colebant et eum nutriebant. Bove hoc mortuo iterum Apim quaerebant et vitulum ejusdem coloris invenerunt, quem divinitus procurari sibi credebant et pro Api adorabant et postea Serapim nomine mutato eum vocabant et Api jam spreto Serapim loco solis adorabant. Cui mirabile simulacrum et templum in

Alexandria fabricaverunt, ut dicetur fol. 131. Hunc ergo ludum cum bove et vitulo viderunt filii Israel et ideo vitulum, taurum juvenem, ex auro conflatum pro deo sicut Aegyptii sibi elegerunt eique chorizando et sacrificando et altare construendo, sicut in Aegypto viderant, cultum impenderunt in hoc campo.

In progressu venimus in locum, ubi magni cumuli arenarum erant et terra tumorosa; in quo loco sepulti dicuntur fuisse illi, qui propter idololatriam illam fuerunt Moyse jubente interfecti, XXIII millia virorum, ut habetur Exodi XXXII et 1. Cor. X. Consequenter ascendimus in illa lata valle et ad ipsam arctam vallem venimus, per quam itur ad monasterium S. Catharinae, per quam ingressi in hortum monasterii venimus, qui hortus a muro monasterii descendit per longum spatium et irrigatur eo modo, sicut hortus ad XL sanctos, prout ibidem dictum est. Est autem hortus consitus olivis et diversi generis arboribus, magnus et solatiosus, et multa sunt in eo loca, de quibus mentio fit in sacra Scriptura. Dum ergo per hortum ascendimus, jussit nos ostensor locorum sursum in juga montium aspicere. Vidimus autem in altissima rupe, quae consurgit ante montem Oreb, vitulum stantem et contra nos respicientem, quasi paratum ad saltandum deorsum et apparuit ita manifeste cum omnibus lineamentis et quantitate debita, ac si vere animal fuisset, vel apparenter vitulus fuisset factus arte, sed nec naturalis nec artificialis vitulus est, est autem quaedam rupes in altum protensa, cujus summitas sine intentione alicujus hominis rupta est et inferius inspecta videtur esse vitulus. Unde fratres monasterii saepe moti curiositate ascenderunt montem, sed nullam vituli figuram superius invenire potuerunt, sed solum abruptas petras et scopulos praeruptos, qui inferius figuram vituli videntur habere sicut saxum in Aegaeo mari est, quod figuram habet caprae a longe inspectum, propter quod et ipsum mare Aegeum dicitur, quia aegea dicitur graece capra. Et in alio loco maris vidimus scopulum quasi aspidis formam habentem a remotis, sed dum prope essemus, erat grande saxum. Sic dum quis ascendit de oppido Wisastaig versus Ulmam, videtur in alto procul petra erecta, quasi homo sculptus, sed dum homo prope venit, nihil apparet, nisi rupes

impolita. Et ita etiam est de vitulo supra dicto, in (55 a) quo deceptus visus exercuit error inter orientales utrosque, scl. Christianos et Sarracenos, ita quod credunt, quod diabolus tulit vitulum aureum, quem Judaei fecerant, ut dictum est, et eum in locum illum transtulit in perpetuum Judaeorum scandalum et verecundiam, et ne ab aliquo removeri possit, fecit Deus, quod nemo ipsum invenire valeat. Sed hoc dictum est omnino falsum et contra Bibliae textum, Exodi 32., ubi dicitur, quod Moyses arripuit vitulum aureum et contrivit eum usque ad pulverem, ut statim patebit.

Demum ab hoc phantastico vitulo nos convertimus et in processu venimus ad foveam satis magnam et profundam, sicut piscina, in qua erat aqua multa, quae emitti potest ad irrigationem horti. Hanc lacunam dicunt semper ibi fuisse et non arte vel industria factam, sed a natura, in quam decurrunt tempore pluviali aquae. Moyses autem cum vitulum aureum in pulverem contrivisset, sparsit pulverem in aquam hanc et adducto populo dedit eis potum ex eo, et qui culpabiles erant, remansit aureus color circa ora eorum, ita, ut barbae eorum viderentur aureae et male ex potu habebant ventris inflaturam, qui vero in hoc scelere nullam culpam habebant, aquam sine laesione sorbebant, nec aliquid de auro in faciebus eorum apparebat; haec Exod. 32. et in postilla Lyrae. Similis fons legitur esse circa Thiana Jovi sacer. Is quidem plurimum mirabilis est, unde, ut fertur, aquae ejus ex subterraneis meatibus frigidissime in fontem veniunt, in quo illico fervent et ex astantibus incolis eis, qui pro re aliqua recte juraverunt, dulcis et suavis et sanus est, dejerantibus vero adversus ex fonte prosiliens aqua, tamquam in hostes, oculos, manus, pedesque talium feriens hydropisis atque depilationis aegritudines infert, nec eis illaesis abire possibile, donec perjurium suum fateantur iis, quorum in praejudicium dejerarunt. Sic et avarus Midas, rex Phrygum, aurum pro deo colens impetravit a Baccho, ut, quidquid tangeret, aurum fieret. Deinde ut factum est, fame periit mortuusque in Pactolum fontem, qui aureas arenas habet, projectus est, ut in auro putresceret, qui absque auro vivere recusaverat; per quae enim quis peccat, per haec

et torquetur. Sic et Judaei aureo vitulo immolantes aureo poculo vita privati sunt.

Deinde a piscina praedicta ascendimus et ad unam latam plateam venimus in horto, (quae) nescio quam ob causam calva est, ita quod non crescunt in pecia ista gramina, sicut in aliis horti locis. In illa platea creditur esse locus, in quo aureus vitulus fuit fusus et fabricatus per Aaron, sicut habetur Exod. XXXII. Accepit enim a mulieribus et a populo inaures aureas et annulos et vasa aurea et projecit in ignem, et opere diaboli egressus fuit vitulus aureus, quem eodem modo ut Aegyptii putabant esse Apim. Sicut enim Aegyptii ex aqua Apim susceperunt in forma tauri, sic Israelitae eundem in forma vituli ex igne receperunt. Adorabant enim gentiles homines deificatos, non in propriis humanis formis, sed in formis bestiarum, in quas fabulae docebant eos transmutatos esse: ut Jupiter transmutatus in arietem adorabatur in specie arietis; Apis in specie tauri; Venus in pisce; Saturnus in equo; Niobe in lapide; Hermione in serpente; Juno in vacca; Actaeon in cervo; Antigone in ciconia; Aldona in carduele; Daphne in lauro; Atlas in monte, quem Perseus transformavit in montem; Arcades pastores in lupis. Et ita de multis aliis dicere possem. Ideo diabolus potius in igne vitulum conflavit, quam (b) hominis sculptile.

Ulterius processimus et ad unam singularem petram venimus ad radicem montis Oreb jacentem ad modum magni clibani. Ad hanc petram illisit Moyses duas tabulas lapideas decem praeceptorum, videns vitulum et sacrificantem populum. Erant autem duae illae tabulae opere Dei dolatae et digito Dei conscriptae et de pretiosissimo et splendido lapide, cujus fracturae evanuerunt. Dicunt Judaei, quod scriptura legebatur ab utraque parte lapidis, quod fuit miraculosum, quia dato, quod litterae in utraque parte videantur, sicut in pergamene tenui et perspicuo, solum tamen in una parte legi potest scriptura, quia in alia charta revoluta sunt litterae perversae. Ex hoc dicto creditur lapis fuisse clarus, lucidus, perspicuus et forte talis necesse erat, quod etiam in tenebris et nocturno tempore lucebat et legibilem scripturam semper ostendebat, sicut semper mandata ibi conscripta observanda erant. Sed

quia Moyses tabulas illas confregit et scriptura amplius legi non potuit, nec fracturis illis gaudere populus debuit, potest etiam sustineri, quod quando Moyses tabulas petrae allisit, quod mox in pulverem inutilem redactae fuerunt. Secundae autem tabulae, de quibus Exodi 34. habetur, fuerunt per Moysem quidem dolatae et excisae et per Dei digitum conscriptae. Judaei dicunt, quod Dominus ostendit Moysi massam sapphiri, de qua dolavit duas tabulas, et de reliquiis et excisis frustellis fuit Moyses valde ditatus. Quid autem ista veritatis habeant, committo discreto viro; nullum errorem inducunt, sicut nec fictiones poeticas, quas etiamdum occurrunt, induco.

Consequenter contra monasterium ascendimus et ostendit nobis frater Nicodemus montem cohaerentem monti Oreb, non multum altum respectu Oreb, et illum montem dicunt esse montem Moysis. In hunc montem ascendit Moyses cum Aaron et cum LXX senioribus, quando videbant ibi Deum Israel et sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphiri et quasi coelum, cum serenum est, ut habetur Exod. XXIV. Et de hoc monte jussus est Moyses in montem Oreb ascendere; est enim mons ille in accubitu montis Oreb ad aquilonem. Ad peculiares etiam orationes et ad recipiendum responsa Dei in singularibus caussis adscendere consueverat Moyses hunc montem, in quo creditur Dominus sibi saepe apparuisse. Contra hunc montem adoravimus et ulterius progressi in locum circumseptum venimus prope monasterii muros. Ibi est fratrum monasterii sepultura. In hoc ergo loco orationes pro defunctis legimus et sanctos ibi tumulatos honoravimus. Sunt enim ibi sepulti plus quam novem millia fratrum in libro conventus nominatim conscriptorum, inter quos nemo dubitat multos sanctos fuisse. De coemeterio ingressi sumus monasterium et reperimus augmentatum numerum Arabum juxta nos. Coenam autem coximus et fratrem Nicodemum invitavimus ad coenam rogantes eum, ut disponeret cum domino abbate, quatenus die crastina ostenderentur nobis reliquiae S. Catharinae et alia sancta monasterii loca. Et hoc factum fuit, ut patebit. Tristes autem horas duximus, quia continue augmentari vidimus Arabum numerum contra nos.

(56 a) De sepulchro beatissimae virginis S. Catharinae et de sacrosanctis ejus reliquiis et quo ordine ostenduntur dominis peregrinis christianis et quid hodie sit de miraculo olei, quod dicitur de ejus tumba effluere, et de translatione corporis S. Catharinae et rubo Moysis et aliis locis indulgentiarum ejusdem ecclesiae, per totum caput illud.

Die XXVI. statim transacta media nocte dicto officio ad Missas legendas nos disposuimus et milites saeculares se disposuerunt ad sacram communionem. Erat enim sexta feria et alia die, ut sperabamus, instabat recessus noster. Dictis ergo matutinis et primis audivimus militum sociorum nostrorum confessiones et successive in capella nostra celebravimus et peregrinos saeculares paene omnes communicavimus. Interea cum clara facta esset dies, descendimus in S. Catharinae ecclesiam ad videndum ejus sacras reliquias. Nobis ergo in ecclesia exsistentibus venit pater monasterii cum omnibus suis monachis, gestantes in manibus singuli candelas ardentes; sic et nos peregrini omnes ardentes cereas in manibus habuimus et hinc et inde tumbam S. virginis circumstetimus. Accessit ergo sacrista conventus cum clavibus et seras tumuli conatus est aperire, sed non potuit, quia tam serae quam claves totaliter rubigine erant infectae et indispositae, tandem autem cum adjutorio aliorum fratrum magna vi et labore seras aperuerunt et tumbam sacri corporis patefecerunt. Amoto ergo operculo tumbae marmoreo inceperunt monachi cantare quandam antiphonam, cantu et verbis graecis, in quo nihil penitus intelligere poteram, nisi apostoli et martyres; haec duo nomina repetitis vicibus cantabant inter alia, idem autem et apud Graecos et apud Latinos sonant et significant et de graeco in latinum sunt assumta. Porro ipsis cantantibus accessit pater monasterii ad loculum et facta profunda inclinatione ascendit ad tumbam, quae in altiori loco posita est et capite in tumbam immerso deosculabatur divinae sapientiae gazophylacium, sacrum virginis caput, et erigens mansit ibi stare ad caput tumbae. Post eum omnes monachi accesserunt,

incipientes a senioribus, et sacras reliquias deosculati sunt eo modo, sicut abbas. Post monachos accessimus nos peregrini et secundum ordinem consuetum sacras reliquias venerati sumus, post nos vero asinarii nostri idem fecerunt. Hoc facto nobiles nostri omnia sua jocalia aurea et argentea mihi dederunt, ut ea ad sacras reliquias applicarem. Accepi ergo jocalia mihi in Ulma a caris meis credita et dominorum militum sociorum meorum et singula in sarcophagum posui, applicans ad testam sacri capitis virginis eximiae. De ista applicatione clenodiorum vide, si placet, P. 1. Fol. 36 A. Verum dum haec agerem, pater monasterii, qui adstabat, numquam oculos a me avertit et diligentissime in manus mihi adspexit, ne quid tolleretur de reliquiis, multa enim sunt ablata transactis temporibus per peregrinos furto et per preces imperatorum, episcoporum et regum multa data ita, quod minor pars corporis sacri remansit (b). Nunc certiores facti bene custodiunt propter fures et nec propter preces nec propter pretia aliquid dant, cum doleant, se tantum dedisse, cum adhuc potior pars est ibi, caput scilicet sacrae virginis integrum, corona aurea pluribus gemmis adornata expresso signo sanctitatis contectum et manus sinistra, cujus digiti sunt pretiosissimis annulis repleti cum insertis gemmis. Alia manus est in partibus Georgiae, ut dixerunt nobis monachi, quam Rhodiani se habere gloriantur, quam et peregrinis ostendunt. De costis et tibiis et aliis articulis multis corporis sacrae virginis vidimus in tumba. Videntur autem ossa sacra in oleo jacuisse, quia non sunt alba, sed illius coloris, quem os aut lignum contrahit jacens in oleo, quo quondam, ut sacra ecclesia tenet, membra virginis resudabant, nunc autem miraculo dudum cessante jacent membra sacra in bombyce, de qua bombyce loco olei datur peregrinis, quam intingunt lampadibus pendentibus in capella sanctae Mariae ad Rubum, sicque ad partes deferunt pro oleo sanctae Catharinae. Ego habui vitreolum parvum, quod eodem oleo implevi et multum de lana intinxi; nihilominus compertum habetur, oleum illud ex praedicto loco sumtum esse multum salubre simul cum bombyce habitum. Ultimo dum pater monasterii arcam virginis vellet recludere, annuimus, ut adhuc paululum sineret apertam, et

accessimus iterum ordine, quo prius, et sacras reliquias deosculati sumus et nostra munera, aurum et argentum, in sarcophagum obtulimus, quidam quatuor ducatos, aliqui tres, aliqui duos, major pars unum ad minus posuit ducatum, et cum hoc decantavimus juxta tumbam antiphonas et collectas in processionali signatas et indulgentias (††) plenariae remissionis habuimus. Sacrista autem recollectis offertoriis sarcophagum reclusit.

Tumba est in dextra parte chori in eminentiori parte reposita de marmore candido et polito facta, in ejus superficie per circuitum sunt sculptae aliquae imagines et plantulae cum foliis, nec est ad longitudinem staturae hominis facta, sed multo brevior, quia solum pro ossium conservatione fuit facta. Multae ardentes lampades pendent juxta eum, quae olim nutriebantur de oleo, quod sudavit de membris virgineis, sed miraculo hoc cessante membra oleo quidem erant plena, sed non sudabant, nisi quando fortiter fricabantur. Unde legi in peregrinalibus antiquis, quod petentibus peregrinis fricabant monachi aliquot os virginis et desudans oleum accipiebant peregrini. Sed et hoc miraculum cessavit et subsecutum fuit aliud. Nam singulis annis in profesto virginis advolaverunt quaedam ignotae aves pulcherrimae, rostris ferentes ramos olivarum virides et olivis repletos et super tectum ecclesiae residentes ramos projecerunt deorsum, quos fratres tollentes oleum saporosum et nobile expresserunt in tanta copia, quod per annum pro cibo et luminibus abundabant. Tandem autem et hoc miraculum cessavit, quia vel tempus miraculorum transivit, vel quia abusus miraculorum fuit, vel quia indignitas et peccata miracula impediverunt, vel quia aliunde provisum de Deo fuit, quia est regula theologorum, quod Deus non facit miracula, nisi exigente magna necessitate. Olim autem dum fratres sancti essent in loco, qui in penuria vivebant et paupertate squalebant, Deus miraculose providit, quia omnem spem in ipsum jactabant, juxta illud (57 a) psalm LV.: Jacta cogitatum tuum in Domino et ipse te enutriet. Item: tibi derelictus est pauper. Successu autem temporis incipiebant timere paupertatem et curam de se ipsis gerere et eleemosynas quaerere et reditus emere et thelonea

ossidere et industria magna circa monasteria hortos plantare, livas nutrire in locis desertis, et istis sic stantibus inutilia rorsus fuissent miracula. Sic etiam contigit filiis Israel in leserto, in quo de delicatissima manna vivebant, sed postquam fructus terrae sanctae habebant, cessavit mannae miraulum, Josuae 5. Nec est amplius tempus miraculorum, ut ecesse sit oleum fluere pro infirmorum sanitate, vel pro anctitatis ostensione virginis; ideo hic et circa alia sanctorum epulchra cessaverunt fieri miracula, quamvis hodie ossa S. irginis videantur esse plena oleo et pressa oleum sudare ossent, ut videtur; nec tamen omnino putet aliquis cessasse iracula S. Catharinae, etiamsi juxta sepulchrum S. virginis on fiant, saepe enim videmus majora per sanctos fieri miraula in locis, ubi eorum corpora non sunt, quam circa eorum umulos. In multis locis hodie per S. Catharinam fiunt ingentia iracula, sicut in dioecesi Coloniensi in monasterio Reuenoth monialium ordinis canonicarum regularium, in quo inauita contingunt miracula, ubi de parvo osse S. Catharinae icitur fluere oleum, lac, balsamum et manna, et alia stupenda arrantur ibi verorum testium assertione. In vita S. Hilarioris dicitur, quod ex eo loco Syriae, ubi corpus ejus jacet, on contingunt miracula, sed in quodam hortulo Cypri, in uo habitavit vivens, maxima fiunt miracula. Sic etiam est e S. Catharina.

Qualiter autem corpus S. Catharinae sit inventum et huc anslatum, iam videndum restat. Cum enim ex iniqua sententia imperatoris Maxentii in Alexandria virgo alma post lurima supplicia fuisset decollata, subito corpus ejus sublam est et concurrentibus fidelibus, ut illud tollerent et sepulrae traderent, nihil invenire poterant, et quo pervenerit, peitus ignorabant. Nam invisibiles ministri sanctorum, beati ngeli, ipsum in puncto exspirationis rapuerunt et per aerem verticem montis Synai deportaverunt in locum, ut dictum st fol. 38. b. Fideles autem in Alexandria suspicabantur, sam cum corpore et anima in coelum assumtam. Jacuit tem corpus sacrum per CCC annos, quousque tota Arabia Aegyptus fidem Christi recepit. Hoc facto ipsum desertum pletum fuit sanctis monachis et in pede montis Synai

monasterium constructum fuit in honorem gloriosissimae virginis Mariae in loco, ubi Moyses vidit rubum. Duo enim genera monachorum desertum occupabant: quidam erant coenobitae, in monasteriis simul regulariter Deo servientes; horum vivendi regulam accepit S. Pachomius ab angelo in tabulis aeneis conscriptam, quae habetur in Speculo histor. L. 18. c. 82. Alii erant anachoretae, singulariter viventes, omne humanum consortium fugientes, penetralia deserti lustrantes, in cavernis terrae habitantes. Singulariter autem in deserto Synai erant multi utriusque generis monachi devoti. Porro in monasterio sub monte Oreb erat pater monachorum, vir bonus, cui aliquotiens in mentem venit, ut cum monachis suis exiret et per solitudinem sanctos quaereret, et tum distulit. Quadam vero nocte accepit in somnis, ut mane cum monachis suis egrederetur et inveniret thesaurum orientalibus et occidentalibus desiderabilem. Mane facto omnibus suis monachis convocatis et voto eis exposito in desiderium quaerendi thesaurum corda eorum vehementer accendit et egressi simul vagabantur per deserti devia incerti, sed multum incensi, et perlustrabant foramina petrarum, speluncas montium, rupium scissuras perambulabant, montes et valles et torrentes perscrutabantur. Interea Deo duce ad quoddam antrum pervenerunt et altam quandam rupem et in eo senem monachum invenerunt, cujus vultum numquam prius viderant; qui dum interrogaret monachos, quid vellent (b) et quid quaererent, dixerunt: thesaurum quaerere divina jussione venimus desiderabilem orientalibus et occidentalibus. Ad haec senex: et ego ad idem faciendum saepe sum admonitus, sed timens fallacias inimici usque nunc distuli, jam vero securus vobiscum ibo ad quaerendum. Ad quem monachi: Et ubi putas quaeremus? Respondit: Ecce, in monte hoc altissimo vidi frequenter lumina clara, splendentia et non dubito, quin aliquid divinum ibi lateat, sed quia inaccessibilis locus est prae altitudine ascendere non praesumsi, nec majestatem Dei ex monte relucentem solus perscrutari ausus fui, nunc autem simul pergamus, adscendamus et quaeramus. Erat autem mons ille mons S. Catharinae, ad quem numquam homo ascendit ante hoc tempus. Perrexerunt ergo simul et cum multis laboribus et

iculis in cacumen montis pervenerunt; quo cum venissent, enerunt corpus integrum virginis in loculo petrae oleo no mirabiliter collocatum et non dubitabant, quin iste esset saurus eis promissus, sed quis esset, aut cujus meriti, itus ignorabant. Prostraverunt ergo se per circuitum cor- is rogantes Deum, ut ostendere dignaretur Sanctae illius men et meritum. Et ecce, ipsis orantibus adscendit ad per rupes alius anachoreta senex dicens: Ecce, fratres, misit Dominus ad vos, manifestare nomen, vitam, meritum gloriam hujus sanctissimae virginis, et exorsus est, dicens ortum virginis et nomen, genus, conversionem, passionem, um passionis et nomen judicis et tempus, mortem ejus et abilem translationem corporis ejus huc et angelorum cu- diam sedulam usque in hanc diem. Deinde monachus ille ecepit, ut inde tollerent corpus et in monasterium sanctae riae ad Rubum portarent illud, quia futurum esset, ut ho- nes de extremis partibus mundi venirent ad visitandum ras reliquias. Hoc dicto monachus ille deosculans sacra a per scopulos repente dilapsus deorsum cursum recepit et suum hominibus incognitum specum reversus est nec um- am amplius visus est.

Acceperunt ergo monachi illi corpus S. Catharinae cum gna reverentia et deportaverunt illud in ecclesiam S. Mariae Rubum et sarcophago marmoreo facto imposuerunt, sicut lie cernitur et ab universis Christi fidelibus longe lateque orbem dispersis quaeritur cum vitae periculo et maximis oribus et grandissimis expensis; unde quidam Papa sub na anathematis hanc peregrinationem prohibuit in singulari pter viae arctitatem et pericula. Peregrinatio autem Je- olymitana prohibita est solum propter Sarracenos; est enim lem peregrinatio respectu illius quaedam recreatio et spa- nentum. Dum ergo circa sepulchrum S. Catharinae expe- essemus, processimus de choro ad capellam S. Johannis ptistae, in qua sunt plures reliquiae et magnae indulgen- . In ea ergo oratione ad S. Johannem directa indulgentias epimus (†). Finito officio illius capellae in ea resedimus nes et jussu sacristae calceamenta pedum nostrorum sol- ius et nudipedes in aliam capellam huic annexam ingressi

sumus per parvum ostiolum, quae stat ad caput chori ecclesiae magnae. Pavimentum (58 a) etiam illius capellae fuit pretiosis tapeziis stratum et parietes tabulaturis pretiosis et politis obducti et multis lampadibus erat illustrata et omnia erant valde ornata, devota et pulchra in hac capella. Nam ibi est locus, ubi stetit ille mirabilis rubus Moysis, quem vidit ardere et flammas ex eo in altum consurgere et tamen nullo laedebatur incendio, ut habetur Exod. 3. Mirabilior tamen fuit hujus visionis adimpletio, quando Maria, rubus utique virens, florens et redolens, fuit inflammata et impraegnata divino igne, cujus tamen virginitas nullum passa detrimentum. De hac sancta ecclesia canit: Rubum, quem viderat Moyses incombustum etc. Hanc antiphonam etiam ibi cantavimus et ad locum rubi inclinati devotius ipsum deosculati sumus et indulgentias plenariae remissionis accepimus (††). Sub altari etiam est locus, ubi stetisse creditur rubus, et in pavimento est lamina de aurichalco, in qua insculpta est figura rubi flammantis et Moysis sedentis seque discalceantis. Super locum multae lampades pendent, quia in magna veneratione locus ille ab omnibus habetur. Sarraceni et Arabes et Turci ad hunc locum petunt magna instantia admitti et admissi nonnisi nudis pedibus ingrediuntur. Judaei libentissime ingrederentur, sed non intromittuntur. Singularis devotionis est ille locus omnibus Christianis orientalibus et occidentalibus, a quo tamen orientales nos occidentales excommunicaverunt quoad divinum officium et Missas, non enim admittunt nos ad celebrandum Missas in dicto loco sacro, dum altare capellae illius sit Graecorum, qui nos nullo modo in aris eorum celebrare permittunt. De hoc rubo facit mentionem Dominus Marci XII. Apparuit autem Dominus Moysi in rubo, ne Judaei inde sibi idolum sculperent, ut dicit glossa Exod. 3. Est autem rubus condensitas spinarum vel arbor spinosa cum rubeis fructibus, vocata Hagdorn.

Expediti in capella rubi in capellam aliam S. Jacobi transivimus et in ea orationibus dictis indulgentias recepimus (†). De illa capella in capellam S. Anthipiti ingressi sumus et ibi adorato Domino indulgentias recepimus (†). Post illam ingressi sumus capellam S. Hyrinae virginis, in qua etiam pro

lulgentiis (†) preces fudimus. Ab illa capella in capellam Marinae venimus et ibi orationibus dictis indulgentias sus-›imus (†). Deinde in capellam Salvatoris ivimus et ado-o Domino indulgentias accepimus (†). Post illam capellam ›riosae Virginis Mariae ingressi sumus et devotius ea invo-ta indulgentias recepimus (†). De illa capella in ecclesiae vem venimus. Habet autem illa ecclesia XII columnas, ibus tota fabrica sustentatur, VI in uno et VI in altero ere habens; sicut et ecclesiae nostrae sunt aedificatae in ngum. In his autem columnis sunt multae reliquiae magnae conditae et tabulae pendent ad quamlibet columnam, in ibus depicti sunt sancti, quorum reliquiae ibi continentur quorum sanctorum festivitas celebratur pro tempore. Illum im ipsi Graeci ordinem habent, quod in quolibet mense anni ia dies celebris habetur, in quo celebrant de omnibus sanc-s simul, quorum reliquiae in illa columna sunt reconditae, Januarius habet primam columnam cum multis sanctis, ›orum omnium festivitas una die illius mensis peragitur (b) non solum illorum sanctorum festum illo die celebratur, ui sunt in tabula illius columnae depicti vel quorum reli-iae ibi continentur, sed omnium, quorum depositio et dies ıtalitius illo mense evenit. Sic Februarius habet secundam ›lumnam et Martius tertiam et sic consequenter. Circa quam-bet ergo columnam sunt speciales indulgentiae (†), pro ibus ivimus.

Ideo venimus ad columnam Januarii, eam geniculando ircumstetimus et sanctos, quorum reliquiae ibi sunt, invoca-imus; sanctos etiam nostros, qui in Latinorum calendariis cribuntur, ibi honoravimus et indulgentias septennes recepi-ius (†). Demum surgentes ad columnam Februarii accessimus t orantes modo praedicto indulgentias consecuti sumus (†). Deinde ad columnam Martii venimus et orantes devotius indul-entias accepimus (†). Postea columnam Aprilis circumdedi-ius et sanctos invocantes indulgentias accepimus (†). Ab lla columna ad columnam Maji processimus et ibi prostrati d moram in oratione indulgentias participavimus (†). Hinc utem surgentes ad columnam Junii ivimus et orando indul-entias acquisivimus (†). Haec autem columna erat suprema in

dextro latere. Post hoc per medium ecclesiae descendimus ad extremam columnam Julii, juxta quam orationibus ad morulam vacantes indulgentias accepimus (†). De hac descendimus ad columnam Augusti et circa eam sanctos pro indulgentiis rogavimus (†) et, ut speramus, exauditi fuimus. Deinde ad columnam Septembris processimus et instantius pro indulgentiis rogavimus (†) et exauditi, speramus, fuimus. Ab illa ad columnam Octobris ascendimus et ibi genubus flexis sanctos, ut pro nobis orarent, invocavimus et indulgentias suscepimus (†). Surreximus inde et columnam Novembris accessimus et pro indulgentiis instetimus (†). De hac ad supremam et ultimam ecclesiae columnam ascendimus et sanctos mensis Decembris venerati sumus (†). De ecclesia consequenter in chorum monachorum ascendimus et coram summo altari strati etiam ibi divinam misericordiam imploravimus et indulgentias accepimus (†). Est autem altare chori consecratum in honorem Constantini Magni Imperatoris et Helenae matris ejus, quos Graeci summo honore venerantur.

Praescriptas indulgentias dederunt illi ecclesiae et capellis summi pontifices a Graecis rogati, vel ad rogatum patriarchae Alexandrini, qui communiter Romae moratur.

Ultimo regressi sumus ad sepulchrum gloriosae virginis S. Catharinae et deosculati sumus ejus sacram tumbam et finem processioni fecimus. Notandum autem, quod non solum illo die, sed omnibus diebus et saepe in una die ad omnia praefata loca indulgentiarum transivimus, sed dies illa fuit dies processionis solemnis.

Processione finita ad habitaculum nostrum ascendimus et cibos paravimus pro prandio et mature ad prandium consedimus, quia omnes illo die communicavimus corpus Domini. Sedentibus autem nobis ad mensam venerunt duo monachi conventus, missi ad nos a patre monasterii cum propinis et portaverunt apoferetam refertam cum tortis panibus, qui erant confecti cum speciebus, sicut lebetum, et cum dactylis et ficubus, uvis et botris, quae nescio unde tulerint et (cum) curialitate (59 a) obtulerunt nobis. Accepimus autem haec cum reverentia et portatoribus aliquot madinos dedimus. Finito prandio accersivimus Calinum et rogavimus, ut amplius

m tardaret, sed nos duceret per vias nostras in Aegyptum cundum tenorem conventionis. Ad haec Calinus se para- m omni momento esse dixit, in secreto tamen dixit, timeo, quit, quod de hoc loco cum pace non poterimus abscedere, im monasterium repletum sit Arabibus propter nos.

Descriptio monasterii S. Catharinae et de ejus funda- one et de tribus ecclesiis in eo situatis et multis aliis.

Sancti patres eremi cultores hoc desertum Synai prae nuibus locis solitudinis inhabitabant et locum rubi, in quo Dominus Moysi apparuit, tamquam locum sanctissimum et ltissimae contemplationis crebrius visitabant et venerabantur, xta quem etiam quidam senes cellulas habebant. Regnante item Justiniano imperatore anno quingentesimo XXVIII. incarnatione Domini ad instantiam sanctorum fundavit idem mperator in loco rubi ecclesiam et monasterium in honorem eatae Mariae Virginis, quod nominavit S. Mariae ad Rubum, hodie in oriente sic nominatur, nos vero post S. Catharinae anslationem in ecclesiam illam nominamus ad S. Catharinam eclesiam et monasterium.

Murus monasterium includens amplus est et spissus et ltus cum moenibus et propugnaculis habens superius ambitum er gyrum, et est de quadris et sectis lapidibus ita munitus xta introitum et portam, quod posset diuturna resistentia eri conantibus ingredi ad nocendum, sicut forte quandoque ctum est, nam in aliquibus partibus notavi, murum ruptum isse pro magna parte et reparatum ac innovatum.

Intra murum sunt tres ecclesiae, prima est graeca, secunda latina, tertia sarracenica. Prima et principalis est S. Mariae de Rubo, in qua beatae Catharinae corpus quiescit, ub ritu graecorum monachorum. Est autem ecclesia magna t oblonga, plumbo tecta, sine pinnaculo et turre, sine campanis et nolis, pro quibus tamen habent aliud instrumentum onvocandi conventum ad divinum officium. Nam in sublimi st una virga ferrea, grossa, ad quam pendent circuli aenei onorosi, et hos circulos percutit sacrista malleolis ordine uodam et mensura, ex quo valde dulcis resonat sonus, ita

quod posset duci chorea post sonum illum; sunt enim cymbali bene sonantes et cymbali jubilationis, quae tamen magis proprie dicuntur tintinnabula: olim enim ante campanarum usum tintinnabulis ad officia convocabatur plebs. Ab intus est ecclesia bene ornata, in multas capellas divisa, et multae in ea pendent lampades praeter lampades S. Catharinae et altarium et columnarum XII. Ante cujuslibet monachi sedem pendet una lampas ardens. Ad hanc ecclesiam dependet in ejus capite ecclesia ad Rubum, de qua praemissum est.

Secunda ecclesia est ecclesia latina, juxta cellas peregrinorum, et est una arcta camera, oblonga, cum uno altari bene decorato in honorem S. Catharinae consecrato. Luteos habet haec ecclesia parietes, qui tamen obducti (b) sunt mattis diversorum colorum, de plectis palmarum contextis pro decore. Ad has mattas pendent multae schedulae affixae, in quibus orationes pulchrae de S. Catharina sunt descriptae per peregrinos. Mos quippe habet, quod quaelibet societas peregrinorum aliquod carmen conscribat de beata Catharina et conscriptum parieti affigit, in quo beata Catharina laudatur et peregrinus quilibet nominatur, et hoc, si societas habeat virum, qui talia dictare sciat. In tertia societate nostrae peregrinationis erat venerabilis dominus Johannes Lacinus, archidiaconus Septemecclesiastensis, doctus orator; hic confecit sine praemeditatione subito subjectum carmen pro suis sociis:

Suscipe virgineae decus immortale coronae,
Martyr et insignis te Catharina precor.
Sume tui causa susceptos diva labores,
Et licet indignis propitiare tuis.
Pannonius primum tibi fert obsequia libens
Julia Johannes urbe Levita procul.
Quem sequitur Felix, Ulmensis gloria terrae,
Assuetus Domino dupla talenta dare.
His Schombergensem Heinricum et Casparem una,
Ceu videas Nisum Euryalumque pares.
Marspach Sigismundus Franconae gentis alumnus
Atque Argentina Velsch Peter urbe potens.
Hi pariter prodiere tuum venerabile corpus
Visuri, pariter et redituri domos.

Per maris immensi terraeque pericula poscunt,
Ut valeant patrios tuti videre lares.

De aliis duabus societatibus carmen conficere inceperat, perficiendi tempus non vacabat propter instantem recessum. Multis precibus insteti apud praefatum dominum rhetorem, a carmine nostro illum terminum, gloria, mutaret, quia videtur congruere nec veritatem importare; sed obtinere potui. Si enim, inquit, veritatem non habet in proposito, et in opposito; quod scripsi, scripsi.

Tertia ecclesia, quae tamen non debet nec meretur dici esia, est Sarracenorum infidelium muschea, est magna, drata, cum turri excelsa et annexa, in qua more suo lamant Machometi praeconia. Haec muschea stat in me- inter ecclesiam graecam et latinam, tamquam principalior. nunc tempore absentiae Arabum etiam ingressi fuimus, sed am gratiam, nullam devotionem, nullam indulgentiam in eperimus, sed domum vacuam, parietes dealbatos, nullum re ibi invenimus, quia solum inani ritu solvendo ingre- tur. Aliae conventus officinae sunt parvae et miserae et lae exiguae, de arundinibus contextae et luto obductae per se invicem innixae, inordinatae, et sunt domunculae t tabernacula pastorum et tuguria hortorum; dependet a monasterium pro parte in clivo montis Oreb et cellulae res (60 a) innixae sunt inferioribus et sibi ipsis super- tae et conglutinatae, sicut nidi hirundinum. Haec videns tavi de Taxeo, filio coeli, de quo scribit Plinius libro Na- lis Historiae, quod ipse inventor fuit primus lutei aedificii, nplo sumto ab hirundinibus; nondum enim architecti con- xerant palatia. Illum humilem modum domificandi illustres qui et praecelsi Christiani suo observabant tempore. Nam nulus fundator urbis Romae in parva habitabat casa. Et aham ille praedives in terra promissionis habitabat in lis, ut dicitur Hebr. XI., ad quem angeli hospites diverte- t, ut habetur Genes. 18. Et Diogenes philosophus in dolio scebat semper, eumque secundum aurae flatum vertebat, t sibi conveniens erat. Ovidius etiam fingit, quod duo s pauperes Palaemon et Barithi, habebant tugurium stra- bus coopertum; ad hos diverterunt dii, Jupiter et Mercurius,

dum mundum simul peragrarent, inde dii hospitibus suis non ingrati eis ibidem grande templum aedificaverunt, constituentes eos sacerdotes sacrorum, qui post ambo deificati fuerunt. Sed et Dominus noster, Jesus, in tugurio diversorii nasci voluit et numquam propriam domum habuit. Sanctus etiam Paulus, primus eremita, interrogavit sanctum Antonium, an adhuc Christiani more gentilium aedificia alta construerent; auditó autem, quod sic, amare dementiam reputans flevit. Sic sanctus Bernhardus, quando tuguria pastorum calamo contexta vidit, flevit recolens, casulis Cistertiensium esse similia, quia tunc incipiebant habitare in magnis aedificiis. Et beatus Dominicus, dum aliquamdiu non fuisset Bononiae et revenisset, invenit dormitorium et cellas fratrum elevatas fuisse a terra, cui imminebant prius; quod videns, magno moerore affectus dixit: heu fratres, me vivente incipitis palatia aedificare, quid me moriente erit? Et mandavit, remitti elevata et in pristinum statum reponi aedificium. S. Martinus, episcopus magnus, cellulam contextam lignis habebat juxta suam ecclesiam. Legitur de quodam sene eremita, qui habuit hospitium ad sepulchri modum, quem cum imperator interrogasset, cui suam domum commensurasset? respondit, corpori meo, quia hoc sufficit hic homini pro hospitio et mortuo pro sepulchro. Et addidit, melius prosilitur de tugurio in coelum, quam de palatio in infernum. Unde Bernhardus: Obsecro, in peregrinatione hujus saeculi, in militia, frater, terram non aedificemus nobis domum ad habitandum, sed tabernacula ad currendum, utpote cito evocandi et in civitatem patriam migraturi. Dicitur de Vulcano, fabro Jovis, quod ipse primo adinvenit aedificiorum pompas. Vide etiam de his P. 1. f. 237.

De monachis monasterii S. Catharinae et de pravis eorum moribus vel gravibus erroribus.

Grave profecto est aliorum vitia reprehendere ei, qui se ipsum nondum studuit a vitiis absolvere. Locuturus ergo de monachis monasterii S. Catharinae potius cogente veritate in eorum vituperium narrationem oportet deducere quam laudes depromere, non obstante propriae vitae reprehensione. Habuit

c monasterium olim multos monachos et sanctos, jam vero bet paucos et excoecatos. Ante aliquos annos erant ibi ntum circiter et post LXXX, jam vero vix sunt ibi XXX. Ha- nt tamen monachi illi quaedam laude digna, quaedam vero secrabilia. Laudo eos in hoc, quia regulae professores sunt, ilicet regulae S. Basilii, quo docente satis rigorosam vitam cunt quoad alimentorum parcitatem et vestimentorum vili- em. Parcus enim est cibus eorum, sicut omnium orientalium, potus aqua cottidie, demtis quibusdam maximis eorum fe- vitatibus, in quibus ministratur fratri haustus vini. Vestitus rum est vilis et (b) abjectus. Tunicas habent differentes, us sic, alius sic, nullius tamen coloris splendidi vel bonitatis, sunt longae sicut tunicae clericorum, cincti sunt latis cor- iis, non habent scapularia sed caputia, quae circa collum l guttur non clauduntur, sed deorsum a capite in dorsum pendent. Verum a loco temporum dependent a caputio duae ciae, tegentes ab ante scapulas usque ad cingulum proten- e. Omnes comam et barbam nutriunt et modo Nazaraeorum edunt, carnes numquam manducant, vino non utuntur, nisi ut praemisi. Multi seues viri seriosi et maturi sunt inter s; quicumque convolat ad eos, de quacumque secta, demtis cobinis et Armenis, volens se eis conformare, eum recipiunt, e sit Latinus, Graecus, Theutonicus aut Aegyptius. Ante npora cottidiana erant eis miracula propter sanctitatem, nec gebatur in patrem aliquis mortuo alio, nisi aliquo demon- atus fuisset miraculo, per caelestem accensionem lampadis ie sedis vel alias per visionem aut oracula.

Aedificia eorum sunt, ut praedictum est, nullus admirabi- itis aut pretiositatis. Fui ego in cujusdam antiqui patris lla, in qua nihil nisi paupertatis magnae signa vidi. Nulla eos ingreditur foemina, nec peregrinae mulieres de trans- rinis partibus venientes intromitterentur, si venirent, scientes id satyricon: Ubi sunt mulieres, ibi nec pax, nec quies, nec b eodem tecto habitant quies et mulieres, et qui non litigat elebs est; demtis aliis innumeris periculis, quae monachis idere solent ex mulierum cohabitatione, quae omnia pensent foeminas non appropinquare sinant. Olim, dum adhuc sub edientia apostolicae sedis erant, peregrinos maxima charitate

et hilaritate recipiebant et necessaria ministrabant et calceamenta dabant. Quapropter S. Gregorius Papa, ut habetur in ejus Legenda, singulis annis misit grandem eleemosynam a Roma ad montem Synai pro illis religiosis, quia tunc multa bona per eos fiebant in oriente et pro ecclesia romana. Sed quid nunc dicam? Si vidissem fratres et monachos illos mortuos suscitare, Missas legere, confiteri peccata, tractare divina, pacifice simul conversari, regulae suae statuta tenere, jejuniis et vigiliis se macerare, castitatem zelare et in caeteris virtutum eximiis actibus se exercere; nullam sanctitatem audenter judico eos habere, nullam veram virtutem, nullam Deo acceptabilem actionem, nullam Deo placentem religionem apud eos esse minime dubito, ea ratione, quia in ecclesia catholica non sunt, sed extra, cum sint schismatici primo et ex obstinatione schismatis sint facti haeretici, ideo in charitate non sunt, quia Spiritus sanctus extra ecclesiam non datur, cum quo charitas infunditur, ut habetur 24. q. 13. Si autem nec veram Dei scientiam aut cognitionem extra manentes possunt habere, uti supra patet Cap. quocumque: nec corpus Christi cum fructu conficiunt 24. q. 1. schisma; nec, dum confitentur, a peccato solvuntur, 24. q. 1. Quicumque etc.: quia Lazarus non nisi in Bethania et in domo obedientiae romanae ecclesiae resuscitatur, nec vita activa in Martha, nec contemplativa in Maria, nisi in eadem Bethania esse potest, nec vera pax aut virtus extra ecclesiam esse potest, 24. q. 1. Qui contra etc. Quod autem illi monachi sint excommunicati, schismatici et haeretici, patet, quia Graeci sunt et Graecia est acephala 93, item nulla etc. Et orientales sunt, quibus verus sol occidit 24. q. 1. qm. Idem probo per experientiam; nam nobis existentibus in loco eorum tenuerunt interdictum, nec divina eorum quovis modo celebraverunt nobis ibi morantibus, reputantes nos de romana ecclesia excommunicatos. (61 a) Ex alio idem patet, nam in ecclesiis eorum nolebant nobis altare concedere pro Missarum celebratione, dicentes, hoc apud eos esse decretum, quod, quandocumque aliquis Latinus Missam celebrat in altari Graecorum, quod ipsum altare sit excommunicatum, profanatum et de novo reconsecrandum ab episcopis eorum. De hoc vide supra Fol. 31. Ex his omnibus resultat quaedam inimicitia in eis ad nos, ita quod

quando Dei causa in eorum loca venimus, sunt nobis duri et penitus nullum charitatis opus nobis impendunt et quidquid faciunt nobis, amore denariorum faciunt, sicut Sarraceni, qui in multis fidelius se habent ad nos, quam ipsi. Expertus sum, quod non libenter aperiunt ecclesiae ostium peregrino, nisi videant argentum promptum pro aperitione; non impertiuntur potum aquae nisi comparatum argento, nec obtinere potuimus nullis precibus, ut aliquibus militibus calceamentis carentibus providerent, sed omnia denegabant et, quae denegare non poterant, torvo vultu et cum indignatione dabant, sed justo Dei judicio contingit eis illud dictum: quod honori subtrahitur, turpitudini reservatur. Subtrahunt enim peregrinis susceptionem hilarem, contra id 1. Petri IV.: Hospitales invicem sine murmuratione. Nec faciunt sicut Jeronymus dicit: Omnes, inquit, hospites laeta fronte suspicimus et pedes abluimus, praeter haereticos. Idcirco Deo disponente coguntur Sarracenos et infideles Arabes, latrones, fures cottidie hospitio suscipere sine murmure, quia opera minima denegant domesticis fidei, quibus potius subveniendum esset quam infidelibus, cum apostolus dicat: Maxime ad domesticos fidei, Gal. VI. Nec respiciunt vel pensant praeceptum nonum Catonis dicentis: Cui des, videto. Et quia non dant, cui deberent et qui gratus de modicis esset, coguntur dare abundanter, cui non deberent, ingratissimis canibus Arabibus, nec Deum nec hominem curantibus. Singulis enim diebus dant panes et pulmentum ad minus 80 Arabibus deserti, latronibus, et communiter centum veniunt, aliquando plures, et si non statim tribuere volunt, quod petunt, contra eos insurgunt et monasterium perturbant. Abundant enim et provisionem pinguem habent; nam quidam archiepiscopus cretensis, amator S. Catharinae virginis, dedit monasterio decimas majores totius insulae et telonei partem in Thor, praeter alia, quae ignoramus. Insuper de toto Christianismo mittuntur eis plures eleemosynae a multis, qui aestimant, bene rem dispensari, et pessime sunt expensae. Nam ipsi monachimet non debent sustentari a fidelibus, cum sint haeretici, quibus nulla eleemosyna nec legata sunt facienda, ut habet canon. Ex datis etiam sustentant Arabes latrones, qui potius essent occidendi, nec quidquam aedificant pro Dei honore, et si etiam

ecclesias aedificarent, non debet fidelis contribuere ad aedificationem ecclesiae schismaticorum. Pro quo recitare convenit hoc, quod mihi anno praeterito contingit. In festo S. Michaelis dum starem Ulmae et populo in ecclesia praedicarem, venit quidam sub sermone offerens mihi bullam, petens eam populo legi, sicut sub officio lecta et pronuntiata fuerat in ecclesia parochiali. Erat autem littera grandis, cum solemni sigillo domini patriarchae Alexandrini, qui residentiam Romae habet, et ejus tenor erat, quod ecclesia sanctae Catharinae in monte Synai indigeret restauratione, ad quam populus deberet magis porrigere adjutrices et hoc facientibus dabantur indulgentiae (b) copiosae. Stabat autem lator litterae, monachus graecus, senex, juxta altare sanctae crucis prope ambonem in facie mea et reliquaria sua exposuerat cum ornamentis et candelis accensis, in altari stans paratus colligere pecunias et populus erat intentus in me et in eum. Praelecta littera dixi populo planis verbis: Ecce, hic stat unus frater montis Synai, de sanctissimo loco, in quo fui, et petit ad restaurationem ecclesiae sanctae Catharinae et contribuentibus premittuntur indulgentiae a patriarcha Alexandrino; hoc hortor vos in Domino, ut nihil detis illi fratri, quia est schismaticus, haereticus et infidelis, nec deberet admitti ad ecclesias nostras, nec interesse divinis, cum sit anathematizatus. Secundo nullam pecuniam date ad restaurationem ecclesiae S. Catharinae, etiamsi ruinam minaretur, quod tamen non est, cum sit integerrima; nam ecclesia illa hodie, heu, non est catholica, sed haeretica et Latinis de romana ecclesia ibi existentibus non est locus in eadem ecclesia nec celebrandi, nec officia sua peragendi, imo nobis petentibus nec lectio nec cantus fit ab eis in illa ecclesia, quia excommunicatam ecclesiam romanam tenent. Ideo dimittamus illam ruere. Tertio ille dominus patriarcha dans indulgentias ad illam ecclesiam vel non fuit bene informatus vel littera est subreptitia, quod magis credo, non enim debet catholicus episcopus dare indulgentiam ad unam anathematizatam ecclesiam, nam monachi illius monasterii habent in oriente abbatem vel patriarcham, cui obediunt, nec illum, qui Romae residet, curant, solum enim titulum habet et est patriarcha Alexandrinus, tamen Alexandriam numquam vidit, nec forte

bet intentionem eam videndi, nec habet ibi aliquam obedien-
m. Sciunt autem illi monachi, quod romana ecclesia pro-
let etiam illis locis de praelatis, in quibus obedientiam non
bet, et currunt extra, veniunt Romam et invocant et cognos-
nt jam praelatum propter quaestum, quem numquam honora-
it, vel cui numquam obedirent propter Christum, et fictas et
nus deliberatas dant litteras, ut pecunia nostra veniat in
um haereticorum. Quarto, frater ille stat ibi et postulat
gentum gratis et aurum, et ego expertus sum, quod ipse in
:o suo non gratis aperiret nobis unum ecclesiae ostium, non
ret aquae frigidae potum, non praeberet celiudrium, non prae-
ıret corium pro calcei resartione, nec peciam panni veteris,
o oportet baculos ab eis emere, vel censum pro ba-
lo dare, quem quis accipit, dum montes sanctos ascendit.
ec enim in praecedentibus non posui, sed ita se habet: dum
regrini montes sanctos volunt ascendere, veniunt monachi
m baculis, quos vel vendunt, vel pretio accommodant, sed
llo modo dant gratis, contra illud: gratis accepistis, gratis
te. His dictis, finito sermone populus recessit, nec obolum
monacho dedit, imo, avisatus fuit, ut citius de urbe rece-
ret, antequam interrogatio severa ab eo fideret. Credo enim,
od nec pecunia ab eo collecta ad locum montis Synai sit
ntura. Audivi postea, quod imperator serenissimus et rex
›manorum Maximilianus et rex Hungariae, cum quibus prae-
:tus nuncius fuit, magna munera sibi dederunt, sed inutilia,
ia non servant hoc praeceptum: Cui des, videto. Est enim
:us sanctus et Christianis pretiosus et hoc pensant et non
errogant de qualitate locum inhabitantium, qui nihil valent.
dulgentiae (62 a) autem datae per apostolicos illi ecclesiae
nt antiquae, datae, dum adhuc ecclesia esset sub Papa, et
huc quidem durant in favorem peregrinorum, qui eas con-
quuntur, dum locum visitant etiam sine munere, nec pere-
nus bene faceret dando munus, quod cederet in utilitatem
ereticorum pro indulgentiis.

De recessu peregrinorum a monte Synai et de tribulationibus, exactionibus et vexationibus passis ante eorum egressum et regressum in desertum.

Vicesima septima die ante lucem surreximus et Missas in nostra capella celebravimus, quibus celebratis in ecclesiam S. Catharinae descendimus et indulgentias (††) in capella beatae virginis ad Rubum et ad beatae Catharinae sepulchrum accepimus et locis sanctis deosculatis licentiam repatriandi a S. Catharina accepimus et in locum nostrum ascendimus et ad recessum nos disposuimus. Cum difficultate autem a monachis obtinuimus, quod utres de cisterna monasterii repleremus aqua. Est enim in ipsa curia grandis puteus et altus valde, habens aquas ex fundo emanantes et non ex pluviis confluentes, quod tamen numquam in aliquo loco orientis vidi, nisi ibi. Dicunt autem, Moysen hunc puteum fodisse et orationibus aquas emanantes penetrasse pro populi Israel solatio. Hanc autem artem fodiendi puteos Moyses in Aegypto didicit, quia dicit Plinius de Naturali Historia, quod Danaus, Beli filius, primus puteos in Aegypto fodit et inde navigans in Graeciam idem similiter fecit et ab ea in alias regiones notitia haec devenit.

Videntes autem Arabes, quod ad recessum nos disponeremus, misit capitaneus eorum ad nos famulum, avisans nos, ne egredi de loco nostro praesumeremus, nisi prius ei satisfactum esset. Post multas ergo placitationes aliquos ei ducatos dedimus et liberatos nos aestimavimus et camelarios exspectavimus, qui diu tardabantur. Tandem autem venit unus, camelos esse praeoccupatos ab armatis, nec dimittere vellent, nisi pedagium pro eis solveremus. Et conventione facta cum eis pecunia camelos redemimus. Venerunt etiam asinarii, dicentes, asinos esse conclusos a paganis et non nisi pecunia redimendos. Sic ergo bursas continue apertas habuimus, quod necesse fuit ad redimendum nos a vexationibus. Misit interea pater monasterii ad nos conquerens, quod aliquis de nobis de tumba S. Catharinae particulam ferreo instrumento abscidisset, quam si voluntarie restituere tardaremus, ad statim coacti per Arabes, quibus caussam committere

let, restituere vi cogendi essemus. Hoc audito expavimus tumbam truncatam reperimus, nec erat inter nos, qui conretur se hoc fecisse, et unus alium respexit et omnes ei, i fecit, maledíximus, rogavimus tamen nos invicem, ut reus e verecundia confiteretur et redderet abscissam peciam et ines cum eo vellemus concurrere in reatu et solvere solnda, sed nemo erat, qui se manifestare vellet, donec Caus noster diceret, quod reus occulte sibi praesentaret frum lapidis (b) et rem occulte complanare vellet. Et sic ctum est; quis autem reus fuerit inter nos, hodie me latet. ultas angustias et confusiones sustinuimus per totam pereinationem propter indiscretam quorundam devotionem ad ibendum particulas de locis sanctis, ut dixi P. 1. F. 217 B. ac turbatione sedata venerunt officiales conventus, monachi, inverecunde a nobis Valete in pecunia postulabant, quibus iam dedimus, quamvis non meruerint. Deinde venit pater onasterii in propria persona, vir non multum senex, robustus prudens, et petivit, ut quatuor camelos oneratos fructibus biscum in Aegyptum descendere permitteremus. Singulis im annis isto tempore mittit pater monasterii domino Solno regi Aegypti fructus in ligneis cistis obfirmatis, collectos regione deserti Synai et Oreb, et rex pro magno munere ceptat pro eo, quod creverint in illa sancta regione, et vidit eos potentioribus tyrannis Aegypti, qui tamquam res nctas e coelo missas eos fructus suscipiunt. Recepimus go in nostrum consortium illos quatuor camelos. De hortis, i illi fructus in deserto crescunt, vide supra fol. 41. b.

Cum ergo omnia essent pacata et cuncti essent soluti, timuius, quod post exitum nostrum sequerentur nos Arabes et in litudine nos turbarent. Idcirco descendimus cum Calino ad muheam, ubi Arabum capitaneus erat, et evocato eo rogavimus, ne avaremur extra monasterium per suos, qui promisit, quod per os nihil mali passuri essemus et, si vellemus ex toto securi esse, se vellet de suis servis nobis defensores adjungere per duas vel es deserti mansiones. Ista responsione contenti et securi a viro cessimus. Per praedicta igitur impeditus fuit recessus noer usque ad meridiem et in solis fervore oneravimus cum ulto labore camelos et cum multis litigiis, quia camelarii

abjiciebant nobis utres, quos aqua repleveramus, quos nos e contrario reposuimus et ipsi iterum rejiciebant et absque percussionibus pessime nos invicem tractavimus iracundissimis gestibus. Ad ultimum venerunt aliqui Arabes, qui nos ita concordaverunt, ut novam mercedem pro istis utribus ferendis camelariis daremus. Et ita fecimus et, si ab initio hoc facere voluissemus, nullum litigium fuisset exortum. Tandem autem oneratis camelis a monasterio recessimus. Cucurrit autem unus Arabs post nos portans unum lectulum et quandam sportam, quam nostri camelarii de industria reliquerant, et ita ille peregrinus, cujus erat lectulus, si habere voluit, eum oportebat emere ab Arabe et, postquam lectulum accepit, camelarius noluit eum super camelum ponere nisi datis novis denariis. Et ita bene vexati a monasterio elongati sumus euntes per vallem, per quem intravimus, usque in vallem grandem, ubi filii Israel vitulum adoraverunt et quatuor horas lento gradu processimus. In vespera autem tentoria fiximus in loco, quem nominabant Arabes Wachya, et difficulter sarmenta pro igne ad coquendum cibos invenire poteramus. Illi autem Arabes cum camelis fructus portantibus locaverunt sua tabernacula in medio nostri et ita noctem illam deduximus.

Processus.

Die XXVIII., quae erat dominica XVIII. post Trinitatis, tribus horis ante lucem surreximus et oneratis camelis a Wachyae loco recessimus per arctum illum introitum, de quo supra dixi fol. 32., et altiora montana Synai postergavimus et in Macheram, ubi Moyses oves Jethro pascebat, revenimus. In eadem latitudine dimisimus viam, (68a) per quam intravimus in ingressu nostro, ad dextram et ad latus sinistrum in torrentem invium descendimus, qui tamen delectabilis erat, quia plenus myricis et virgultis stabat, inter quae asini et cameli transeuntes de ramusculis folia et virorem decerpebant et manducabant, nos virorem a foliis suximus, quia ut zuckarum et mel dulcis erat, de quo manna illud saporosum fit. Circa meridiem de illo torrente ascendimus in vallem, ubi cum Arabibus conflictum habuimus in die beati Matthaei, die octava ab illo. Transeuntibus

in torrentem, ecce subito onager magno impetu
rsu velocissimo de saltu contra nos descendit, ac si vellet
ostrum exercitum irruere, nos autem, qui prius nullum
ius, non aliud aestimavimus, nisi quod esset asinus do-
icus et mirabamur de sua agilitate et formositate. Cu-
t autem respiciens asinos nostros, puto autem, quod
m quaesiverit, quia alias ex natura fugiunt hominum con-
um. Porro quidam de Arabibus bestiam ad latus caute
tus cum arca et sagitta conabatur bestiam sagittare, bestia
m in importunitate aufugit, sed paulatim a sequente de-
, quasi ipsum post se traheret et illuderet; tandem autem
Arabs propinquior esset, tetendit arcum et bestiam vul-
vit, quae mox sagittam excutiens a nobis per praeceps
sa est, juvenis vero attulit sagittam cum aculeo cruento.
multo post vidimus quinque onagros simul inter rupes
entes. Naturales multa dicunt de onagro. Est enim
er asinus ferus sive silvestris et est pulcher, magis gracile
ns caput quam asinus communis et est animal liberum,
mitum et lascivum, habitans in montibus et locis desertis
t velox ita, quod beneficio fugae ursum, lupum et leonem
it, ideo computabatur inter praecipuos deos antiquorum,
s quam Dyomedes, ut Eusebius de evangelica praepara-
dicit Libro V. C. 13. Diu ultra omnia animalia sitim,
at et divisus ab aqua longe beneficio ventorum vivit,
stans in scopulis attrahit, unde Jeremiae XIV.: onagri
runt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones. Et
m.: Exspectabunt onagri in siti sua. Onagri mares timent
lant foeminas suas, ideo gravidas suas custodiunt et natos
s morsu castrant, e contra gravidae latebras petunt et
e furtim petunt gaudentque libidinis copia, propter quod
s eos odiunt. Masculus foeminam non habens tempore
s in altam rupem ascendit et desiderio libidinis aestu-
vehementer rugiunt ita, quod animalia caetera horrore
ntiuntur, ad hoc etiam ventum naribus attrahunt et per
lijudicant, ubi foemina, quam cupit, sit. Onager duodecim vici-
in die et duodecim in nocte rugit et per hoc incolae deserti
rnunt de horis noctium. Industria naturali hoc facit, quod,
do canes eum sequuntur, emittit stercus suum canibus

odoriferum, circa quod illos detentos illudit et evadens ad tutiora fugit. Ex onagro et equa natus fit mulus velox, sed velocior ex onagro et asina et sunt muli pretiosissimi, in quibus principes et magnates vehuntur. Igitur circa solis occasum in torrentem aridum et desertum venimus, quem nominabant Arabes Elphat, in quo oneribus abjectis tentoria fiximus et pernoctavimus. Porro tanta erat ibi vastitas et ariditas, quod desperavimus, nos posse reperire materiam pro igne, tamen invenimus tantum, quod aquam offae calefecimus.

Vicesima nona die, quae est festum Michaelis, ante lucem surreximus et per torrentes desertos, per quos ingressi fueramus, exivimus ei taediosam et laboriosam diem habuimus, quia per rigidissima loca, non quidem arenosa, quod tolerabile fuisset, sed pulverosa, imo cinerosa tota die proficiscentes grande iter fecimus per pulveres et cineres. Mirabamur non parum, unde pulverum et cinerum tam immensa copia per totam dispersa regionem, ubi non sunt habitationes hominum, nec ignis, nec materia combustibilis? Ad hoc catholicum accepimus responsum tale: Ex quo Dominus omnium terrarum maledictiones induxit super hunc petraeum desertum, etiam hanc ei immisit maledictionem, ut de coelo nec pluviam aquae, nec nivis, nec roris haberet, sed pluviam pulveris et cineris, quam nimirum maledictionem terrae sanctae minatus est similiter venturam, si ejus habitatores mandatis ejus contrairent. Unde dicit Deuter. 28.: Det Dominus imbrem terrae tuae pulverem de coelo, descendat super te cinis, donec conteraris. Sic fecit Dominus terrae Aegypti, quando Moyses et Aaron ad jussum ejus acceptis cineribus de camino in aerem sparserunt, unde tota superficies terrae Aegypti fuit cooperta cinere et pulvere, eratque cinis tam in jumentis quam in hominibus, eos corrodens usque ad ulcerationem, ut habetur Exodi IX. Suspicati ergo sumus, hanc deserti partem etiam ibi percussam plaga, et timuimus, ne forte et nos ulcera contraheremus, sicut Aegyptii; sed custodivit nos Dominus integros in regione cinerosa.

Porro in vallem quandam venimus, in qua reperimus idolum in forma pueri Aethiopis in caverna petrae stantem, cui Arabes interdum pro tempore oblationes offerunt; vidissent

nter, quod nos etiam apposuissemus argentum, sed noluis. Aliqui eorum a suis camisiis discerpebant peciolas et e idolum suspendebant, sicut facere soliti sunt in locis, i aliquid divinum esse opinantur, ut supra patet fol. 29 b. 33 a. Unde autem stultus ille peciarum cultus ortus sit, ere possumus, quod sicut quibusdam visum est nihil in ndo dignius, nobilius et Deo acceptius, quam cutis cadarum, quibus se ipsum Dominus et sua secretissima et totum mmendat universum: sic pari ratione vetusti inutiles panni ei et camisiarum peciae dignitate praeferuntur, cum non nora eis commendantur, quam cutibus cadaverum, pergameno am et papyro omni, scilicet divina et humana, coelestia et terria, aeterna et transitoria, praesentia et futura, visibilia invisibilia, naturalia et gratuita, credibilia et experimenta, rationalia et supernaturalia et caetera omnia, bona et la, prosequenda et vitanda: ideo forte infideles haec diis is accepta judicant et offerunt. Consequenter processimus que ad diei vesperam et in loco horrido, quem nominabant abes Effkayl, tentoria fiximus (b), cumque nos in loco assemus, iterum incepimus deficere et egere et aquarum fectum sentire, quod erat nobis supra modum molestum et tolerabile; vix habuimus aquas, ut possemus illo sero coere jus vel prodium pro offis. Venit nobis in mentem undantia carnium, auserum et aucarum, quae paene omnibus domibus est in patria nostra in sero sancti Michae, et flagrare coepimus post ollas carnium et post veruta saturarum et post crates piscium et caldaria pulmentorum. ntigit nobis paene sicut filiis Israel in deserto, quando recolabant Aegypti abundantiam et desiderabant carnes, pisces, pas, allia et pepones, ut habetur Exodi XVI., et plenius m. II. Sed desideria nostra erant frustra, non enim bebamus Moysen, qui coturnices de transmarinis parus nobis afferret, sicut illis, super quos tamen clam ira i descendit, Psalm.: Adhuc escae eorum erant in ore eorum ira Dei descendit super eos etc. Miserum ergo S. Michaediem habuimus et noctem inquietam propter cineres et ntos eos elevantes.

Defectus aquarum molestus.

Die XXX., ultima Septembris, quae est S. Jeronymi, statim post noctis medium a loco praefato recessimus quatuor horis ante diem et per devia deserti perreximus posttergantes altiora et interiora montana, et cum jam clara esset dies, venimus in desertum Ramathaim, ubi mansionem habuimus die XIX., ad radices regionis Rachkaym, ubi per praeceps descendimus, sicut dictum est fol. 28 b. Non autem reascendimus per clivum in montana illa, sed dimissa altitudine ad dextram contra mare rubrum descendimus et ibi a via declinavimus, per quam ingressi fueramus et contra Aegyptum nos convertimus. Interea defectus aquae molestus erat nobis et murmuravimus pro aqua dicentes Calino, qui erat Moyses noster: Da nobis aquam, ut bibamus, sicut Judaei Moysi dixerunt Exodi XVII. Respondit Calinus, quod si vellemus habere aquam, necesse esset non multum a vero tramite declinare a camelis, qui per ista devia non possent duci. Oportet, diximus, nos habere aquam, quia a monte Synai usque huc aquam non vidimus et utres paene evacuavimus. Quidam ergo Arabs, qui nobis in deserto adhaeserat, dixit Calino, quod sciret quendam locum multorum puteorum, ad quem vellet nos ducere. Dimisimus ergo camelos et Calinum recto tramite procedere contra mare rubrum et secuti sumus Arabem illum in aliam regionem. Venimus autem cum eo in quendam terribilem et saxosum torrentem, qui parietibus altis rupium ab utroque latere claudebatur, per quem impetuosissime suo tempore aquae decurrunt, ita, ut grandia saxa abducant. Per illum torrentem longa via descendimus et incepimus formidare, quia locus inhumanus erat. Colloquebamur autem nobis et mirabamur de nobis ipsis, quod propter aquam dimisimus omnem substantiam in camelis et ductores nostros asinarios et camelarios et adhaesimus uni homini alienissimo nobis secuti eum per invia illa loca. Verumtamen omnibus nobis videbatur Arabs ille esse homo bonus, omnibus enim modis, quibus potuit, gestiebat nobis complacere et jocunde praecurrit nos, ostendens nobis rupium altitudinem et torrentis (64a) illius vastitatem, tamquam ipsemet miraretur. Post longum

ensum adscendimus per rupes de torrente et in locum ultis et virentibus arbustulis repletum venimus, per quem tes in campum venimus arenosum, in quo multa vestigia inum, camelorum et asinorum nova sabulo impressa vidi-s. Erat autem campus ille circumdatus arbustis et fructi- et in eo erant multi putei et foveae aquarum, quas ut imus, de asinis prosiluimus et lactati fuimus pro aquarum entione. Accurrimus autem ad proximam foveam et situ- de corio factam, quam Arabs noster secum ferebat, sub-imus et aquam hausimus crassam et turbidam, de qua cum ere vellemus, gustavimus aquam esse salsissimam, ac si mari esset hausta, quam nec asini nostri bibere poterant. ando autem vultu turbato Arabem ductorem nostrum respi-emus, ac si nos delusisset et gratis circumduxisset, dedit is signum, ut etiam alios puteos gustaremus et aquam cem quaereremus. Accessimus ergo ad alium puteum et sta aqua insipida quidem fuit, sed non adeo amara, ut ma; sic per singulas foveas cucurrimus et aquam pro be-s invenimus, sed pro nobis non erat aqua in puteis. In-it autem Arabs fodere et arenam manibus ejicere in quadam ea sicca non profunda, quam nos invenimus, et dum pau-um fodissemus, ebullire coepit aqua turbida quidem, sed cis, et de illa amphoras nostras replevimus et ventres no-os, nihil curantes de turbatione ejus. Sic quilibet sciens npam illum fodit sibi propriam foveam, quia aqua fundi lcis est, sed dum solis calor in puteos splendet, reddit eam sam, ideo in puteis fossis non reperimus nisi aquam salsam. autem putei essent in altum defossi et muris inclusi et a is calore protecti, credo, quod potabilis et bona aqua ib et. Satis mirabile est, unde aquam habeat humus illa nosa. De Neptuno, maris deo, miramur, quod postquam am Danai liberavit in deserto a Satyro et eam cognoverat, loco oppressionis virginis tridente percussit terram et fons pit; hic vero nec tridente usi, nec ligone, manibus fontem imus. Hic amarissimas aquas invenimus in fontibus, simi- aquis fontis dicti Exampeus, qui est apud Caliopados; hic eo emittit amaras aquas, ut fluvium, in quem labitur, om-m amarum reddat. E contra fons est, dictus Alis, qui in

potione est adeo suavis, ut nullus alius potus eo habito desideretur. Sic et hic similiter dulces et amaras aquas reperimus. Vidi tamen in quodam loco terrae nostrae in eodem loco qualitates ejusdem aquae magis mirabiles. Nam supra Confluentiam prope oppidum Nassow, ebullit de petra aqua amara et calida et de rimis ac scissuris ejusdem petrae calidior et amarior, et dulcis et frigida similiter etiam ibi reperitur et frigida et amara similiter, et tamen totum de una petra emanat. Dicitur autem locus ille Wasserems, in quo sunt habitationes pro balneari ibi volentibus, quia aquae illae medicinales sunt.

Adaquatis itaque nobis et bestiis a loco festini recessimus et iterum in torrentem alium horribilem venimus et cum in eo diutius processissemus, in parte ejus ascendimus et camelos nostros in alto a longe conspeximus procidentes, concite autem gradu eos (b) secuti sumus et dum ad eos venissemus, aqua in amphoris calefacta fuit et inutilis ad potandum et aliquantulum salsa; quam statim enim solis calorem aqua illa sentit, ad amaritudinem tendit. In illo die ambulavimus in maximo solis aestu per torrentes mirabiliter desertos et steriles, in sero autem quendam torrentem intravimus, quem nominabant Laccraram, et in eo tentoria fiximus juxta petrosum clivum, de quo rupes minaces dependebant. Accepimus autem lectulos nostros et cavernam magnam intulimus et ibi consedimus, odio enim habuimus tentorium et non libenter sub eo quievimus, quia copulati et juncti adinvicem pediculis replebamur unus de alio. Omnes petrae, rupes et humus illius loci erant de terra albissima, unde pulvere albo conspersi fuimus, ac si fuissemus in uno turbido molendino de farina. Dum autem sarmenta collegissemus et coqueremus, circuiverunt ductores nostri et Arabes tentoria nostra petentes a nobis ova et paximatios et alia esibilia, nec tamen illo sero nisi parum manducaverunt, cujus causa statim subditur.

Finit tractatus septimus.

Incipit tractatus VIII.

continens peregrinorum acta per mensem Octobrem et multa alia.

Octobet mensis cum suo primo die illuxit, porro duabus horis ante lucem Sarraceni et Arabes et omnes, qui de ritu Machometi erant nobiscum, surrexerunt et igne accenso ac luminibus inceperunt comedere, bibere, gaudere, ridere, cantare, et ultra consuetum modum se dissolvebant nosque suis clamoribus excitabant et invitabant, ut cum eis conviveremus. Caussam vero illius intempestivae comestionis cum quaesivissemus ab eis, accepimus, quod illucescente die inciperet eorum jejunium, et ideo ante diei lucem manducant et gaudent, siquidem Sarracenorum jejunium, quod Machometus eis statuit in Alchorano, ita servant: per totum annum nullum habent jejunium, nisi per Octobrem mensem, quem tamen ita jejunant, quod omni die a diluculo, quum suboriri incipit et lumen tantum fit, quod potest discerni nigrum ab albo in filo, jejunant usque ad solis occasum et tempore diurno non comedunt nec bibunt nec utuntur uxoribus, sed quiescunt, dormiunt et cum quadam torpescente tristitia diem deducunt, quamdiu autem sol occidit, expergiscuntur, evigilant, mensas parant, comedunt et bibunt, non semel, sed totiens, quotiens volunt, per noctem clamant, cantant, discurrunt et singulis noctibus sui jejunii insaniunt et uxoribus libidinosissime abutuntur, et si qui tota nocte vigilare non possunt, ad dormiendum se ponunt, sed duabus horis ante diem surgunt ad manducandum et viso die cessant. Ideo in civitatibus duabus horis ante diem currunt eorum sacerdotes per vicos et pulsant cum lignis ad excitandum homines ad luxuriandum et manducandum usque ad diem. O monstruosum jejunium et carnalibus hominibus et bestialibus aptum! Absit, absit a nobis talis praedicator jejunii, post quod in die expletum sic omni libidini, ingluviei, crapulis et comessationibus per noctem operam impendere praecipit, ut non ob aliud jejunium instituisse

videatur, quam ut postea voluptuosius et appetentius omnium turpitudo libidinis (65 a) exerceatur. Multam inquietudinem sustinuimus noctibus propter insolentias eorum per illum mensem, sicut sequentia docebunt. Igitur die appropinquante, dum se ingurgitassent et camelos onerare vellent, invenerunt sibi unum camelum furto abductum esse. Vagantur enim fures per desertum, qui in rupibus per diem stant et transeuntes turmas considerant, ubi noctibus maneant, et cunctis dormientibus subintrant occulte et solvunt vel asinos aut camelos et accipiunt, si possunt, sportas et saccos. Turbati autem erant camelarii et duo de eis cum hastis per regionem discurrerunt, quaerentes bestiam, nos vero onera perditae bestiae alteri imposuimus et de Laccraris profecti sumus per loca arenosa. Post tres autem horas venerunt camelarii cum bestia perdita et habebant vestimenta sanguine conspersa et hastas cruore madentes; invenerunt enim duos fures cum bestia in quodam specu, ad quem vestigiis bestiae et furum prodentibus venerunt, unum autem ex illis hasta interfecerunt, alter prolapsus evasit mortem. Similis est casus ille sicut Virgilius de Hercule casum recitat. Dum enim Hercules hospitaret cum Evandro, boves suos locavit ad armenta. Porro non longe a loco habitabat in quodam antro gigas ingentis staturae, Cacus dictus, filius Vulcani, vomens ore ignes, ibique latrociniis et furtis cunctos turbabat. Hic a specu egressus noctu boves Herculis cauda traxit in antrum, quos dum Hercules diminutos cerneret, nec quorsum errassent posset advertere, invenit vestigia furis de armento ad antrum, adcurrit Hercules, vi illum ex antro eduxit et clavo interemit bovesque reduxit.

Interea processu continuato extra montana venimus in regionem Madian, super littus maris rubri, quamvis adhuc longe essemus ab aquis. Haec regio dicitur Madian, a civitate Madian, quam aedificaverat quidam filius Abrahae de Ketura, dictus Madian, eamque nomini suo dedicavit, sicut habetur Genes. XVII. De illa civitate primi mercatores leguntur Genes. 36. fuisse Madianitae, qui emerunt Joseph. De hac fuit Jethro, primas et princeps Madian, de quo etiam supra

dictum est Fol. 8. b., ad quem Moyses fugit de Aegypto et filiam ejus uxorem assumsit, Exodi II.

Porro in processu venimus de deserti deviis ad regiam, communem et tritam viam, quae ducit de Aegypto sursum in Palaestinam ad Gazaram, a quo juxta Gazarum declinavimus, ut patet supra fol. 28., dum in desertum ingrederemur. Ab eodem namque loco usque huc nullam viam habuimus, sed nocte ac die siderum usi directione ambulavimus, sicut in mari fieri solet. Ultra modum vero laetati fuimus in inventione viae et videbatur nobis, quod in mundum revenissemus. In eo loco via, quae sursum ducit ab Aegypto, dividitur in duas vias: una ducit sursum per littus maris magni ad Palaestinam et inde in Judaeam et Jerusalem, per quam frequenter est descensus et ascensus de terra sancta in Aegyptum et e contrario. Alia ab Aegypto ducit sursum ad littus maris rubri et Madian et Thor, portum maris rubri, de quo dictum est supra fol. 39. b. Per viam ergo communem cum laetitia contra Aegyptum [processimus] et gavisi fuimus, iterum vestigia Domini Jesu invenisse, nam per illam viam Joseph duxit virginem Mariam cum puero Jesu in Aegyptum ex praecepto angeli, Matth. II.

Advesperascente ergo die venimus in desertum Helim, in quo castrametati sunt (b) filii Israel post transitum maris rubri, juxta XII fontes et LXX palmas, ut habetur Exodi 15. Verum a loco fontium declinavimus et etiam a publica strata ad unum milliare italicum et in loco quodam immundo, quem nominabant Dorondon, tentoria fiximus. Currebat enim humus illa plena vermiculis et bestiolis et pediculorum Pharaonis non erat numerus, de quibus supra fol. 27 dixi. Male autem respeximus Calinum pro eo, quod non in loco fontium fecit tentoria figi, sed ipse rationabiliter hoc excusavit dicens, quod ex quo sitibundi essemus et incensi, si circa aquas maneremus, non cessaremus a potu usque ad defectum nostrum. Alia causa, quia juxta aquas sunt paludes et in illis paludibus sunt infiniti diversi generis serpentes, vermes et viperae, ideo circa aquas non expedit morari. Alia causa: Arabes deserti praedones sua tabernacula figunt prope aquas et quandoque noctibus superveniunt ad loco aquosa, et si nos reperirent, nos

turbarent et spoliarent. Alia causa: prope aquas illas est una villa, in qua sunt pessimi Madianitae, qui dum nos ibi tentoria fixisse comperissent, multis modis etiam nocturnis horis nos vexassent. Alia causa, quia via publica est juxta fontes, per quam nocturnis horis transeunt negotiatores et praedones Arabes et Midianitae, a quibus sine vexatione non fuissemus. Cum ergo tentoria fixissemus, descendimus cum asinariis nostris ad locum fontium et palmarum et utres aqua replevimus et amphoras, cum quibus asinarii reascenderunt ad tentoria; nos mansimus in loco illo delectabili et vestibus nudati balneati sumus, quia copiosas aquas, claras et tepidas lavandis corporibus aptas reperimus, juxta quas etiam erant arbusta et virgulta, insuper prope erat villa, in qua multitudo palmarum erat. Tempore, quo filii Israel in loco isto castrametati sunt, erant ibi XII fontes et LXX palmae, nunc vero non sunt praecise XII fontes, sed multae sunt ibi aquarum vomites de clivo, qui undique vomit aquas, nec LXX palmae, sed multo plures; tamen locus idem est.

Propter istas exsuperantes aquarum vomites imaginatione poetica suspicabar aliquam Nympharum celebrem locum hunc reddidisse, cum etiam nomen arabicum loci huic imaginationi assistat: dicitur enim locus Dorindon. Doris autem erat filia Coeli et Vestae, conjux Oceani et mater omnium Nympharum. Cui autem Nymphae hic locus dedicatus sit, ignoro, hoc tamen pro certo scio, quod sanctificatus locus hic fuit sexta mansione filiorum Israel ab exitu de Aegypto, ut habetur Exodi 17. et Numeror. 33. Cum magna ergo recreatione ultra duas horas juxta aquas illas mansimus et ibi bibimus lavimus et a vermibus nos mundavimus. Interea aliquae puellae Madianitae satis formosae cum pecoribus venerunt ad aquas, quae stabant ex alia parte aquarum et mirabantur, respiciebant, ridebant et quodammodo precabantur. Non immemor fui ibi earum petulantia illius scorti Madianitae mulieris, ad quam quidam de filiis Israel ingressus vidente Moyse et omni populo, et de zelo Pinehas, quomodo ambo in locis genitalibus pugione perfodit et quod propter hoc XXIV millia hominum occisa fuerunt in deserto Cethim, Numer. 25. Quapropter earum risus et jocus horror nobis fuit, nec fecimus, ac si risum

earum videremus, (66 a) vix tamen quosdam juvenes milites compescere poteramus, ne eis aliquod signum complacentiae ostenderent. Dum autem diu ibi moraremur, misit Calinus nobis Arabem nuntium, ut ad tentoria descenderemus citius, et erat etiam male contentus de nobis. Descendimus ergo et coenam nostram paratam invenimus et cum magna et insueta laetitia manducavimus. Accidit enim nobis ex potu aquae, ac si de fonte rubro, qui in Aethiopia est, bibissemus, de quo qui bibit, ut dicitur, limphatus efficitur. Nobis autem laetantibus sedebant Sarraceni nostri et Arabes moesti, pallentes, silentes, propter eorum maledictum jejunium. Sed statim sole profundius chaos immerso, quando nos quietem quaesivimus, ipsi vice versa incipiebant insolescere, cantare, ululare, mugire, comedere, bibere, et nobis quasi tota nocte nullam requiem tribuebant et cum ista inquietudine ritum sui jejunii explebant. Nonnumquam surreximus et de tentoriis nostris ad eos cucurrimus et cum minis eis silentium imposuimus; aliquando etiam, quando faciebant subcinericios panes, cum eis mansimus videntes fatuitates eorum.

Iter solitudinis et terror peregrinorum.

Secundo die Octobris mane quidem surreximus, sed tarde recessimus propter trium camelorum perditionem, quos putabant furto ablatos, sed vestigia eorum sequentes invenerunt in deserto in loco pascui. Post ortum solis reducti sunt et ita bestiis oneratis ab Helim recessimus et in publica strata per latissimos campos maris rubri littora descendimus, a tergo autem sequebantur nos quidam cum camelis aliis per viam, quae descendit a Thor, et timuimus, ne forte essent praedones, quia valde velociter ibant nobisque appropinquabant; cum autem circa nos essent, vidimus camelos ornatos et homines curiales magis timuimus. Porro dominus illius Corrobanae erat vir pinguis et decorus et in medium nostrum cum suo dromeda se ingessit iratoque vultu circumspiciens singulos ad Calinum cum indignatione dixit: cur tu, Sarracenus cum sis, ausus es Francos armatos per terram domini Soldani ducere, ut quasi armati procedunt in publica regia strata? Cui Calinus

cum magna reverentia respondit: homines isti peregrini sunt et loca sancta terrarum nostrarum quaerere venerunt et neminem laedere, neminem invadere nullique nocere cupiunt. Audientes autem in Gaza, hoc est, in Jerusalem, quosdam pestilentes homines vagari per desertum, qui passim violare praesumunt salvum conductum domini Soldani, spoliantes et vexantes transeuntes, etiam Cairinos nobiles, robusta mente petierunt a Trutschelmanno licentiam ferendi arma, ut occurrentes turbatores libertatis benignitate domini Soldani eis concessam possent et ipsi turbare et profligare; hac de causa (b) gladiis accincti, arcubus muniti incedunt isti. Hoc audito responso convertit se ad famulos suos et jocundo omine dixit: ecce, isti Franci audaciores sunt Aegyptiis; si Mauri, Sarraceni, Mamalucci illius essent audaciae, dudum fuisset desertum a latronibus et praedonibus purgatum. Sic ergo vir ille optime fuit contentus et per Calinum salutationem amicabilem obtulit eumque de nostro itinere, de patria nostra et aliis conditionibus interrogavit, nos vero per Calinum ab eo quaesivimus, an naves onerariae de India venissent in Thor cum speciebus aromaticis et si species illae ductae essent in Alexandriam. De hoc ideo quaestionem fecimus, quia cum istis speciebus in navibus Alexandrinis in Italiam transfretare sperabamus nos. Statim autem vir mentem nostram intellexit et plenum responsum dedit dicens, quod ante plures dies naves Indianae in Thor venissent et jam actu species aromaticae ducerentur in camelis in Aegyptum ad Cairum et de Cairo per Nilum veherentur Alexandriam ad mare magnum et ibi iam starent naves Alexandrinae de Venetiis et onerarentur ocius recessurae. Hoc cum audivissemus, solliciti facti sumus valde timentes, ne naves ante adventum nostrum in Alexandriam recederent, quia si hoc factum fuisset, in Alexandria hiemare necesse fuisset, quod nobis utique fuisset molestissimum. Sic ergo vir ille velociter nos praecessit, nos vero lente satis cum nostris camelis sequebamur et ab illa hora incepimus esse solliciti et Calino ac camelariis molesti, instigantes eos opportune et importune ad celeriorem processum et ut accelerarent iter.

e periculosissima erratione et deviatione peregrinorum tertiae societatis per solitudinem.

Processimus ergo per arenosos et latissimos campos, per os S. Moyses cum universo populo Israel de Aegypto egre- ens a mari rubro ascendit et hora tempestiva, dum adhuc ltum diei superesset, in quodam loco, dicto Wardachii, be- as exoneraverunt, quod nobis displicuit, quia festinavimus nire Alexandriam. Sed nostri ductores hoc non curabant, ia ante solis occasum dormire et quiescere intendebant, ut r noctem vigilare et insolescere possent juxta ritum sui tilis jejunii. Dum ergo in loco illo tentoria nostra figere llemus, clavi lignei, quibus funes alligabantur, non poterant nere propter tenuem arenam, in quam non firmiter infigeban- r, et cum hoc paucos adhuc palos habuimus, aliis per deser- m amissis. Sedimus ergo in calore solis in arenti arena cum patientia et murmure contra ductores nostros. Porro a loco o vidimus inter nos et mare rubrum cumulos arenarum et nticulos et per medium illorum discrete vidimus mare rubrum videbatur nobis, quod vix per milliare italicum a nobis di- aret. Unus ergo de militibus (67 a) tertiae societatis, in a ego fui, dixit: ut quid hic sedentes in ardore solis tabes- mus et ignavia marcemus? Ecce, ibi est mare rubrum et ltum superest diei; descendamus quaeso ad refrigerandum s et ad deducendum tempus. Hoc dicens nemo sibi respon- t et addidit: non sunt, inquit, fideles socii inter vos, qui deant ad tantillum spatium mecum proficisci pro sua et mea creatione? paratus ego essem inire bellum pro vobis, et nullus lt mecum ire ad balneum? Quid formidatis? quid timetis? mque diceremus sibi, quod Calinus non dimitteret nos, nisi ae duae societates etiam nobiscum descenderent, irrisit et fidelitatem et formidulositatem multis verbis improperavit bis in faciem. Ad haec cum indignatione surreximus omnes tertia societate, in qua sola haec gerebantur et reassumtis inis simul ad mare descendere incepimus. Quod cernens linus clamavit magna voce revocans nos. Similiter Arabes, melarii et asinarii et alii peregrini post nos clamabant, pre- ntes ut maneremus; sed dissimulavimus audire et elongati

sumus ab eis. Eramus autem VII, scilicet dominus Petrus Velsch, miles, qui incitator fuit caeterorum; dominus Heinricus de Schomberg, miles; dominus Caspar Siculi, miles; dominus Sigismundus de Marspach, miles; dominus Johannes Lacinus, archidiaconus; frater Felix, caeterorum servulus; et Johannes, cocus dominorum primae societatis, servus comitis de Solms, qui ignem fecerat pro offa, et dum videret nos descendere, dixit dominis suis, quod eum exspectarent, quia solum vellet se refrigerare et in puncto redire et coenam coquere, putabat enim, sicut nos omnes, quod mare esset ad duo vel tria stadia a nobis. Videns autem Calinus, nos esse obstinatos, et periculum nostrum optime intelligens, convocavit omnes peregrinos et camelarios et Arabes et asinarios, dicens illis: ecce, isti peregrini ad mare descendunt et grandi periculo se exponunt, possibile enim est eos aberrare et a nobis separari, et si hoc contingeret, filii mortis essent; protestor ergo vosque contestor, quod eos non misi nec ire jussi, sed eos revocavi et descensum prohibui, ipsi autem contemserunt audire me. Si ante diem crastinum non revenerint ad nos, tunc dabitis mihi in scriptis, quid fecerim in hac re, ut omnes cognoscant, me fore innocentem ab interitu illorum peregrinorum. Respondere multis me oportebit pro eis, et forte, si auditum fuerit in Cairo, domino Soldano praesentabor ad respondendum et Trutschelmannus interrogabit pro eis, qui vidit eos in Jerusalem, et Naydon, praefectus Jerosolymitanus, et Calinus major et omnes negligentiae me arguent. Ideo in scriptis testimonium a vobis inquiram, si hac nocte non revenerint. Alia enim vice duos peregrinos etiam sic perdidi, propter quos in magnam tribulationem deveni et ingentes vexationes sustinui absque omni culpa mea. His auditis promiserunt omnes, se facturos hoc, quod postulabat. Nos autem laeti descendimus et in arenarum cumulos venimus, ita, quod eos amplius videre non poteramus. Continuato ergo processu in longum, mare quidem ante nos vidimus, sed attingere oram ejus nimis differebatur; cum enim ad spatium trium horarum descendissemus cum festinantia, vidimus, nobis diem deficere, et quando jam aestimavimus, nos in limbo maris esse, apparuit aliud interstitium longum inter nos et mare et illo percurso aliud restabat; unde

dam miles dixit ad me: ecce, frater, manifeste deludimur
iabolo, mare effugere nos non posset, sed hoc, quod (b)
emus, fugit a nobis, ideo mare non est, sed diabolus trans-
matus in mare. Cum autem sol occidisset, appropinquavimus
ri et dum de limbo descendere vellemus ad aquam, venimus
lutum, in quod asini usque ad ventres cadebant. Descen-
aus ergo cum maximo incommodo, quia etiam incidimus et
ictis bestiis in aridam eas ad spineta colligavimus. Intra-
aus ergo lutum et cum labore usque in aquam devenimus,
i parvum et triste solatium habuimus, nec vestes deposuimus,
l breviter manus lavimus et nobis ipsis indignati fuimus,
od tanto periculo sine utilitate nos exposuimus. Lotis ergo
nibus quasdam monstruosas ostrearum testas accepimus de
ore in testimonium, quod ad mare rubrum fuissemus, et per
um ad asinos reascendimus, non loti, sed sordidi, non re-
ɣerati, sed anxiati, non laeti, sed moesti, et ita a mari reces-
ius. Erat autem iam nox ita, ut nec vestigia asinorum
idem nostrorum videre quovis modo possemus, unde, cum
nes ignoraremus, per quam viam vel ad quam plagam ten-
e magis deberemus, et cum de hoc collitigatio fieret, aliqui
peregrinis descenderunt de asinis et vestigia asinorum
nibus quaeritabant in solo, sed nihil certi propter tenebras
enire poterant et in omnimoda dubitatione stetimus igno-
tes, ad quam partem facies nostras convertere deberemus.
timus ergo et nos ipsos mature consuluimus, quia multiplici
do mortem nobis imminere sensimus. Quidam consulebant,
od non amplius procederemus, sed ibi fixi usque ad diem
neremus, quia possemus sic in tenebris pericula nobis ignota
idere, nec esset possibile ad socios venire in tam confusa
tudine, in mane autem luce habita possemus eos sequi.
contrario alii dicebant, hoc consilium esse nobis mortiferum,
a certum nobis erat, quod transacta media nocte Calinus
n exercitu se de loco movere volebat et si nos usque ad
em maneremus, illo toto die illos apprehendere non posse-
s, et ita necesse esset nos deficere et bestias, quia ad minus
bus diebus et noctibus non possemus habere alimenta, ni-
enim nobiscum susceperamus de necessariis vitae, nec
am nec panem, et cum hoc illa die praeterita paene nihil

manducavimus nec bibimus. Sic ergo alii et major pars judicabant esse procedendum, sed ad quam plagam et partem penitus ignorabant, nam densae tenebrae erant, ita ut montes ante nos penitus videre non possemus nec vestigia et vix mare a tergo, quod tamen naturaliter in tenebris quodam splendore fulget. Vagabamur ergo per incertum, nunc ad dextram, nunc ad sinistram, nunc per directum, nunc per indirectum, nunc sequebamur opinionem illius, post paululum reclamante alio eundem sequebamur, aliquando cum silentio omnes substitimus auscultantes, an sonum aliquem colloquentium aut clamantium audiremus, sed nihil audientes nos ipsi magnis vocibus clamavimus et in hoc nec latrones nec praedones timuimus, quia optavimus hominem ad nos venire, a quo aliquid discere possemus. Interea vidimus ante nos rutilare ignem, exsurgere splendorem et laeti fuimus aestimantes, socios nostros ignem accendisse propter nos, et dum laeti splendorem sequeremur, delusos nos esse statim conspeximus, quia erat quaedam stella perlucida, quae oriens radios suos a cacumine montis emisit. Porro dominus Heinricus de Schomberg, vir cogitativus et prudens, tendebat contra quandam stellam et ad sui sequelam nos invitabat dicens, se certum invenisse in coelo tramitem in nostrum exercitum; sed unde hoc habuerit, nescio, hoc tamen scio, si cum secuti fuissemus, directe in exercitum venissemus. Verum cum per aliquod spatium eum secuti fuissemus, dicebat quidam, quod nimis dexteram peteret et ita dimissa (68a) directione domini Heinrici alium secuti sumus ad sinistram. Inter haec nonnumquam ad litigia devenimus, illo volente huc, altero illuc. Duas res ego in hac tribulatione aeque timui, sicut ipsam tribulationem: una, quod duo principales nostri milites contra se insurgerent et gladios eximerent, quia scivi eos vecordes ad invicem, et ideo cum industria, quando disceptabant de via, posui me cum asino in medium eorum, ne propinqui sibi citius moverentur. Altera: quod, quia diversae opinionis eramus de plaga, timui, quod aliquis suum conceptum sequeretur et a nobis divideretur et periret, unde magna cura vigilavi, ut litigantes delinirem et evagantes revocarem. Dixi aliquotiens sociis tristibus, non timeatis tantum, non irascamini ad invicem et non separemini ab invicem, his enim duobus

servatis non poterimus bene perire. Processimus ergo per incertum et timere iucepimus, ne forte iam eos praeterissemus: videbatur enim nobis, quod longiorem viam ascendendo fecissemus, quam descendendo; erat autem iam nox media et de hoc omnes convenimus, ut in aliquo eminentiori loco parum quiesceremus. Eramus autem juxta monticulos arenosos duros, tamen quos in descensu non meminimus nos vidisse, cum tamen essent satis alti. Ad unum ergo monticulum ascendimus, circumspicientes, auscultantes, clamantes et ejulantes eramus, sed non erat vox, neque sensus; colligavimus ergo asellos et super terram nos locavimus, potius ad respirandum et pausandum, quam ad dormiendum, non enim erat somnus in tanta anxietate constitutis, quia filii mortis eramus et illa infelix spes nobis erat, quod forte ante omnimodam nostram defectionem incideremus manus Arabum aut Madianitarum aut Aegyptiorum, quibus sponte nos ipsos captivos tradere vellemus, quia dicente Jeremia Thren. IV.: Melius est captivis aut gladio occisis, quam interfectis fame. Finalem tamen fiduciam ad Deum, ad virginem gloriosam Mariam et ad sanctam Catharinam habuimus, quod non ita misere in deserto perire nos permitterent. Hortabamur autem nos invicem, ne sopore forte irruente opprimeremur, sed ita quiesceremus, ut tamen aures apertas haberemus, ut si forte prope exercitum essemus, quod in oneratione camelorum, bestiarum et hominum clamores audiremus, solent enim in oneratione cameli rugire et homines clamare et cantare, et istum tumultum speravimus nos audire.

Porro jacentibus cunctis et silentibus manere in illo durissimo lecto non potui, sed circuivi et cursum beatae virginis legi et ejus psalterium silentio, motu labiorum, decantavi; in circumspiciendo vidi in valle in pede montis vasti quandam umbram et cogitavi, quod esset virgultum aliquod, et descendi tollere, ut darem asello meo, qui mecum jejunabat. Sed dum venissem ad rem, non erat virgultum, sed aridum spinetum; ab illo ergo loco ascendi in collem oppositum monticulo nostro, ut si forte ibi aliquid viderem vel audirem, et in isto colle transivi nunc huc nunc illuc, sicut anxii et phantasiis praeoccupati sine arbitrio transferunt se de loco

ad locum, post moram volui redire ad socios et monticulum oppositum ascendi, putans, stationem nostram in eo consistere, eos non inveni, ad alium de hinc cucurri monticulum, sed minime eos reperi. Steti ergo anxius et in noctem ipsam impegi, dicens: o nox nociva, a nocendo bene nominata, tu vere es terrae sine certo patre filia, solum ex oppositione terrae causata et conjux terribilis Erebi, Phaneteque pastoris utilissimi inimica et per consequens juxta (b) vulgare verbum nulli amica, nisi nocere volentibus, nam qui male agit, odit lucem, ad teque solis inimicam confugit, unde, ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones. Nam obsequio malefico, quod nox Jovi praestitit volenti ad Alcmenam foeminam cupitam accedere, commeruit quadrigam, in qua terram perpetuo circuitu ambit et robur domandi deos accepit, quia ea praesente magnanimos, qui ingentia pectore versant, domat et opprimit et in lucem usque coercet. Cumque noctis increpationem finivissem, in me ipsum fremui, quod infidelissimae nocti me credidi, cum ambulantibus et navigantibus insidiosissima sit. Confugi ergo ad proprium opus angustiatae animae et anxii spiritus, quod est clamare, sicut dicitur Baruch 3.: Anima in angustiis et spiritus anxius clamat, et extuli vocem ad militem strenuiorem, nobiliorem et fideliorem mihique magis familiarem, eumque tantum cognomine invocavi dicens: Schomberg; qui mox me audito surrexit et a longe positus cum aliis reclamavit ingeminans: Felix, Felix! Secutus ergo respondentis vocem usque in tertium monticulum; nec tamen eos inveni. Iterum ergo clamavi sic: ho, ho, et: vos ubi inveniam? Colloquimini precor, quousque perveniam ad vos, quia tenebrae et silentium me deducunt. Sic ergo colloquebamur, quousque ad eos veni, qui dure increpabant me pro incerta et insecura evagatione, eram enim multo remotior factus ab eis, quam aestimaveram. Cumque ad illos venissem, ii, qui quieverant, resederunt. Jam autem noctis medium transierat et tempus aderat, quo camelarii bestias onerare incipere solebant, sedimus ergo et cum magno silentio auditum praebuimus, desiderantes rugitum camelorum audire. Dum autem aliquamdiu sic sedissemus, ecce camelorum vox optata insonare coepit et rugitus eorum extolli. Quo audito, quantum

dium habuerimus, potest enarrare ille, qui in mortis peri-
› constitutus subito liberatorem audit adesse; super omnem
sicum sonum camelorum stridor ille terribilis dulcior fuit,
equatus profecto virtuosissimo cantui Orphei, quem lyra
init. Valuit enim, ut dicunt poetae, lyra canens montes
are ut arietes, silvarum arbores chorizare, flumina sistere,
is mites facere. Insuper Euridycen speciosissimam, pru-
item, divitem, nobilem, lyrae cantu in sui amorem traxit,
e dum mortua ducta esset ad inferos, secutus eam in
athrum cum lyra ibi canens ministros inferni in sui pieta-
deflexit, damnatis oblivionem poenarum fecit, tenebras
tari repulit et Euridycen dilectam rehabere meruit. Sic
irum rugitus cameli factus est nobis in illa hora lyra Or-
i. Exultantibus enim nobis videbantur nobis montes saltare,
ores chorizare, flumina tribulationem sistere et ad camelo-
n stridorem de interitu eductos nos esse laetabamur. Sta-
enim sine mora surreximus et ascensis asinis per clivum
ntis non modo descendimus, sed cecidimus et incidentes in
es eas transvolavimus usque in planum rugitum bestiarum
uentes. Verum novus timor nobis advenit, ne forte esset
obana aliena nobis, Arabum aut Madianitarum, et in manus
ersariorum incideremus. Sed dum propinqui essemus,
livimus voces nobis domesticas et ita cum laude divini
minis ingressi exercitum sumus, duos autem camelos aqua
pane oneratos cum duobus Arabibus reperimus ad nos quae-
idos, (**69 a**) quos confratres nostri mittere pro nobis ordi-
verant, ignem autem per noctem in exercitu facere nole-
t, ut illa nocte cruciaremur pro eo, quod omnibus recla-
ntibus et revocantibus obtemperare noluimus. Dure autem
linus nos recepit et male contentum esse verbis et moribus
endit et historiam nobis retulit, quomodo quadam vice
am juxta hunc locum duo peregrini ad mare occulte des-
derint et sicut nos oberraverint et tribus diebus hinc et
le per desertum cucurrerunt, post quos reperti a Madianitis
erunt privati ratione et ita dementes ad peregrinos socios,
i iam in Aegypto erant, sunt reducti et in paucis diebus
functi. Non dubito, si divina pietate non revenissemus ad
cios, quin in maximas miserias veuissemus et caeteri

peregrini illum militem, qui eos movit, dilacerassent. Quamdiu vixi in hoc mundo, tristiorem noctem non habui. Contigit profecto nobis, sicut sociis Ulyssis, quos Euryalus consocius omnes in periculum submersionis induxit, cum tamen praedictum eis fuerit non navigandum.

Iter ad mare rubrum et gaudium peregrinorum.

Tertia die ante plenam lucem more solito de Wardachii recessimus per lata et arenosa campestria et, antequam lux plena esset, duas turmas camelorum obvias habuimus, in quarum medium incidissemus, si non ad socios venissemus. Et cum iam clara dies esset, venimus in Sur desertum et satis propinqui mari fuimus. In hoc desertum venerunt filii Israel primum transito mari rubro, sicut dicitur Exodi 16. Sed et Agar, ancilla Sarae, dum fugeret a facie ejus et redire vellet in Aegyptum, unde nata fuit, in hoc deserto solivaga inventa est ab angelo Domini et jussa redire ad Saram dominam suam et se ei humiliare, et praenunciavit ei multa futura de puero, quem in utero gestabat, de Ismaele, qui pater est omnium Ismaelitarum, Agarenorum, Sarracenorum et populorum de monte Seir.

Rogabant ergo domini peregrini, qui ad mare rubrum non fuerant, Calinum, ut possent ad id descendere, praecipue cum in illo loco nobis propinquo dicantur filii Israel de mari egressi fuisse in desertum Sur, ut dicitur Exodi 17. Assignavit ergo Calinus peregrinis famulos Arabes ductores et descendimus omnes cum eis ad mare rubrum. Quamvis enim peregrini tertiae societatis ad mare fuissent, ut dictum est, tamen quia nullam ibi experientiam maris acceperant, nec propter turbationem mare considerare poterant, ideo iterum cum aliis descendebant, cameli autem per viam regiam procedebant. Fecimus ergo viam unius horae et ad aquam maris devenimus et, quamvis adhuc mane esset, tamen vestibus nos nudavimus et in mari rubro balneati et baptizati sumus, in hoc inquam mari, in quo secundum apostolum 1. Cor. 9. omnes patres nostri in Moyse baptizati sunt. Ibi enim filii *Israel per* medium siccum ambulaverunt ab una parte maris

ad aliam mari mirabiliter stante ab utraque parte erecto. Non enim latum est in eo loco, sed habet forte unum miliare theutonicum usque in aliam partem Phyariroth, profundissimum tamen est et inquietum. Dicit Orosius, quod in parte opposita nobis, Phyariroth, ubi Moses virga mare percussit et eo remoto filii Israel ingressi sunt et Pharao cum curribus et equitibus secutus, ibi exstabant adhuc certissima monumenta gestorum, nam tractus curruum et orbitae rotarum non solum in littore, sed etiam in profundo, quousque visus admittitur, pervidetur et videntur in fundo maris foveae profundissimae, in quas Aegyptii descenderunt quasi plumbum. Ex quo facto superstites Aegyptii non solum Deum non cognoverunt, sed causam inde idololatrandi sumserunt, quia dicit Apollonius, ut habetur in vitis patrum, quod Aegyptii, qui cum Pharaone non fuerunt, unusquisque illud, in quo occupabatur in hora submersionis caeterorum, hoc sibi deum esse putabat eique latriam exhibebat, dicens: hoc olus, hoc lignum, hic panis, haec bestia etc. hodie deus meus fuit, qui custodivit me a submersione (b) cum Pharaone. Et ita super omnes mundi terras fuerunt idola in terra Aegypti multiplicata. In parte vero nostra, ubi balneabamur, fuerunt ejecta Aegyptiorum cadavera, a quibus ibi filii Israel detrahebant spolia. Invenimus autem in maris littoribus monstruosas testas et ostreas diversorum colorum et formarum, et album corallum in copia, sed rubeum, quamvis in eo crescat, ibi non vidimus. Dicunt tamen aliqui, quod corallum semper sit album in mari crescens et molle, sed extractum et exsiccatum rubei coloris efficitur, sicut patet de corallo maris Siculi.

Hoc mare rubrum mare vocatum est eo, quod sit roseis undis infectum, non tamen talem naturam habet, qualem videtur ostendere, sed vicinis littoribus vitiatur gurges atque inficitur, quia omnis terra, quae circumstat pelago, rubra est et sanguineo colore permixta. Ergo cum terra hanc habeat naturam, fluctibus subinde diluitur et quidquid adhaesum est, in colorem cadit. Ab hoc etiam in his littoribus gemmae rubrae inveniuntur et testae ostrearum rubrae et lignum rubrum in insulis ejus crescit, bresilium. Gustavimus etiam aquas illas et comparationem salsedinis ejus ad salsedinem

maris nostri mediterranei fecimus; est autem multo salsius et amarius, quam mare nostrum, quamvis tam illud quam aliud ex uno fonte maris Oceani effluant, qui salsissimus est. Salsedinis autem illius causas alias ponunt naturales philosophi, alias theologi, alias poetae antiqui. Causae naturales et theologicales patent P. 1. fol. 43. Causa autem poeticalis est huc reservata. Ponebant enim quidam vetustissimi poetarum, Demogorgon quendam, terribilissimum gigantem et maximum terrae filium, de quo multa mira recitant et phantastica, esse inter deos humanos primum omnium, quem etiam antiqui errantes dicere audebant esse primam causam rerum omnium et creatorem, ut patet in diversis veterum carminibus. De hoc ergo Demogorgone ad propositum talem recitant historiam, quae supportat, ipsum fuisse ante lucem firmamenti et tamen terram fuisse, sed opertam caligine. Hic ergo Demogorgon continua caligine affectus taedio Acroceraunios montes conscendit et ex eis ingentem, maximam evulsit molem ignitam eamque primo rotundavit forcipibus, deinde eam in Caucaso monte solidavit malleo, post haec eam ultra Reprobanam detulit et globum illum lucidum sexies undis immersit et totidem eam per auras circumrotavit et hoc ideo, ne ulla umquam posset diminui aut aevi labefactari rubigine et ut agilis ferretur undique; qui confestim se tollens in altum domum intravit poli patrisque sedem omnem complevit fulgore. Ex immersionibus autem aquae ante dulces amaritudinem sumserunt salsedinis et aer ad percipiendos radios lucis ex rotationibus arctus factus est. Haec de illo. Quamvis autem haec et similia videantur esse phantastica in superficie, in medulla tamen sunt veritatibus naturalibus et theologicis plena, ut patet per Jobait [?] in libris de generatione deorum gentilium, in quibus medullam de dictis poetarum elicit dulcissimam.

Salsedo illa maris, ut dicunt nautae, est solum superficiei aquae immixta et infra decem passus dulcis invenitur. Si ita sit, ego experientia non accepi. Mare hoc rubrum temporibus antiquissimis dicebatur mare Erythraeum, ab Erythraeo rege, qui fuit filius Persei et Andromedae et regnavit in regione juxta hoc mare et in insulis ejus et fuit maximae autoritatis, adeo, ut morienti in quadam maris rubri insula caeteris

nosiore insigne plurimum sepulchrum construxerint eumque
'O a) loco dei colerent et ab eo rubrum mare denominarent
ythraeum, quo nomine adhuc Graeci hoc mare vocant.
ebraei autem nominant Jam Suph, ut Jeronymus dicit in
istola ad Fabiolam de XII mansionibus.

Igitur dum amplius quam per horae spatium juxta hoc
are deambulassemus, asinos ascendimus et cum multa festi-
ntia ad viam regiam post camelos cucurrimus bestiis, longo
im spatio nos praecesserant, et anxii festinantes, ne etiam
pareremur. Videntes autem Arabes, qui nobiscum erant, no-
rum conatum ad festinum processum, iuverunt nos minari
inos lanceis suis a tergo asinos pungentes, quod asini sen-
ntes velocissimo cursu sicut equi fugiebant Arabum stimu-
tionem, quibus tamen Arabes concurrebant. Numquam vidi
mines tam velociter currentes, sicut isti currunt, habent
im crura macra et dura, nec sunt calceati nec caligati, nec
ncti, manducant panem artum et aquam brevem bibunt, ideo
currendo non sustinent pulmonis molestiam aut pectoris
essuras aut anhelitus abbreviationem, quae omnia nos ha-
mus, puta, propter cottidianam repletionem. Currunt enim
ut capreae, quae morantur in silvis, sicut Asahel, 2. Reg.
, nec equo veloci vectus posset eos effugere, quia cursum
um in longum possunt continuare et hoc agunt cum hilaritate
laetitia. Numquam in tota illa peregrinatione in tantum
ium resolutus fui, sicut in ascensu a mari rubro ad viam
giam, quia Arabes jocabantur nobiscum et praecurrebant,
ltabant et cum lanceis dimicabant. Fuit tamen inter eos
ienus unus Arabs, quem prius non videram, qui miras truf-
s et fatuitates faciebat, adeo, quod aliquotiens desperavi
e posse in asino manere prae risu. Continuavimus autem
rsum illum cum truffis Arabum ad duo milliaria theutonica.
im autem ad regiam viam venissemus, descendimus in quam-
m aliam latam planitiem, in qua vidimus accumbere juxta
ntes ibi manantes camelos nostros cum camelariis. Descen-
mus ergo et juxta fontes illos pausavimus et camelos et
inos adaquavimus, abominabilis autem fuit nobis illa aqua,
ia erat aliquantulum salsa et cum hoc erat calida facta a
le et colore rubra. Campus ille et desertum nominatur

Marath, Exodi XV. et Num. XXXIII. Nam dum filii Israel transiissent mare et Aegyptios ad littus projectos spoliassent, quaesiverunt aquas, nec invenerunt. Descenderunt autem forte aliquo monstrante et tertia die venerunt huc propter aquam, non enim erat de via illorum, sed deviaverunt propter potum, sicut frequenter fieri solet in deserto. Cumque huc venissent, non poterant bibere aquas de Marath, eo, quod essent amarae, ut habetur Exodi XV. Et murmuravit populus contra Moysen, dicens: quid bibemus? At ille clamavit ad Dominum et ostendit ei Dominus lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versae sunt. De hoc etiam fit mentio Judith 5. Dicunt doctores, quod fuerit lignum valde amarum, ut miraculum celebrius esset, eo, quod ex immissione ligni amari dulcoratae sunt et factae potabiles. Contrarium autem videtur per id Ecclesiastici 38.: Nonne a ligno indulcorata est aqua? etc. Nam ibi loquitur Scriptura de naturalibus proprietatibus terrae nascentium. Credo autem, quod dulcedo in his aquis per ligni immissionem non manserit, nisi usque (b) ad populi Israel recessum et tunc in pristinam amaritiem redierint. Sunt tamen ita temperate salsae illae aquae, quod bestiae possunt eas bibere et quidam homines, sed non communiter omnes. Totus campus ille est paludosus et plenus aquae et erumpentes decurrunt ad mare rubrum et multi aestimant, Jordanem a mari mortuo usque huc in subterraneis meatibus decurrere et hic ebullire, ut dixi P. 1. fol. 199 A. Multa phantasiantur Arabes de his fontibus. Dicunt enim, quod oves ex eis bibentes concipiant rubeas oviculas, sicut legitur de fonte Mella dicto in esciato, ex quo cum ovis bibit, nigrum foetum concipit et parit. Insuper diffamant hos fontes, dicentes, aquas potatas bibentibus implicare morbum venereum, ita, ut effoeminentur potantes. Cum ergo adaquati essemus, rursum camelos oneravimus et de Marath recessimus descendentes per littus maris rubri per latissimos campos arenosos. In occasu autem solis in locum venimus, quem Arabes nominabant Hanada, in quo fiximus tentoria, vix autem propter regionis sterilitatem reperimus ibi arida arbustula, ut aliquid calidum et coctum haberemus.

Notanda pro intellectu Scripturae.

Quarta die, quae est beati Francisci confessoris, mane ante lucem ab Hanada recessimus descendentes per latissimos et aridissimos campos super mare rubrum, post longum autem et taediosum descensum venimus ad quaedam montana, ad quorum radices mare rubrum linguam extendit ibique finem facit, et circa illum maris terminum est etiam unus portus, ad quem naves applicant. In illa hora absolutus fui a magno dubio, quod in me habui per totum iter. Certus enim fui, nos venturos de deserto in terram Aegypti, sed quomodo per mare rubrum essemus transituri, cogitare non potui. Putavi enim, quod mare rubrum continuaretur mari mediterraneo, ex quo filii Israel mari transito in desertum venerint, nec Christianis aliam viam esse a terra sancta et de monte Synai, nisi per brachium maris rubri, per quod exierunt filii Israel de terra Aegypti, nec posset aliter fieri, si mare rubrum cum mari mediterraneo esset junctum, sicut putabam. Sed mirabar, si non potest esse egressio in Aegyptum, nisi per mare rubrum, quomodo est, quod Scriptura sacra nihil loquitur de hoc, cum multi legantur descendisse de sancta terra in Aegyptum et ascendisse, nec fit mentio de mari rubro, nisi quando filii Israel egrediebantur? Et si alia via potest de Aegypto transiri ad montem Synai, quare filii Israel traducti fuerunt per mare insuetum iter, et non per terrae stratum commune? Hoc dubium hodie experientia solvit mihi, nam mare rubrum non condependet mari mediterraneo, sed magnum spatium, multa montana intersecant et inter utrumque via communis est a terra sancta in Aegyptum sine transitu arcus maris, et illi, qui de Aegypto ascendere volunt ad montem Synai, transeunt hoc medium et ad litus maris rubri adscendunt sine transnavigatione maris. Si autem mare rubrum non esset, tunc in terra Aegypti ascenderent usque ad oppositum montis Synai et multo propinquiorem viam haberent quam sic gyrando caput maris. Eduxit ergo Dominus filios Israel de Aegypto propinquissima via contra montem Synai per brachium maris quasi ex opposito montis Synai et pepercit populo, ne circuitus facerent, sed citius ad montem Dei venirent et ut

mirabilia sua, potentiam suam ostenderet et inimicos populi Dei submergeret (71 a). Si autem Dominus statim populum Israel ad terram sanctam ducere voluisset, tunc alia via, per medium spatium utriusque maris propinquior fuisset in Palaestinam, sed hoc Dominus noluit. Causa habetur Exodi XIV. et supra Fol. 26. et ibi vide Nicol. Lyram et magistrum in Speculo historiali.

Porro in loco et in montanis, ubi finitur mare rubrum, vidimus stupenda opera antiquorum regum Aegypti, qui conati sunt mare rubrum deducere usque in Nilum, quapropter montes Euripi in capite maris inceperant perfodere et colles dividere, rupes, saxa et petras per medium scindere, et fecerunt canale et alveum in civitate Arsinoe, quae et Cleopatridis dicitur. Hanc vero fossam primum Sesostris rex Aegypti ante res Trojanas opere sumtuoso incidit, quam post Darius rex Persarum aggressus imperfectam reliquit, post quem Ptolomaeus secundus summa arte perfecit opus, ita tamen, ut praeclusa esset fossa et non nisi sibi aperiebatur. Per hoc autem intendebant antiqui illi copulare orientem et occidentem, quia Nilus profluit in mare mediterraneum, in quod, dum mare rubrum ingrederetur, per eum fluvium posset fieri navigatio a mari mediterraneo et occidentali oceano in mare rubrum, in sinum arabicum et persicum et barbaricum usque in indicum mare in orientem; et ita naves de India, de Persia, de Arabia, de Media et de universis regnis orientis possent libere venire in Graeciam, Italiam, in Franciam, in Hiberniam, Angliam et in Germaniam, cum alias naves orientalium regionum non amplius, quam usque ad terminum maris rubri, ubi Arabia deserta et Aegyptus se contingunt, procedere possunt, nec naves occidentalium regionum venire ultra possunt quam in Alexandriam, quae est terminus Africae et Asiae, quamvis rex quidam Hispaniae conatus sit aevo nostro perquirere vias deveniendi ab oceano occidentali, de mari scilicet exteriori, quod est ultra fretum Herculeum, in oceanum orientalem et in mare indicum, sed in vanum conatus est, reperisse tamen dicitur quasdam prius incognitas insulas pretiosos. In hoc autem, quod Ptolomaei Aegypti reges conglutinare conabantur orientem et occidentem, duo intendebant, primum, ut

dominari possent in utraque, tamquam medii; secundo, ut negotiationibus mundi esset via ubique negotiandi, et ipsi Aegyptii telonia et partes de universis acciperent, cum non esset via, nisi per eos. Et profecto, res magnifica fuisset, si opus perfecissent. Nam de Venetiis, imo de Flandria et Hibernia navigassent in Aegyptum et per Nilum ascendissent in arabicum sinum et devenissent in cinnamomi regionem et usque in Indiam opulentissimam devenissent, de qua dicunt inter alia miranda, quod uno anno habeat duas aestates et duas hiemes et aureos montes, reales non phantasticos, et sint in ea XLIV regiones. Sic per mare indicum via fuisset occidentalibus in Persidem, Parthiam, Mediam, in Arabiam felicem, in Saba et Chaldaeam, et populis orientalibus patuisset via etiam ad nos et per hoc opus tres mundi principales partes, scilicet Asia et Africa cum Europa junctae fuissent.

His allecti Aegypti Ptolomaei instantia magna conabantur promontoria scopulosa dividere ad inducendum mare induti Herculea virtute, qui traditione vetustissima dicitur montem perpetuo jugo junctum continentem oceanum divisisse et duos montes (b), Abilam et Calpem, ex uno fecisse, per quorum medium mare mediterraneum, quod nondum erat in terris, immisit, ut patet supra fol. 36.

In hoc Aegyptiorum conatu, si habuissent Herculem cooperatorem et Titan cum filiis suis, qui bellum contra Jovem et caeteros deos moventes conabantur eis coelum eripere et ideo dicuntur montes montibus superposuisse, ut sibi viam in coelum sternerent; si tales montium transpositores habuissent, facillime mare Aegypto induxissent. Laborantibus igitur Aegyptiis in praefato opere convenerunt sapientes et magi Aegyptiorum et de opere contulerunt, consulentes super ingenti negotio inchoato, an utile et expediens fieret? Et inventa veritate regi Ptolomaeo omnibus modis suadebant, cessandum ab opere, imo totis conatibus Aegyptum universam concurrere ad obsistendum et resistendum volenti mare inducere, tanquam perniciosissimo terrae Aegypti inimico. Nam ex concursu duorum illorum marium tota Aegyptus absorberetur et marinis aquis obrueretur. Scimus enim, inquiunt, freti furores stabiles non esse, sed ubi locum exeundi invenerit, furiose erumpit

et omnia obruit. Dato autem, quod in alveo Nili maneret, Nili aquas dulces et sanas, quibus tota irrigatur Aegyptus et potatur, cum alii fontes non sint, corrumperet, inficeret et amaras redderet, impotabiles, steriles et inutiles. Sublato autem Nili servitio et utilitate, quomodo Aegyptus stabit? Inhabitabilis necesse erit, cum numquam senserit coeli clementiam sibi irrorantis et instillantis aquas, sicut aliis mundi regionibus impertitur. Insuper praeter hoc, quod scimus pro vero, per hoc opus Aegyptum desolari timemus terris procul a nobis existentibus; dum enim intuemur pelagi oceani pergrande corpus et incomprehensibile monstrum, praeruptos aquarum in coelum montes earumque atras opacitate speluncas: horridas et indomitas vires furentium et frementium aquarum si extra limen suum evocari modico motu contigerit, gravissima mox moles sequetur et primo insulis amborum marium obrutis et demersis, Persas, Medos et Arabes cum Aegyptiis aqua involvet et omnes terras in ora maris utriusque absorbet unda, nec poterit evadere Italia intemperatos accursus et paludes Venetianae inundatione aquarum oporientur, nec status maris erit et fluctus non cessabit, quousque Alpium valles anteriores impleverit et usque ad radices excelsiorum Alpium pervenerit, sicut ante aevum nostrum fuisse signa in montibus hodie monstrant, de quo modicum habetur P. 1. Fol. 30. A.

His rex Ptolomaeus auditis et intellecta veritate ab opere incepto destitit, perpetua tamen signa suae magnanimitatis in montibus illis et collibus dereliquit. Et profecto, si consiliarii manifesta ratione suos conatus non compressissent, in finem licet non intentum opus deduxisset, nec multum difficile fuit, cum spatium inter Nilum et mare rubrum vix habeat milliaria theutonica sex.

Ecce, lector, quantam evagationem nunc a proposito peregrinationis feci, gyrando paene universum mundum, occasione scissorum montium et rupium hic ante oculos nostros! Dum ergo diutius mirantes juxta maris terminum stetissemus, tandem progressi sumus (72 a) et mare rubrum posttergavimus et descendimus per arenosa et latissima campestria.

e Sarracenorum peregrinatione in Mecham civitatem et stulto eorum ritu in templo Machometi.

In campestribus illis obviaverunt nobis passim illo die ultae hominum turmae cum camelis oneratis, cum asinis equis et cum pretioso apparatu; in una enim corobana ant plus quam quingenti cameli necessaria portantes pro ultis hominibus utriusque sexus, qui comitabantur, et erant mines splendidi, divites Sarraceni, euntes in peregrinatione l suum sanctum Machometum maledictum in Mecham: si- iidem in Alchorano jubentur cultores Machomet ire in Mecham mel singulos annos ad dei domum, quae ibi est, et ibi ju- ntur adorare, eamque in consutilibus tegumentis circuire et pides per media femora retro pro lapidando diabolo jacere. anc domum dicunt Sarraceni Adam, cum de paradiso exu- sset, domino exstruxisse et omnibus filiis suis usque ad raham locum orationis fuisse; Abraham autem eam instau- vit et renovavit atque in ea vota fovens sacrificia obtulit, am et filio suo Ismael post mortem reliquit, eique et omni- s filiis ejus per multa annorum curricula, donec Machomet tus est, orandi locus permansit: quo nato Deus eam sibi nctisque generationibus et sequentibus haereditariam pro- sit. Ecce, quam astuta et industriosa seductoria; omnia im jam dicta de illa domo non habent ex aliqua scriptura ctoritatem et robur, sed quasi commentum quoddam fiuxere, tea enim, quam Machomet legem suam praedicasset, idolis na erat domus illa. Hic ergo, precor frater humane, gra- m siste et ego tibi aperte monstrabo, qualis illa domus us exstiterit et quid ibi fuerit sacrum et cur illuc ire et, ae dicta sunt, Machomet facere jusserit? Duo filii Loth, Am- n scilicet et Moab, hanc domum honorabant ibique duo lebant idola, unum ex albo factum marmore, quod Mercu- m, alterum ex nigro, quod Chamos appellabant; et istud idem ex nigro lapide in honorem Saturni, alterum ex albo Martis honorem venerahantur et bis in anno ad haec idola oranda eorum ascendebant cultores; ad Martem quidem, ando sol intrat primum arietis gradum, quoniam aries nor est Martis, in cujus discessu, ut mos erat, lapides

jacebantur. Ad Saturnum vero, quando sol primum gradum librae ingrediebatur, quia libra honor erat Saturni, sicque nudi ac tonsis capitibus thurificabant. Arabes quoque cum Ammonitis et Moabitis haec idola adorabant. Longissima post tempora veniens Machomet pristinam gentis consuetudinem volens tollere quasi mutato quodammodo more inconsutis opertos tegumentis domum circuire permisit, sed ne videretur idolis sacrificare praecipere, Saturni simulacrum in pariete in angulo domus constituit, cujus ne appareret facies, dorsum tantum extra posuit, idolum vero Martis, quia undique erat sculptum, subtus terram misit lapidemque superposuit, hominibus autem, qui ibi ad orandum conveniunt, lapides istos osculari praecepit et humiliatis tonsisque capitibus inter crura lapides retro jactare, qui et dorsa denudabant, quod est signum pristinae legis, et ad effugandum daemones se hoc modo lapides jacere dicunt, quos clam in eo ritu potius venerantur. Et haec est illa praeclara Machometi industria, imo malitia, ut cum a caeterorum cultu idolorum suos inhibuerit, istud tamen in honorem Veneris apud Meccham suam fieri permisit, quin etiam (b) praecepit, ne ipsam dominam suam Venerem, in qua se potentissimum jactitabat, penitus relinqueret sine honore. Demum eo infelici morte defuncto successor ejus Abubecr in templo praedicto sumtuosam ei paravit sepulturam, in sarcophago ferreo ipsum locans inter magnetes, ut dictum est supra fol. 50.

Peregrinantur ergo ad Meccham Sarraceni, non tantum ut praeceptum Machometi impleant, sed plures veniunt, ut sepulchrum Machometi, mirabiliter, licet naturaliter, suspensum sine catena aut fune, videant. Quo artificio delusi populi credunt, ejus corpus ob sanctitatem suam sic elevari et ita dementati in eo errore persistunt.

Nonnulli etiam Christiani, miraculum putantes suspensionem illam, Christi abnegant fidem, caeteri curiositate ducti proficiscuntur cum Sarracenis, quasi honorare volentes Machometi sepulchrum. Et hos libenter secum recipiunt, etiam sine abnegatione, eosque in sua hospitalia inducunt, quae in via sunt pro talium receptione. Saepe, fateor, tentatus fui hoc modo visitare illud maledictum sepulchrum et si tantum unum

habuissem socium, vix me continuissem. Sed circa hoc quaeritur, utrum, qui deosculatur sepulchrum Machomet, vel genuflectit aut aliquid hujusmodi fecit in veneratione, sit infidelis? Respondet Alexander de Hall.: si Christianus illa facit, quia ita credit et ideo profitetur, apostata est et haereticus. Si vero hoc facit solo verbo, vel propter metum, non in corde, tunc peccat mortaliter, non tamen est haereticus nec excommunicatus, nec est necesse, quod propter hoc vadat ad Papam vel episcopum pro absolutione obtinenda. Haec Alexander. Qui autem ingreditur quasi honoraturus et gestibus honoraret, sed intentione vituperaret et corde consideraret errores et fatuitates, ut eos Christianis propalaret, quamvis curiositate et praesumtione non modicum peccaret, credo tamen levius puniendum et excusandum. Multa mira referunt de hoc monstruoso Machometi sepulchro. Nam sicut olim totus mundus mirabatur ferreum simulacrum Bellorophontis in Smyrna civitate, ita nunc miratur hoc sepulchrum. Praedictum enim simulacrum erat unum de septem mirabilibus mundi, pro eo, quod tanta ferrea moles stabat in aere suspensa, nec catenis sursum pendens, nec subtus ullo stipite suffulta, sed magnes lapis similiter eandem imaginem in altissimi arcus sublimitate et subtus eam in pavimento collocatus sursum et deorsum eam trahebat, sicque in medio suspensa tenebatur. Eodem modo nunc tenetur tumba ferrea Machometi, suspensa virtute magnetis, nisi quod tumba illa non tanti est ponderis, quanti erat idolum Bellorophontis, quod quinque millia habebat libras ferri, quia erat equus magnus et vir desuper. Verum anno Domini 1480., uti veridica et certa relatione comperimus, subito horrenda venit tempestas, divina haud dubium dispensatione, micabant fulgura, tonitrua terribilia resonabant, ignis descendit de coelo et grando ingens in Mecham et templum praesertim atque sepulchrum illius maledicti seductoris cum corpore ejus in profundum terrae, vel certe inferni, detruserunt; ita, quod nullo deinceps modo aut studio potuit inveniri. Magna quoque pars templi corruens igne consumta est, atque ita pseudo sui prophetae reliquiis et corpore Sarraceni privati sunt et, si intelligere vellent, vehementer valde confusi; sed induratum est insipiens cor eorum et nunc sicut ante et forte

amplius ad locum peregrinantur, ut dixi P. 1. fol. 74. Propter istos ergo Machometi peregrinos relicta ad moram peregrinatione mea cum eis contemplatione peregrinatus sum, ut viderem differentiam peregrinationis nostrae et peregrinationis eorum; nos enim peregrinamus ad sepulchrum Jesu Christi, filii Dei, et quaerimus reliquias sanctae Catharinae virginis castissimae; ipsi autem peregrinantur ad sepulchrum Machometi, filii diaboli et quaerunt servitia impudicissimae Veneris meretricis.

Resumendo ergo peregrinationem nostram ulterius processimus et multos alios Sarracenos, Machometi peregrinos, obvios habuimus per littus maris rubri ascendentes usque in Arabiam felicem, in qua Mecha ad oram maris rubri est sita, civitas bona et portus maris non mediocris, ad quem species aromaticae, piper, cariophylli, cingiber et hujusmodi in magna copia devehuntur et inde per peregrinos evehuntur in camelis et mittuntur etiam in Damascum Syriae et ad alia loca. Ratio, quare tot peregrinos Machometi obvios habuimus, est, quia eorum jejunium inchoaverat, ut patet fol. 74., et in eo, sicut et Christiani, libentius peregrinantur et illo tempore sunt etiam fervores solis mitigati.

Porro circa meridiem venimus ad quandam ingentem curiam cum habitationibus multis, quae erat diversorium, et ingressi curiam diversorii invenimus magnam cisternam et pretiosam, cum rotis, marginibus et cannis factam, quam dicebant esse cisternam Soldani, de qua boves continue aquam extrahebant. Ibi ergo praetereuntibus nostris camelis de asinis descendimus et aquam gustantes bibere non potuimus, quia erat calida, insipida et aliqualiter salsa, bestias tamen adaquavimus. Puto hoc in loco ab antiquo fuisse diversorium, quia undique ibi viae conveniunt tendentes in Aegyptum, et forte ad hoc diversorium divertit Moyses, quando eum Dominus volebat interficere pro eo, quod filium suum Eliezer nondum circumciderat et ibi eum Siphora circumcidit, ut habetur Exodi IV. Quo viso ulterius processimus per illum adustum campum usque ad solis occasum et in loco campi, quem nominabant Choas, exoneravimus bestias ad manendum. Erat autem ventus fortissimus et durus et nulla vi potuimus erigere

nostra tentoria et quotiens ea fiximus palis, totiens palis evulsis ea nobis dejecit (73 a). Taedio autem affecti post saepenumero dejectionem ea jacere dimisimus. Cucurrimus etiam, ut moris nobis erat, pro colligendis sarmentis et lignis per campum, sed nihil combustibile reperire potuimus, unde accepimus vasa lignea, quae evacuavimus vino et aqua, et sportas ovorum et caveas pullorum et gallinarum et ea confregimus et ignem accendimus. Ventus autem erat adeo validus, quod ignem factum dispersit, unde coacti fuimus cum togis et vestibus ignem circumstare et impetum venti contra ignem prohibere. Comedimus ergo et bibimus illo sero et nocte dormivimus sub divo et per flatum venti et arenarum projectionem fuimus multum inquietati. In illa nocte ingressi sunt ad nos quidam Arabes miseri petentes a nobis panem, quibus libenter communicavimus, quia videbantur valde humiles et discreti.

Quinta die in media nocte surreximus et erat dominica XIX. post Trinitatis. Oneratis bestiis a Choas recessimus et per campum illum latissimum sterilem, in quo nihil penitus viridis fuit, processimus. Contigit autem nobis ante solis ortum casus quidam, quem pertransire nolo. Erat in prima societate magnificus et ingenuus vir, dominus Bernhardus de Braitenbach, tunc camerarius ecclesiae metropolitanae Moguntinensis, nunc vero dignissimus existit ibidem decanus; hic vehebatur per totum desertum camelo in sporta propter teneritudinem et debilitatem. Cum autem dies aspiraret, jussit prosterni camelum suum, quo insidebat et de sporta descendit in terram ad faciendum quidpiam operis et ad refocillandum se faciendo aliquos passus in sabulo. Alleviatione recepta reascendit in sportam et camelus suus post nos cucurrit. Cum autem per aliquantum spatium processissemus, sensit praefatus dominus sibi omnem pecuniam decidisse de sinu, in quo eam deposuerat insutam cinctorio, quo nocturno tempore cinctus erat, ut de sua pecunia securus esset. Erat autem multus ducatorum numerus in eo, et in loco, ubi pausaverat, ibi in sabulum ceciderat. Advocato autem ad se Calino conquestus est sibi de auri amissione. Jussit ergo Calinus stare exercitum et prostrato camelo illius dum descendit et ad locum, ubi

suspicabatur sibi cecidisse pecuniam, festinavit et nos peregrini cum eo; quaesivimus autem, sed non invenimus, vestigia omnia sui transitus lustravimus, sed in vanum laboravimus. Sciebat autem pro certo, sibi pecuniam solum in illo loco cecidisse. Locum ergo circuimus et arenas manu evertimus et observavimus, ne Arabes, vel camelarii, aut asinarii, quos fures esse saepe deprehendimus, accederent; sed dum diu solliciti quaesivissemus et nihil invenissemus, pecuniam inventam esse et sublatam ab aliquo Arabe vel asinario judicavimus et habita inter nos deliberatione, quomodo rem agere vellemus, ut pecuniam rehabere possemus, optavimus licitum fore, mittere sortes et per sortes inquirere, sicut Josuae VII. Achas fur inventus est et Jonathas esum accipiens, 1. Reg. XIV. Sed non licuit in hoc casu sortem mittere, quia prohibitum Extr. de Sortil. C. 1. Cogitavimus ergo et conclusimus, quod omnes Arabes, camelarios et asinarios, qui erant nobiscum, vellemus in unum (b) congregatos obsecrare, ut restituerent pecuniam, quia si sponte tradere nollent, tunc contra eos vellemus insurgere, captivare, nudare, percutere, torquere et castigare, donec redderent; eramus enim plures quam ipsi et magis dispositi ad inferendam vim. Sic consilio concluso ascensis asinis praecedentes camelos secuti sumus cum tristitia, ira et indignatione et ad eos venientes torvis vultibus eos respeximus Calinoque diximus intentum nostrum; quod dum audivisset Calinus, turbatus est et convocatis omnibus, quos suspectos habuimus, petivit opportune et importune, restitui aurum inventum. Sed non erat, qui verum responderet. Nos etiam eos rogavimus, ut traderent et inventori munus promisimus, sed nihil profecimus; sic ergo amaricati et commoti processimus et minas eis dedimus eosque prosternere conati sumus et onera dejicere, et milites evaginatis gladiis stabant et nullum praeterire permittebant. Videntes autem camelarii et asinarii serium nostrum et quod importunius ageremus, stupefacti sunt, petentes Calinum, ut sedaret furorem nostrum, ne innocentes violentia turbarentur. Quibus Calinus intentum nostrum exposuit, dicens, quod primo vellemus omnem supellectilem eorum in camelis et asinis evertere et perscrutari et, *si pecuniam* non inveniremus, in eos vellemus irruere et usque

l pellem nudare et quaerere et cum tormento aurum extor-
ıere. Interea nos onera camelorum dejecta solvimus et dis-
ɜavimus et illorum miserorum res dispergere incepimus, ipsi
ıtem stabant cum tremore et fletu respicientes. Cum haec
ɜerentur, accessit secrete ad Calinum unus de illis Arabibus,
ıi in sero praecedentis diei ad nos intraverant, dicens pe-
ıniam esse inventam. Statim autem Calinus clamavit, ut
ım pace procederemus, quia aurum inventum esset. Reo-
ɜratis autem camelis processimus et dominus ille a Calino
ɜcuniam accipiens unum ducatum illi Arabi donavit. Erat
ıtem Arabs ille simplex aspectu, vultum probum praeferens,
dicebant alii Arabes de eo, quod quodam alio tempore
ıesaurum magnum in deserto reperit, qui ceciderat, eumque
ıis dominis reportavit.

Processimus ergo per campum illum taediosissimum et
ɔta die in intensissimis caloribus proficiscebamur usque ad
ɔlis occubitum. In quodam ergo loco, dicto Maffrach, juxta
ıblicam stratam manere decrevimus, locantes autem nos,
ɜntoria non ereximus, quia palos in tenuissima arena figere
ɔn valuimus et cum hoc taediosi et lassi eramus, nec illa
ɔcte coximus, quia nullam materiam pro igne invenire pote-
ɜmus. Porro Calinus praemonuit nos, ut illa nocte diligen-
ıs vigilaremus, quia ibi esset periculosum propter profugos,
ıi pro tempore de Aegypto in desertum pelluntur propter
ɜmerita. Illi in istis locis latitant et saepe valde transeuntes
ɜrturbant. Dormivimus ergo illa nocte cum inquietudine,
ım propter timorem (74 a) incursuum, tum etiam propter
ɜntum et frigora, quae nos premebant. Jacuimus enim sub
ivo lassi et laboribus ac miseriis deserti extenuati et non
ɪiud refrigerium habuimus, quam quia scivimus, terminum
ıborum appropinquare et finem solitudinis non longe abesse.
otius mundi substantiam non accepissemus, quod adhuc per
ıindeniam in deserto manere oportuisset, quia laborem illum
ɪplius tolerare videbatur nobis impossibile.